D



QVÆSTIONVM PHILOSOPHICARVM

SYLVESTRI MAVRI SOC. IESV

LIBER TERTIVS.

Continens Quæstiones Physicas
De Ente naturali in communi, eiu
Principijs, Causis, & Proprie-
tatibus.

Editio Secunda.



Romæ, Typis Michaelis Herculis. 1670.
Superiorum permissu.

Sumptibus Federici Franzini, sub Sign
Fontis, cũ priuilegio Summi Pontif.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sal. Pal. Ap.

I. de Ang. Archiep. Vrb. Viceſg.

Imprimatur iterum.

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter.

CLEMENS PP.X.

AD futuram Rei Memoriam. Cum sicut dilectus filius Federicus Franzini Romanus Bibliopola Nobis nuper exponi fecit ipse Opera musicalia nempe mottetta, Psalmos, & alia à dilecto filio Nicolao Stamigna in lucem edenda, nec nō opus in plures tomos distinctum, cuius titulus Philosophia Siluestri Mauri Presbyteri Societatis Iesù cum nouis additionibus sua impensa typis in hac alma Vrbe nostra mandari facere intendat; vereatur autem ne postquam in lucem prodierint, alij, qui ex alieno labore lucrum quęrunt eadem opera imprimi facere curent in ipsius Exponentis præiudicium. Nos eius indemnitati ne ex impressione huiusmodi Aliquod dispendium patiatur prouidere, illūq; specialibus fauoribus, & gratijs, prosequi volentes, & à quibusuis excōmunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latæ, siquibus quomodolibet innodatus exit ad effectum præsentiū tātum consequendum harum serie absoluen & absolutū fore censentes. Supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Eidem Exponenti vt durāte decennio à primęua dd. operum & eorum cuiuslibet respectiuè impressione cōputando,

do dũmodo tamen à dilecto filio *Sac.* Pal. Apostol.Magist. approbata fuerint, nemo tam in Vrbe,quam in reliquo *Statu* Ecclesiastico mediatè, vel immediatè Nobis subiecto opera prędicta etiam sub prętextu additionum, dinstinctionnm, alteriusue formæ,vel tituli sine speciali dicti *E*xpotentis,aut ab eo causam habentium licentia,imprimere, aut ab alio, vel alijs impressa vendere, seu venalia habere, aut proponere possit,& valeat operaauctoritate tamen prę́sétiũ cõeedimus,& indulgemus. Inhibentes propterea vtriusq;sexus Christifidelibus,præsertim librorum impressoribus,& Bibliopolis sub quingentorum ducatorum de Camera, & amissionis typorum omnium pro vna Cameræ nostrę Apostolicę,& pro alia eidē Exponenti,ac pro reliqua tertiis partibus accusatori, & Iudici exequēti irremissibiliter applican. & eo ipso absque vlla declaratione incurren.pęnis,ne dicto decēnio durante opera tua,aut aliquã eorũ partem tàm in Vrbe, quàm in reliquo *Statu* Ecclesiastico poterit sine licentia huiusmodi imprimere,aut ab alio,vel alijs impressa vendere, seu venalia habere quoquomodo audeant, seu præsumant. Mandan praterea dilectis filijs nostræ, & Apostolicę *Sedis* de latere Legatis, seu eorũ Vicelegatis, aut Præsidentibus,Gubernatoribus,Prætoribus,&alijs Iustitiæ Ministris Prouinciarum, Ciuitatum,

tum, Terrarum, & locorum Status nostri Ecclesiastici prędicti quatenus eiusdem Exponenti seu ab eo causam habēti prædictis in pręmissis efficacis defensionis præsidio assistēte quandocumq; ab eodē Exponente fuerunt requisiti poenas prætensas contra quoscunque inobedientes irremissibiliter exequantur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis ac quibusuis statutis, & consuetudinibus etiā iuramento confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis priuilegijs quoque inductis, & literis apostolicis in communi pręmissorum quemlibet concessis, confirmatis, & innouatis cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt pręsentium transumptis etiam in ipsis impressis operibus manu alicuius Notarij publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutę munitis eadem vbique fides adhibeatur quę præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris Die xxj. Iunij MDCLXX. Pontificatus Nostri Anno Primo.



Io. Slutius.

IN-

INDEX
QVAESTIONVM.
LIBRI TERTII.
QVAESIONES
Physicę. pag. 1.
De Principijs intrinsecis, & intrinseca compositione Entis naturalis. pag. 2.

Q. 5.

QVAESTIONES

QVAESTIONES

De Proprietatibus corporis naturalis. pag: 460.

Q.26.

QVAESTIONES

De Quantitate, & continuo. pag. 612.

Q.37

QVAESTIONES Physicæ

Explicatur ordo disputandorum.

POST logicam, in qua actum est de ente intentionali, inserendo etiam plures questiones Metaphysicas de ente reali *vt sic*, sequitur Physica, in qua agendum de ente naturali, seu corporeo. Primò cum Aristotele in lib. de Physico auditu disputamus de ente, seu corpore naturali in communi: deinde cum eodem in reliquis libris descendimus ad agendum de varijs speciebus entis naturalis. Agentes de ente naturali in communi primo disputamus de principijs intrinsecis, & intrinseca compositione compositi naturalis: Secundo de causis etiam extrinsecis corporis naturalis: tertio de proprietatibus corporis naturalis, quę sunt motus, quantitas, finitas, vel infinitas, locus, ad quem reducitur vacuum, quod est locus carens corpore, ac tempus, seu du-

duratio. Differentes de speciebus corporis naturalis primò cum Aristotele in lib. de Cælo, & Mundo agimus de corpore mobili, sed ingenerabili, & incorruptibili; secundo, in libris de generatione de corpore generabili, & corruptibili, ac de elementis, ex quibus componuntur corpora mixta; tertio in libris de Anima de corpore animato.

De principijs intrinsecis, & intrinseca compositione entis naturalis.

PRimo querimus, vtrum principia rerum naturalium sint tria, materia, forma, & priuatio. Secundo agentes in particulari de principio materiali querimus, an principium materiale, seu materia remaneat in omni mutatione etiam substantiali. Tertio an principium materiale sit aliquod corpus ingenerabile, incorruptibile, ac mutabile solum secundum raritatem, & densitatem. Quarto, an principium materiale sint atomi. Quinto an principium materiale sit primum subiectum, quod potest esse, ac fieri quodlibet corpus. Sexto ad examinandum, an materia prima sit pura potentia, an sit actus, vel habeat ali-

aliquem actum proprium existendi, pręmittimus quęstionem Metaphysicam, an essentia in creaturis distinguatur ab existentia. Septimo quęrimus, an materia habeat propriam existentiam. Octauo, an habeat potentiam, respectum, & appetitum ad formas. Nono absoluta tractatione, de materia quærimus an forma sit tota quidditas compositi naturalis. Decimò, an forma vniatur materiæ se ipsa, vel per vnionem distinctam. Vndecimo, an totum addat aliquid supra omnes partes, hoc est supra materiam, formam, & vnionem simul sumptas. Duodecimo ad examinandum, qualis sit cõpositio ex natura, & supposito, premittimus, an bene definiatur natura. Decimotertio demum inquirimus, an suppositum addat aliquid suprà naturam, & per hoc concludimus quęstiones de cõpositione substantiali entis naturalis ex essentia, & existentia; ex natura, & subsistentia; ex materia, forma, & vnione; cum de compositione ex genere, differentia, & vltima indiuiduatione actum sit in logica; de compositione ex partibus continui agendum sit in quęstionibus de quantitate; de compositione ex partibus integralibus heterogeneis, quę inuenitur pręsertim in viuentibus, nimirum ex carne, ossibus &c. agendũ sit in li-

bris de Anima; de compositione ex substantia, & accidentibus agendum sit sparsim in varijs quęstionibus.

Vtrum principia intrinseca rerum natuturalium in fieri, & in facto esse sint tria, materia, forma, & priuatio. Quæstio I.

PRimo videtur vera sententia Xenophanis, Parmenidis, & Melissi ab Aristotele relata libro de Xenophane, Zenone, & Gorgia, primo Physicorum, primo Metaph. & alibi, quod non dentur plura principia, imo nec dentur plura entia, sed detur vnicum ens ingenitum, æternum, immobile, & immutabile; ita vt nihil de nouo fiat, aut generetur, nihil corrumpatur, atque intereat, nihil mutetur, aut moueatur secundum rei veritatem, sed solum secundum fallacem apparentiam sensuum nostrorum. Si enim aliquod ens fieret, & generaretur de nouo, vel fieret ex ente, vel non ex ente; non ex ente, alioquin ens esset antequam fieret; non ex non ente, alioquin fieret ex nihilo, quod est contra illud principium, *ex nihilo nihil fit*. Similiter si aliquod ens corrumperetur,

retur , vel corrumperetur in ens & ſic remaneret poſt corruptionem , vel in non ens , & ſic abiret in nihilum , cum non ens ſit nihil . Confirmatur , quia ſi dentur plura entia,vel differunt ente , vel non ente ; non differunt ente, quia entia conueniunt in ratione entis ; nec differunt non ente , alioquin differrent nihilo , adeoque non differrent : quæ enim nihilo differunt non differunt .

2. Videtur vera ſententia antiquorum Phyſicorum,quorum princeps fuit Thales Mileſius, vt Ariſtoteles refert primo Metaph. ſumma Secunda cap. primo , quod ea ſolum ſint principia rerum naturalium , quæ ſunt earum prima materia . Primum enim principium intrinſecum eſt,ex quo res primo fiunt , ac ſunt, & in quod vltimo corrumpuntur , ita vt ſit antequam res fiant , & remaneat poſtquam res ſunt corruptæ ; ſed ſola materia eſt ex qua res primo fiunt , & in quã vltimo corrumpuntur , ita vt ſit antequã res fiant,& remaneat poſtquam ſunt corruptæ : ex. gr. antequam domus fiat , præexiſtunt lapides tamquam materia , ex qua domus eſt facienda , & cum domus deſtruitur,lapides remanent ; ergo ſola materia eſt primum principium intrinſecum rerum naturalium .

3. Videtur , quod principia intrinſeca

rerum naturalium ſint ſolum materia, & forma, non autem priuatio. Principia enim intrinſeca ſunt, quę neque ex ſe mutuo, neque ex alijs, ſed ex ijs fiunt, & ſunt intrinſecè omnia, quæ fiunt; ſed res fiunt, & ſunt intrinſecè ſolum ex materia, & forma, e. g. ſtatua eſt intrinſecè ſolum ex marmore, quod eſt materia, & ex figura, quæ eſt forma, non autem fiunt, aut ſunt intrinſecè ex priuatione; e.g. ſtatua non fit intrinſecè ex priuatione formæ ſtatuæ; ergo priuatio non eſt principium.

4. Ens non poteſt principiari ex non ente; ſed priuatio cum ſit carentia formę eſt non ens; ergo ens naturale non poteſt principiari ex priuatione.

5 Nulla res poteſt intrinſecè principiari ex principijs contrarijs, cum contraria ſe inuicem excludant ab eodem ſubiecto; ſed forma, & priuatio ſunt contraria; ergo res non poſſunt principiari ex forma, & priuatione.

6. Ens, & non ens non poſſunt cõuenire in vlla ratione communi; ſed priuatio eſt non ens, materia, & forma ſunt entia; ergo priuatio, materia, & forma non poſſunt conuenire in ratione communi principij.

7. Si priuatio principiat, vel principiat, quando eſt, vel quando non eſt:

non

non potest principiare, quando non est, quia quod non est non principiat; neque potest principiare, quando est, quia simul debent principiare forma, & priuatio; sed quando est priuatio, non est forma; ergo si priuatio principiat quando est, forma principiat quando non est. Confirmatur, quia priuatio non potest principiare, quando res non principiatur; sed quandiu durat priuatio formæ res non principiatur, e. g. quamdiu durat priuatio caloris nō principiatur calidum; ergo priuatio non principiat quamdiu est.

8. Si priuatio esset principium, maximè quià requireretur in materia, vt ex illa fieret res: sed etiam dispositiones requiruntur in materia ad hoc, vt ex illa fiat res; ergo etiam dispositiones sunt principium; ergo principia sunt plura, quam tria. Confirmatur, quia vt res fiat, requiritur etiam intrinsecè duratio, vnio formæ cum materia, & quędam alia; ergo multiplicantur principia.

9. Saltem priuatio nō potest esse principium rerum in facto esse, seu cum iam sunt factę. Si enim principium ignis cum est factus esset aliqua priuatio, maximè priuatio formarum oppositarum formę ignis; sed priuatio talium forma-

rũ non est principiũ;ergo &c. Probatur minor; quia illud, sine quo potest saltẽ supernaturaliter esse res, non est principium rei; sed ignis saltem supernaturaliter potest esse sine priuatione formarum oppositarum; nam etiamsi Deus miraculosè simul cum forma ignis poneret in eadẽ materia formã ligni,& alias similes formas,adhuc daretur ignis;ergo &c.

10. Non potest explicari,vtrum principium sit priuatio fundamentalis, quæ, vt dictum est in logica, est aliquid positiuum,an priuatio formalis;ergo &c.

Respondeo, quod scientię dum contemplantur aliquod subiectum, supponunt tamquam per se notum, quod detur tale subiectum; sed physica contemplatur ens naturale, ac sensibiliter mutabile; ergo supponit dari plura entia naturalia, ac multipliciter mutabilia, eo pacto,quo Mathematica cõtemplans magnitudines, ac numeros supponit dari tum magnitudines, tum numeros. Et sanè suo iure supponit Physica, quod detur multitudo entium mutabilium. Id enim est per se notum, & euidens per experientiam sensuum, per quos videmus innumeras mutationes. Rursus quis non videat aquam, & ignem, hominem, & musicam esse plura entia? Addit Aristoteles primo Physicorum tex.8.nõ spe-

ctare

ctare ad Physicam probare sua prima principia, nec dissoluere rationes, qu
proponuntur contra ipsa; sed est prim
principium suppositum à Physica, quo
detur multitudo entium mutabilium sen
sibiliter; ergo non spectat ad Physicar
probare contra Parmenidem, & Meli
sum, quod detur multitudo entium mu
tabilium, vel eorum sophismata disso
uere, sed solum ad ipsam spectat, suppo
nendo, quod dentur entia mutabilia
quærere scientiam entis mutabilis.

Supponentes igitur, quod dentur en
tia mutabilia sensibiliter, quærimus sciē
tiam eorum; sed scientia rerum haben
tium principia, & causas non potest ha
beri nisi per principia, & causas; erg
quærenda sunt principia, & causę rerur
naturalium; sed ordo doctrinę postula
vt prius contemplemur res naturales i
vniuersali, deinde in particulari: prir
cipia verò rerum naturalium in vniuer
sali sunt assignanda in vniuersali; erg
quęrenda sunt primò principia rerum
naturalium in vniuersali; sed principi
sunt duplicis generis, intrinseca nimi
rum, ex quibus res intrinsecè fiunt, &
componuntur; & extrinseca, ex quibu
res non componuntur intrinsecè, post
lat autem ordo doctrinę, vt prius qu
rantur principia, ex quibus res intri

ſecè componuntur, deinde extrinſecè; ergo primò ſunt quærenda prima principia intrinſeca ad ſciendam compoſitionem intrinſecam rerum.

Aſſignãdo igitur prima principia intrinſeca rerum naturalium, dico primò, quod duo ſunt prima principia per ſe omnium, quæ fiunt, materia nimirum, & forma. Probàtur, nam prima principia per ſe ſunt, ex quibus ea, quę fiunt primò, & intrinſecè fiunt, componuntur, atque conſtituuntur in ſua ſpecie; e.g. prima principia domus ſunt, ex quibus domus primò componitur, ac conſtituitur in eſſe, ac ſpecie domus; ſed omnes res naturales, quæ fiunt, fiunt, & intrinſecè componuntur, ac conſtituuntur in ſua ſpecie ex aliqua materia, & ex aliqua forma; e.g. nauis fit intrinſecè, ac conſtituitur in eſſe nauis ex lignis tãquam ex materia, & ex ordine lignorum tamquam ex forma, idemque dic de cœteris; ergo materia, & forma ſunt intrinſeca principia omnium rerũ. Forma tamẽ eſt principium principalius, quam materia. Illud enim eſt principalius, quod principalius conſtituit rem in ſuo eſſe, & in ſua ſpecie; ſed res principalius conſtituitur in ſuo eſſe, & in ſua ſpecie per actum determinatiuum, quam per potentiam de-

determinabilem, e.g. ſtatua principalius conſtituitur in eſſe ſtatuæ per figuram, quę determinat marmor ad hoc, vt ſit ſtatua, quam per marmor, quod eſt potentia determinabilis ad hoc, vt ſit ſtatua, vel non ſit ſtatua; ergo forma eſt principium principalius, quam materia. Hinc patet, quid ſit materia, ſeu principium materiale, quid forma, ſeu principium formale. Materia eſt, *ex qua res fiunt, ac ſunt tamquam ex potentia determinabili ad earum eſſe*: Forma eſt, *ex qua res fiunt, ac ſunt tamquam ex actu determinatiuo*; e. g. marmor eſt materia ſtatuæ, quia ſtatua fit ex marmore tamquam ex aliquo determinabili ad hoc, vt ſit ſtatua, vel non ſit ſtatua; figura eſt forma ſtatuæ, quia ſtatua fit ex figura, tamquam ex aliquo determinatiuo ad eſſe ſtatuę. Materia verò, ex qua res ita fiunt, vt ipſa non fiat ex alia materia, eſt prima materia; & primum principium materiale: materia ex qua res ita fiunt, vt etiam ipſa fiat ex alia materia, eſt materia non prima, & principium materiale non primum. E.g. marmor non eſt prima materia ſtatuæ, quia marmor ipſum fit ex alia materia; atque ex eadem ratione elementa non ſunt prima materia mixtorum.

Dico ſecundo: res, quæ fiunt per mo-

im possunt considerari in duplici statu. rimus est, in quo ità fiunt, vt adhuc on sint perfectę, sed paulatim materia nouetur, & perducitur ad perfectionem. ecundus est, in quo iam habent perfe- tionem. Cum res sunt in primo statu mperfecto, principium formale earum st ipse actus imperfectus quo materia, ta actuatur, vt sit in potentia, & in via d vlteriorem actum perfectum. Cum verò res sunt in secundo statu perfecto principium formale est actus perfectus. Probatur, & explicatur. Domus ex. g. potest cõsiderari in duplici statu. Primus est, cum ita domus ædificatur, vt adhuc non sit perfecta, & ędificata, sed paulatim materia domus ædificatione perducitur ad perfectionem domus; & in hoc statu principium formale domus est ipse actus imperfectus ędificationis, quo materia ita actuatur, vt sit in potentia, & in via ad vlteriorem actum perfectum, quem habet domus, cum iam est perfecta. Secundus status est, cum iam domus est perfecta; & principium formale domus in hoc statu est ipsa forma perfecta domus. Idem dic de reliquis. Et quià etiam substantię cum generantur, ita generantur, vt antequam materia perueniat ad formam substantialem, paulatim moueatùr, & perducatur ad ipsam,

eo pacto, quo antequam materia oui perueniat ad formam pulli, paulatim ad illā mouetur, & perducitur, ideò etiam substantijs proportionaliter est assignandum principium formale pro vtroque statu, ita vt cum pullus est in mero fieri, ita vt nō habeat perfectionē, principiū formale sit actus ille imperfectus, quo materia oui paulatim perducitur ad formam pulli; cum verò pullus est factus, principium formale sit forma pulli.

Dico tertio: ad sciendam intrinsecam compositionem rerum debent etiam assignari principia per accidens. Est autem principium per accidens quod requiritur in materia ad hoc, vt ex illa fiat, ac sit res. Priuatio in hoc sensu est tertium principium per accidens, in quo cætera sufficienter comprehenduntur. Probatur, & explicatur. Nam res fiunt ex materia non vtcumque, sed ex materia certo modo affecta, ac disposita: ex. g. pullus fit ex materia non vtcumque, sed habente illā certam dispositionem, quam habet sub forma, cui iam gallina incubauit; ergo ad sciendam intrinsecam compositionem rerum non sufficit scire, ex qua materia, & forma componantur intrinsecè, sed debet sciri, qualiter materia debet esse affecta, vt recipiat formam; ex.g. ad sciendam intrinsecam compo-

compositionem pulli debet sciri, qualiter materia sub forma oui debet esse affecta ad hoc, vt recipiat formam pulli; sed affectiones, quæ requiruntur in materia, vt ex illa fiat res, sunt principia per accidens; ergo ad sciendam intrinsecam compositionem rerum debent assignari principia per accidens; sed agentes de rebus in vniuersali debemus assignare principia in vniuersali, ac reducendo ad vnitatem in quantum possumus; ergo sicut omnia principia materialia assignātur vnico nomine materię, principia formalia assignamus vnico nominę formæ; ita debemus assignare sub vnico nomine principia per accidens; sed si dicamus priuationem esse tertium principium, sub priuatione comprehendimus omnia; priuatio enim proxima, est *carentia formæ in subiecto proximè apto, & capaci*, atque adeo connotat omnes dispositiones, quibus subiectum constituitur proximè aptum, & capax; ergo congruentissimè assignatur priuatio vt tertium principium per accidens.

Confirmatur: nam Aristoteles primo Physicorum tex. 65. proponens ex professo suam sententiam docet materiam, & formam esse principia per se, priuationem esse tertium principium per accidens. Idem ex Aristotele docet Auerroes

roes, & S. Thomas in commentario 1 phyſ. lect.13. Adde, quod Ariſtoteles in decurſu Phyſicę deſcendens ad particulares materias quærit principia per accidens, & per ſe in hoc ſenſu: e.g. in libris de animalibus diſtinguit plura genera animalium, ſponte naſcentia ex materia putrefacta, vt vermes; ouipara, quæ formantur in ouis carentibus anima ſenſitiua, & deinde animantur anima ſenſitiua, vt gallinæ &c; & viuipara, quæ pariuntur non in ouis, ſed iam habentia animam ſenſitiuam, vt *homo equus*. Deinde explicat principia per ſe horum animalium, nimirum materiam, ex qua fiũt & formam, qua conſtituuntur; at non explicat materiam vtcumque, ſed vt priuatam, quęrens, quo pacto materia putris debeat diſponi, vt ſit priuata, hoc eſt nondum habens formam vermis, ſed propinquiſſima ad illam habendam; quo pacto materia oui debeat diſponi, vt ſit propinquiſſima ad habendam formam pulli; quo pacto materia ſeminis debeat diſponi, vt ſit propinquiſſima ad habendam formam animalis, aut plantę; ergo cõuenientiſſimè priuatio ponitur tertium principium per accidens in ſenſu explicato, cùm talis aſſignatio conducat ad ordinem, quo debet tradi Phyſica. E conuerſo inconuenienter aſſignatu

prima-

priuatio vt tertium principium ab ijs, qui dicunt principia in fieri esse, quæ componunt intrinsecè ipsum fieri; & quia fieri significat, quod aliqua materia, quæ immediatè ante carebat forma, nunc primò habeat formam; ideò tria sunt principia, materia, forma, & priuatio. Hæc enim assignatio principiorum est mera explicatio huius vocabuli *fieri*; sed est incredibile, quod Aristoteles celeberrimam quæstionem de principijs resolnerit merè in explicationem vocabuli, dicens, quod principia sunt tria, quia fieri significat tria; ergo inconueniens est talis explicatio, & aliena à mente Aristotelis, & celebriorum interpretum.

Dico quarto: cum res sunt in mero fieri, ita vt materia adhuc non habeat formam perfectam, principium per accidens est priuatio formę perfectæ, ad quam materiam mouetur: cum res iam sunt in facto esse, principium si per accidens est priuatio formę oppositæ fundata in dispositionibus ad formam præsentem. Probatur, & explicatur. Cum enim pullus ita fit ex ouo, vt adhuc non sit factus, nec materia peruenerit ad formam pulli, sed ad illam moueatur, pullus fit ex materia adhuc carente forma pulli, sed propinquissima ad illam paulo post obtinendam; ergo priuatio

formæ

formę pulli est illa priuatio, quæ requi- ritur in materia ad hoc, vt paulatim mo- ueatur ad formam perfectam pulli. E conuerso cum pullus iam est factus, & materia iam habet formam pulli, non amplius datur in materia priuatio for- mæ pulli, sed datur priuatio aliarum formarum incompossibilium cum forma pulli; ergo principium per accidens nō est priuatio formę pulli, sed priuatio aliarum formarum incompossibilium cū forma pulli. Vt tamen talis priuatio in- cludat omnia principia per accidens, de- bet sumi, in quantum fundatur in om- nibus requisitis ad formam pulli. Tota hæc doctrina desumpta est ex S. Thoma lect. 13. in primum Physicorum, vbi sic dicit. *Potest autem aliquis obijcere, quia priuatio non accidit subiecto, quando est sub forma, & sic priuatio non est principium essendi per accidens; & ideo dicendum, quod materia numquam est sine priuatione, quia quando habet vnam formam, est sub priua- tione alterius formæ, & ideo dum est in fie- ri aliquid quod sit, vt homo musicus, in su- biecto nondum habente formam est priuatio ipsius musicæ, & ideo principium per acci- dens hominis musici in fieri est immusicum; hoc enim accidit homini dum fit musicus; sed quando iam aduenerit forma adiungitur pri- uatio alterius formæ, & sic priuatio formæ*

oppo-

oppositæ est principium per accidens in essendo.

Ad 1. Probabile est, quod Antiqui, philosophi dum dixerunt dari vnicum ens, nomine entis veri intellexerint ens quod non participet aliquid de nihilo, quale ens est solus Deus, creaturas verò appellauerint entia fallacia, & apparentia, quia plus participant de nihilo, quam de ente, in quantum est maior perfectio, & entitas, qua carent, quam entitas, & perfectio, quam habent. Hic verò modus loquendi habet etiam fundamentum in Scriptura, in qua dicitur nomen proprium Dei esse, *qui est*, creaturæ verò comparatione Dei vocantur nihil, & entia fallacia. Sed admittendo, quod antiqui locuti fuerint in eo sẽsu, in quo referuntur ab Aristotele, ad argumentum; si res fierent, vel fierent ex ente vel non ex ente; respõdeo quod quæ fiunt aliquo pacto fiunt ex ente, aliquo pacto ex non ente. Ignis enim in quantum fit ex non igne fit ex non ente; in quantum fit ex lignis, fit ex ente: pullus similiter in quantum fit ex non pullo fit ex non ente, in quantum fit ex ouo fit ex ente. Vno verbo fiunt ex materia priuata, & in quantum fiunt ex priuatione fiunt ex non ente, in quantum fiunt ex materia fiunt ex ente. Addo

quod

quod ſubſtantiæ fiunt ex non ente actu, & ente potentia, quia fiunt ex materia, quę eſt ens potentia, vt explicabimus inferius. Proportionaliter quando corrumpuntur, corrumpuntur in non ens actu, & ens potentia.

Dum contra multitudinem entium vrgetur, quia vel entia differunt ente vel non ente: dico quod Deus, qui eſt primum ens non participans de nihilo differt à creaturis ente puro, & continente, omnem perfectionem; creaturæ differunt à Deo defectu entitatis creatæ, & in hoc ſenſu differunt nihilo, non tamen puro nihilo, quia defectus incluſus in entitate non eſt purum nihil, quare non ſunt purum nihil, ſed entia defectuoſa. Creaturæ differunt inter ſe aliqualiter ente, aliqualiter non ente. Differunt ente, in quantum vnaquæque creatura habet aliquam perfectionem abſtrahibilem ab ipſis, & communem Deo, qua carent alię creaturę. Differunt non ente, in quantum habent etiam aliquam imperfectionem propriam, qua carent aliæ creaturæ. Dum opponitur: entia conueniũt in ente; ergo non poſſunt in ente differre: reſpondeo, quod in ente conueniunt imperfectè, atque adeo ita, vt etiam differant.

Ad 2. Non requiritur vniuerſim ad princi-

principium, quod ex ipso res ita fiat, vt principium præcedat rem, & remaneat post corruptionem rei, sed hoc requiritur solum ad principium materiale: ad principium verò *vt sic* sufficit, quod per ipsum res constituatur in suo esse; & quià res magis cõstituitur in suo esse per formam, & actum, quam per materiam, & potentiam, ideo principium formale est principalius, licet materiale soleat tempore præcedere.

Ad 3. *Distinguo*, res non fiunt per se ex priuatione, concedo: non fiunt per accidens tamquam ex aliquo requisito in materia ad ipsum fieri, nego; & distinguo eodem pacto consequens; ergo priuatio non est principium per se, concedo; per accidens, nego. Statua fit per accidens ex priuatione figuræ, in quantum ad hoc, vt materia moueatur ad formam statuæ, requiritur, vt sit priuata, hoc est carens forma statuæ, sed apta ad illam habendam. Nota, quod principium per accidens est duplex. Primò principium per accidens est, quod ita accidit materiæ, ex qua fit res, vt non requiratur ad fieri rei. Ita cum albus fit musicus, albedo est principium per accidens musici, quia ita accidit homini, dum fit musicus, vt non requiratur ad hoc, vt homo fiat musicus. Secundo principium per acci-

accidens est, quod ita accidit materiæ, vt requiratur ad hoc, vt ex ipsa fiat res. Priuatio est principium per accidens in secundo sensu, quia vt materia oui moueatur ad formam pulli, requiritur, vt materia sit priuata, hoc est carens forma pulli, sed proximè apta. *Principia* per accidens in primo sensu non conducunt ad scientiam rei: principia per accidens in secundo sensu maximè conducunt ad scientiam rei.

Ad 4. &c. Distinguo maiorem: ens non potest fieri per se ex non ente, concedo; per accidens, nego. Ens per se fit ex materia, & forma, quę sunt entia, fit vero per accidens etiam ex priuatione, in quantum ad hoc, vt materia moueatur ad formam, debet ita carere tali forma, vt sit apta ad illam recipiendam.

Ad 5. Non solum non est inconueniēs sed est necessarium, vt quæ fiunt, fiant aliqualiter ex contrarijs. Patet inductione Nam ignis fit ex non igne; sapiens ex non sapiente; statua fit ex marmore infigurato, & ex figura; calidum fit ex frigido &c. Ideo omnes antiqui philosophi euidentia veritatis compulsi assignarunt principia aliqualiter contraria, vt rarum, & densum: magnum, & paruum; calidum, & frigidum. Verum antiqui



antiqui defecerint primo, quia cum quærerent principia vniuersalia omnium rerum, debuerunt assignare primas, & vniuersales contrarietates: at non assignarunt contrarietates vniuersales, sed particulares, ex quibus proinde non fiunt omnia: e.g. calidum, & frigidum non sunt principia vniuersalia omnium, quia licet calidum fiat ex frigido, & frigidum ex calido, tamen musicus nec fit ex calido, nec ex frigido, sed ex immusico. Hunc defectum corrigens Aristoteles assignauit tanquam prima principia contrarietates primas, & vniuersales, hoc est formam, & priuationem. Vnumquodque enim vel ex informato fit formatum, vel ex formato fit informatum, seu priuatum forma. Secundo defecerunt, quia non explicauerũt, quo pacto possent res fieri ex contrarijs; & hunc errorem corrigens Aristoteles dixit, quod fiunt ex vno contrario per se, ex alio per accidens: e. g. domus constituitur per se in ędificari per formam, & actum ædificationis, sed ad hunc actũ requiritur, vt materia careat perfectione domus iam ædificatę, ad quam perfectionem mouetur, & perducitur per ipsum actum ędificationis, ideoque domus fit etiam per accidens ex priuatione formę domus. Dum vrgetur: contraria se ex-

cludunt

cludunt ab eodem ſubiecto; diſtinguo, ſe excludunt de præſenti, vel tendunt ad ſe excludendum de futuro, concedo: ſe excludunt ſolum de pręſenti, nego. Aliqua ſunt contraria, quæ non excludunt ſuum contrarium de pręſenti, ſed tendunt ad illud poſt excludendum; e.g. febris eſt contraria vitæ animalis, & tamen febris non excludit vitam, quando febris eſt, ſed tendit ad vitam excludendam poſt, quando febris non erit amplius: motus ad centrum eſt contrarius priuationi centri, & tamen non excludit à mobili priuationem centri, quando eſt motus ad centrum, ſed tendit ad excludendam poſt. In caſu noſtro ædificatio, qua domus mouetur ad perfectionem domus, eſt contraria priuationi talis perfectionis, & tamen non excludit illam, quando eſt ædificatio, ſed tendit ad excludendam poſt. Vniuerſaliter verò forma imperfecta, per quam materia mouetur ad formam perfectam, & conſtituitur res in puro fieri, eſt contraria priuationi, ita vt tendat ad priuationem excludendam poſt. Priuatio tamen formæ oppoſitæ, quę eſt principium per accidens rerum in facto eſſe, non eſt contraria formę. Ratio eſt, quia cum res eſt in fieri, & in motu, eſt in ſtatu contrarietatis, & pugnæ, cum per motum

ab

ab vno oppositorum recedat, ad alterum accedat; ergo debet principiari ex principijs oppositis, à quorum vno recedit per aliud; cuiusmodi sunt carentia perfectionis, & motns ad perfectionem, per quem recedit à carentia perfectionis. At cum res est in facto esse, non est in statu contrarietatis & accessus, & recessus, sed in statu quietis; ergo principia rei in facto esse non debent poni contraria. Ponenda tamen est priuatio formę oppositæ tamquam principium per accidens rei corruptibilis, quia res corruptibilis per hoc differt ab incorruptibili, quod res corruptibilis constat ex materia priuata alia forma, quam posset habere; at corpus incorruptibile constat ex materia non priuata alia forma, cum materia sub forma incorruptibili non habeat capacitatem proximam recipiendi aliam formam, sed constat materia carente alia forma per puram negationem non connotantem aptitudinem expeditam subiecti.

Ad 6. Ens, & non ens possunt conuenire in aliqua ratione saltem analogica, & proportionali. In casu nostro materia, forma, & priuatio conueniunt, in quantum sicut materia, & forma sunt ex quibus res fiunt intrinsecè, sic priuatio requi-

requiritur in materia, vt ex ipsa fiat forma. Quod autem hoc pacto requiritu dicitur principium analogicè propte ordinem ad materiam, quæ est principi per se, eo pacto, quo color indicatiuu sanitatis dicitur sanus analogicè per ordinem ad animal, quod est sanum principaliter, & per se.

Ad 7. Priuatio principiat quando est. Nec sequitur, quod forma principia quando non est, quia in fieri simul datu in materia forma imperfecta, & priuatio formę perfectæ, vt dictum est a quintum; in facto esse simul datur form perfecta, & priuatio formæ oppositæ, v dictum est ibidem,

Ad 8. Dictum est, quod dispositione & cætera principia per accidens inclu duntur in priuatione: vnio formæ cur materia, & duratio includuntur in forma; ergo sufficiēs est assignatio trium principiorum, cum in ipsis omnia inclu dantur, licet deinde cū quæruntur principia magis in particulari debeat explicari, quænam in singulis principijs includantur.

Ad 9. Principium ignis in facto esse est priuatio formarum oppositarum, explicatum est. Ad principium verò pe accidens sufficit, quod naturaliter sine illo non possit dari res, licet ad princi

ıum intrinſecum per ſe requiratur, vt ne illo neque ſupernaturaliter poſſit da-i res.

Ad 10. Tertium principium eſt d, per quod forma conſtituitur non xiſtens in materia, ſeu ſit aliquid po-itiuum, ſeu non, ſeu ſit intrinſecum ıateriæ ſecundum ſe, ſeu ſolum ſit in-rinſecum ſubiecto denominatiuè, ex eo uod excludat formam, quæ eſt intrin-ſeca ſubiecto. Dum enim aſſignamus pri-ationem tamquam tertium principium bſtrahimus ab iſtis quæſtionibus.

Vtrum principium materiale remaneat in omni mutatione. Quæſtio II.

VIdetur eſſe vera ſententia cuiuſdam recentioris, qui contra Ariſtotelē, ꝛ contra omnes Scholaſticos docuit ſu-iectum, ac materiam remanere ſolum ı mutationibus accidentalibus, & arti-cialibus, non autem in ſubſtantialibus, . quia in rebus phyſicis debemus ſequi ıdicium ſenſus; ſed per ſenſus videmus, uod materia remaneat in mutationibus ccidentalibus, non autem in ſubſtantia-libus:

libus: e.g. in mutatione artificiali, qua ex lignis fit nauis, manifestè remanent ligna; at in mutationibus ſubſtantialibus, quibus ex lignis fit ignis, ex ouo pullus, ex cadauere vermes, ex ſemine lactuca &c. neque ligna, neque ouum, neque cadauer, aut ſemen, vel vllum aliud ſubiectum, quod erat ante, videmus remanere; ergo &c.

2. Cauſa creata poteſt facere, vt forma, quę non erat, ſit: e.g. cum quis mutat ceram ex quadrata in rotundam facit, vt ſit illa rotunditas, quæ ante nõ erat; ſed non videtur difficilius facere, vt forma, quę non erat ſit, quam vt ſubiectum, quod non erat ſit; ergo cauſa creata poteſt facere, vt ſit etiam ſubiectum, & ita cum ignis generat ignem facit, vt non ſolum forma ignis, ſed ipſum ſubiectum de nouo ſit; ergo non requiritur, vt remaneat idem ſubiectum, quod erat ante. Similiter non videtur difficilius facere, vt ſit de nouo vna tantum pars alicuius totius, quam facere, vt ſit de nouo vtraque pars; ſed poteſt cauſa producendo ignem facere, vt ſit de nouo forma ignis; ergo poteſt etiam facere, vt de nouo ſit materia, ac forma ignis ſimul.

Reſpondeo manifeſtum eſſe, quod omnia, quæ fiunt naturaliter (nam de crea-

tione non agimus) fiunt ex aliqua materia prius existente, ac postmodum remanente in re facta. Constat enim inductione etiam substantias fieri ex aliquo subiecto, ac materia: e.g. ignis non fit ex nihilo, sed ex lignis, vel alia materia ignibili; pullus non fit ex nihilo, sed ex ouo, quod est materia animabilis anima pulli: plantæ non fiunt ex nihilo, sed ex semine, quod est materia animabilis anima plantæ: idem valet de animalibus, quæ fiunt ex semine, & etiam de ijs, quæ oriuntur ex putri, cum non fiant ex nihilo, sed ex illa materia putrefacta, atque animabili anima ranę, vel vermis &c; sed eo ipso, quod aliquid fit ex subiecto, quod possit esse illud; tale subiectum debet remanere in re facta: cũ enim aliquid, quod potest esse tale, fit actu tale, non destruitur subiectum & potentia potens esse talis, sed actuatur, ac reducitur in actum: e.g. quando rotundabile rotundatur, non destruitur rotundabile, sed remanet, & constituitur actu rotundum per rotunditatem, quod idem valet in omnibus; ergo cum ignibile ignitur, remanet in igne facto subiectum quod ante non erat ignitum, sed priuatum forma ignis, & habens formam ligni, ac constituitur actu ignis per formã ignis, quæ succedit formę ligni; & cum ani-

animabile animatur, remanet materia ac subiectum animabile, quod ante non erat animatum, sed priuatum forma animæ, & habens formam oui, vel seminis vel materiæ putris, ac constituitur actu animatum per formam animę, idemque dic de reliquis; ergo in omni mutatione substantiali remanet subiectum, & materia.

Breuiter: omnes substantiæ fiunt non ex nihilo, sed ex aliqua materia, ac subiecto, quę possit fieri, & esse talis substantia, e.g. ignis fit ex aliqua materia ignibili, animal ex aliqua materia animabili; sed cum ignibile ignitur remanet secundum illam potentiam, vt ignia tur, & constituitur actu ignitum: cum animabile animatur remanet secundum illam potentiam, vt animetur, & constituitur animatum actu; ergo semper remanet quod poterat esse tale secundum potentiam, vt sit tale; sed hoc intelligimus nomine subiecti, ac materiæ; ergo semper remanet subiectum, ac materia.

Confirmatur, quia quid absurdius quam quod cum aliquis figurat figurabile, destruat ipsum subiectum potens figurari; sed si subiectum non remaneret quando causa ignit materiam ignibilem destrueret ipsam materiam ignibilem

um animat materiam animabilem, de-
trueret ipsam materiam animabilem;
rgo contraria sententia est absurda.

Hęc ratio desumpta est ex Aristotele
artim primo Physicorum, textu 62. par-
im septimo Metaphysicę, textu 22. *Pri-*
mo Physicorum hæc habet; *quod autem*
ubstantiæ ex aliquo subiecto fiunt, conside-
ranti fit vtique manifestum; semper enim est
liquid, quod subijcitur ex quo fit, quod fit;
t plantæ, & animalia ex semine. Hinc
erò infert septimo Metaphysicę, textu
2. omnia, quæ fiunt habere materiam
emanentem, dicẽs. *Cuncta enim, quæ natu-*
a, aut arte fiunt, materiam habent; possibile
nim est esse, & non esse eorũ vnũquodque: hoc
ntem vnique materia. Sensus est omnia,
uę fiunt, fiunt ex subiecto, quod
ossit esse, & non esse illud, quod fit,
t patet inductione; sed subiectum, quod
otest esse res, & non esse res, erat an-
equam res fieret, & remanet postquam
st facta, & hoc est materia; ergo om-
ia fiunt ex materia pręexistente, ac re-
anente in re facta, & omnia sunt ex
ibiecto, vel materia.

Hinc Aristoteles infert primo phys.
69. quo pacto sit cognoscibilis materia
erum substantialium. Cognoscibilis ni-
irum est per analogiam ad materiam
erum artificialium. *Subiecta*, ait, *natu-*
ra

ra cognoscibilis est secundum analogiam. Si-cut enim æs ad statuam, aut ad lectulũ ligni, aut ad aliud eorum, quæ formam habent materia, & informe se habet, sic ipsa prima materia ad substantiam, & hoc aliquid se habere videtur. Materia igitur ignis est ex qua ita fit, & componitur ignis, sicut ex ære statua. Sicut enim statua fit, & componitur ex ęre figurabili, illud figurando, sic ignis fit ex subiecto ignibili, illud igniendo, & formando forma ignis.

Secundo infert in omnibus, quæ fiunt dari materiam primam. Definit autem materiam primam t.82. *primum vniuscuiusque subiectum, ex quo quippiam eo pacto fit vt insit, & non per accidens.* E g. materia prima ignis est primum subiectum ignibile, ex quo ita fit ignis, vt insit in igne facto, non per accidens, sed per se, & tamquam pars cõstitutiua. Quod in omnibus generabilibus detur tale primum subiectum, probatur; nam quidquid fit, fit, & componitur ex aliquo subiecto remanente, vt dictum est; sed in subiectis, ex quibus res fit, non potest procedi in infinitum, vt demonstrat Aristoteles secundo Met. cap. secundo sed debet tandem perueniri ad primum subiectum, quod non componatur, & fiat ex alio subiecto, hoc autem voca-

mus materiam primam; ergo in omnibus generabilibus datur materia prima.

Tertio infert talem materiam primã secundum se esse ingenerabilem, & incorruptibilem. Si enim generaretur, generaretur ex aliquo subiecto in ipsa remanente; ergo non esset primum subiectum non compositum ex alio subiecto, sed componeretur ex alio subiecto, quod est contra suppositum; nam supponebatur, quod materia prima sit primum subiectum non constans ex alio subiecto; ergo primum subiectum non constans ex alio subiecto non potest generari: eo enim ipso constaret ex alio subiecto. Ex eadem ratione nec potest corrumpi. Quod enim corrumpitur non annihilatur, sed mutatur in aliud, in quo remaneat subiectum corrupti; ergo si primũ subiectum corrumperetur, non esset primum subiectum, sed constaret ex alio subiecto remanente post corruptionem.

Hinc secundo infertur nullam materiam corruptibilem, & generabilem esse materiam primam, quæ debet esse ingenerabilis, & incorruptibilis. Ideo marmor est quidem materia statuæ, & lignum lecti, sed nihil horum est materia prima, cum sint generabilia, & corruptibilia.

Ad

Ad 1. Distinguo maiorem ; debemu sequi iudicium sensuum, ita vt illud so lum iudicemus, quod iudicat sensus, nego maiorem ; debemus sequi iudicium sensuum, ita vt assumentes principia nota per sensum, & addentes alia principia nota per intellectum inferamu etiam veritates, quas sensus non percipit ; concedo maiorem ; distinguo eodem modo minorem, & nego consequentiam. Hęc propositio: debemus sequi iudicium sensuum, ita vt nihil iudicemus, nisi quod iudicat sensus, est falsissima, ac principium Atheismi. Si enim id solum iudicemus, quod iudicat sensus, negabimus dari *Deum*, Angelos, animam spiritualem, & immortalem, præmia bonorum, ac malorum, quandoquidem nihil horum sensus iudicat, aut percipit, & sequentes idem principium in eo sensu reddemur stolidiores brutis, cum ipsa bruta naturali instinctu plura percipiant, quæ non percipit sensus, vt filios alendos, pro ipsis pugnandum, ipsis prouidendum &c. ideoque dicunt iuristę dari quoddam ius, quod natura docuit omnia animalia, eo quod etiam bruta cognoscant quodammodo faciendas esse quasdam actiones, licet id non iudicet sensus, quæ actiones dicuntur de iure naturæ. Verus ergo, ac

 legi-

egitimus ſenſus axiomatis eſt, quod debemus ſequi iudicium ſenſuum, aſſumẽtes quędam principia nota per ſenſum, & addentes alia principia immediatè nota intellectui, & ex his concluſiones inferentes. Hoc pacto ſequentes iudicium ſenſuum cognoſcimus dari primum motorem immobilẽ, & Intelligẽtias Cælorum motrices, quæ non iudicat ſenſus. In caſu noſtro aſſumentes ex ſenſu, quod omnis ſubſtantia fiat non ex nihilo, ſed ex aliqua materia, ac ſubiecto, cum ſenſibus percipiamus ignem fieri ex lignis, pullum ex ouo, plantas ex ſemine &c. & addentes per intellectum, quod materia, ex qua res fit, eſt potentia illa ſubſtantia, quæ fit, e.g. quod materia, ex qua fit ignis, eſt ignibilis, ſeu potentia ignis, & etiam quod quando materia, quæ eſt talis potentia, fit actu talis, non deſtruitur, ſed remanet, & actuatur, inferimus materiam remanere etiam in mutationibus ſubſtantialibus, non hoc iudicantes contra iudicium ſenſuum, ſed ſupra iudicium ſenſuum per intellectum ſenſibus ſuperiorem.

Dices: quando fit ignis ex lignis, ligna non remanent; cum pullus fit ex ouo, vel lactuca ex ſemine, non remanet ouũ, neque ſemen; ergo non remanet materia, ex qua fit ſubſtantia.

Reſpon-

Respondeo: distinguo consequens non remanet materia priuata, conced consequentiam: non remanet materia secundum se, nego consequentiam. S cut cum cera ex quadrata fit rotunda, non remanet secundum esse quadrati, ne que secundum priuationem rotunditatis sed remanet secundum potentiam, vt s rotunda, vel quadrata, & constituitu actu rotunda per rotunditatem succede tem quadraturæ, ac priuationi rotund tatis: sic cum ignis fit ex lignis, materi ignibilis, qua poterat esse ignis, & no esse ignis, remanet secundum potentiam per quam poterat esse ignis, & consti tuitur actualiter ignis per formâ ignis quę succedit formæ ligni, ac priuation formæ ignis. Quare sicut materia rotū dabilis remanet, ac transfiguratur a vna figura in aliam, sic materia ignibili remanet, ac transformatur ex vna for ma substantiali in aliam, ex forma ligr ad formam ignis.

Ad 2. Distinguo antecedens; causa creata potest facere, vt forma, qu non erat, sit simpliciter, nego; vt fit i materia reducendo potentiam in actum concedo, ac nego consequentiam. Du cera rotundatur, rotunditas non fit sin pliciter, sed fit in cera, faciendo c ram, quæ erat rotundabilis actu rotu

 dam.

dam. Ex hoc non ſequitur, quod poſſit facere ipſum ſubiectum, ac materiam, quia non poteſt fieri ex alio ſubiecto, alioquin iam remaneret ſubiectum contra ſuppoſitum, ſed deberet fieri ex nihilo, hoc eſt ex nullo ſubiecto. Non valet igitur: poteſt cauſa creata facere ignem ex materia ignibili; ergo poteſt facere ignem ex nulla materia, ſed ex nihilo: quia datur in cauſis creatis virtus faciendi album ex dealbabili, motũ ex mobili, figuratũ ex figurabili &c: at non datur virtus faciẽdi vllũ ens ex nihilo. Ideo eſt axioma receptũ apud omnes, ex nihilo nihil fit, quia quodcũque fit ex aliquo, quod poteſt eſſe tale, eo pacto, quo ignis fit ex ignibili. Facere verò ex nihilo ſimpliciter, hoc eſt ex nullo ſubiecto, ac materia præexiſtente, quæ poſſit eſſe illud, ad diuinam ſolum Omnipotentiam ſpectat, quæ ſola poteſt creare. Cęterum de creaturis eſt receptiſſimum id: *Ex nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reuerti.*

Vtrum

Vtrum materia prima ſit aliquod corpus ingenerabile, & incorruptibile, ac mutabile ſolum ſecundum raritatem, & denſitatem. *Quæſtio* III.

OMnes antiqui conuenerunt cum Ariſtotele in hoc, quod prima materia, ex qua res fiunt, ſit ingenerabilis, & incorruptibilis, ſed diſcreparunt deinde in aſſignanda hac prima materia. Multi enim dicunt illam eſſe vnicum corpus, quod quidam putarunt aquam, alij aerem, alij ignem, quidam terram, quidam corpus medium inter hæc omnia, ac præſertim inter aerem, & aquã, rarius aqua, ſed denſius aere, quod vnicum corpus cenſuerunt eſſe ingenerabile, & incorruptibile, ac ſolum condenſabile, & rarefactibile, ac per hoc trãſmutabile in varia corpora. Has ſententias de vnico corpore diſputando examinabimus capite preſenti.

Videtur ergo 1. eſſe vera ſententia Thaletis, quod àqua ſit prima materia ex qua condenſata, vel rarefacta omnia corpo-

corpora fiant. Aqua enim si condensetur durabitur in terram; ac si magis adhuc condensetur, ac duretur mutabitur in lapides, ac metalla differentia inter se secundum varios gradus condensationis maioris, aut minoris: si verò eadem aqua rarefiat, tenuabitur in vapores, & in aerem; & si magis adhuc rarefiat, euadet in ignem, corpus nimirum tenuissimum, ac partium subtilissimarum, ideoque agilissimum & tenuissimum, ac summoperè aptum ad omnia penetranda, diuidenda, ac disrumpenda: si verò hæc quatuor corpora, aqua nimirum, & tria reliqua ex aqua facta inuicem varijs modis componantur, fient varia genera mixtorum, plantarum, & animalium; ergo &c.

2. Videtur potius aer, quàm aqua esse prima rerum materia, vt docuerunt Anaximenes, atque Diogenes. Ipsa enim aqua videtur fieri ex aere condensato, vt patet ex nubibus, & vaporibus, quæ dum condensantur, euadunt in aquas, ac decidunt in pluuias, ex origine fluminum, ac fontium, quæ in montium culminibus nascuntur ex aere condensato.

3. Ignis videtur esse prima omnium rerum materia, vt asseruerunt Hippatus Metapontinus, & Heraclitus. Nam prima mate-

materia est corpus, ex quo alia componuntur; sed potius terra, aqua, & aer componuntur ex igne, quam è conuerso; ergo potius ignis est prima materia, quã vllum ex alijs corporibus. Probatur minor, quia potius corpora maiora & crassiora componuntur ex minoribus, & subtilioribus, quam minora, & subtiliora ex maioribus, & crassioribus. Magnũ enim cõponitur ex pluribus minoribus, ac paruis, eo pacto, quo mons ingens potest componi ex paruis arenulis, & quod habet crassitiem componi potest ex partibus subtilibus: at neque paruum, & minus potest componi ex magno, ac maiori, neque subtile ex partibus habẽtibus maiorem crassitiem; sed ignis est corpus subtilissimum, ac partium minutissimarum; ergo ignis non potest componi ex aqua, vel aere, vel terra crassiore, sed e conuerso possunt hęc componi ex igne Hinc consequenter infertur Solem, quem putabant ignem, vt putant etiam Recentiores Mathematici, esse materiam primam omnium rerum, imo potius primam materiam esse ipsam lucem, quippe quam censent esse tenuissimum, purissimum, ac subtilissimum ignem, ideoque summè penetrabilem.

4. Videtur potius terra densissima esse materia omnium rerum, quia non est

maior

maior ratio, cur corpus tenuiſſimum, ac rariſſimum dicatur eſſe materia, ex qua per condenſationem fiant cætera corpora, quam quod corpus denſiſſimum dicatur eſſe talis materia, ex qua fiant alia corpora rariora per rarefactionem.

5 Hinc videtur concludi primam materiam nullum eſſe ex quatuor corporibus dictis, ſed eſſe quintum corpus medium, quod ſecundum ſe neque ſit terra, neque aqua, neque aer, neque ignis, vt quidam dixerunt ab Ariſtotele laudati. Prima enim materia debet eſſe corpus, quod poſſit omnibus modis rarefieri, ac condenſari, & ſic per rarefactionem poſſit conſtitui in varijs corporum ſpeciebus; ſed corpus, quod poſſit omnibus modis rarefieri, ac condenſari, non debet conſtitui in ſuo eſſe per vllũ gradum raritatis, ac denſitatis; quatuor verò aſſignata corpora conſtituuntur in ſuo eſſe per aliquem gradum raritatis, & denſitatis; ignis enim eſt corpus tenuiſſimum, & conſtituitur ſecundum hanc opinionem per ſummam raritatem; terra eſt corpus denſiſſimum, & conſtituitur in ſuo eſſe per ſummam denſitatem; aqua, & aer ſunt corpora mediæ raritatis, ac denſitatis, & conſtituuntur per varios gradus ipſarum; ergo prima materia non poteſt eſſe vllum ex quatuor aſſignatis

gnatis corporibus, ſed erit quintum corpus.

Reſpondeo, ac primo dico, quod etiamſi omnia corpora conſtituerentur per condenſationem, vel rareſactionem vnius primi corporis, ac materiæ, vt ſupponunt omnes iſtę ſententię, adhuc prima materia neque eſſet ignis, neque terra, neque aqua, neque aer, ſed aliquid, quod eſſet potentia ad euadendum hæc omnia per diuerſos gradus raritatis, ac denſitatis, cum ſecundum ſe neque eſſet actu aqua, neque ignis, neque terra, neque aer. Ratio eſt, quia illa materia, quę ſecundum ſe poteſt eſſe aqua, & non eſſe aqua, ſecundum ſe non eſt actu aqua, ſed eſt materia aquabilis, & conſtituitur aqua per formam diſtinctam, eo pacto, quo id, quod poteſt eſſe rotundũ, ſecundũ ſe non eſt actu rotundum, ſed eſt rotundabile, & conſtituitur actu rotundum per rotunditatem diſtinctam; ſed hæc materia omnibus modis condenſabilis, ac rarefactibilis ſecundum ſe poteſt eſſe aqua, & non eſſe aqua, poteſt eſſe ignis, & non ignis, &c: cum enim hæc materia eſt ſummè rara, atque adeo eſt ignis, tum non eſt aqua, neque terra, neque aer, alioquin eſſet ſimul ignis, & aqua, & aer, & terra, quod eſt abſurdum: & ſimiliter cum eſt mediocriter conden-

condensata, atque adeo est aqua, tum non est ignis ex eadem ratione; ergo talis materia omnibus modis condensabilis secundum se non est actu aqua, neque ignis, neque aer, neque terra, sed est omnia potentia, atque adeo est materia quodammodo ignibilis, aquabilis, terrabilis &c. per formam distinctam raritatis, ac densitatis, quibus, hec corpora supponuntur constitui. Ex eadem ratione prima materia non potest esse quintum corpus rarius aqua, ac densius aere, quia cum secundum se possit habere, & non habere illam mediam raritatem, ac densitatem, non est tale corpus actu, sed solum potentia.

Secundo dico, quod irrationabiliter asseritur corpora constitui in sua specie, & inter se primo differre per diuersum gradum raritatis, ac densitatis. Manifestum est enim, quod terra, ignis, aer, & aqua differunt per suam naturam antecedenter ad raritatem, ac densitatem. Vis enim intrinseca, quam habet res mouendi se ad aliquid, & eo habito quiescendi in illo, resistendo motui contrario, distinguitur ab eo, ad quod mouetur, & in quo quiescit, atque illud antecedit; sed ignis, aqua, terra, & aer habent intrinsecam vim mouendi se ad certum gradum raritatis, ac densitatis, & in

in eo iam habito quiescendi, resistend
motibus contrarijs,vt patet experienti
& inductione; e.g. ignis habet intrinse
cam vim mouendi se ad summam rari
tatem, & summè se rarefaciendi,vt con
stat præsertim in puluere tormentario
qui cum repente ignescit, rarefacit se
atque dilatat tanta vi, vt ędificia pro
pinqua concutiat, ac diruat; habet etjan
ignis rarus vim quiescendi in ea raritate
resistendo contrario motui, quo condē
setur: e conuerso terra habet intrinse
cam vim se condensandi, ac quiescend
in sua densitate resistendo motui rarefa
ctiuo; quod idem valet in aqua, & ae
re; ergo talis intrinseca vis est distinct
à raritate, ac densitate istorum corpo
rum, & pręcedit illas, sicut causa effe
ctum; sed hæc quatuor corpora differun
in ista vi; diuersa enim est vis ignis a
se rarefaciendum, ac ad quiescendum
in raritate,ac sit vis terræ se condensan
di, & quiescendi in densitate; erg
quatuor corpora differunt in aliquo an
tecedente ad raritatem, & densitatem
sed prima vis intrinseca mouendi se a
aliquid, & in eo quiescendi est natu
ra cuiuscunque rei; natura siquidem de
finitur primum principium motus, a
quietis in eo, in quo est primo, & pe
se,& non per accidens,vt dicetur qu.
cum

cum agetur de natura; ergo hæc quatuor corpora differunt in natura antecedenter ad raritatem, ac densitatem. Hinc patet ignem non esse aquam rarefactam, neque terram ignem condensatum, sed esse corpora differentia secundum suam naturam antecedenter ad raritatem, ac densitatem, vt probatum est, atque à fortiori infertur idem de cæteris corporibus, vt melius explicabitur inferius.

Tertio dico occasionem his erroribus dedisse sensus, quos Philosophi primi ita sunt secuti, vt id solum iudicarent, quod iudicat sensus. Quia ergo prima differentia, quam percipit sensus in quatuor dictis corporibus, est raritas, & densitas, dixerunt illa differre primò secundum raritatem, ac densitatem. At hoc est simile, sicut si quis diceret hominem, & leonem differre primò in externa figura, eo quod hanc solam differentiam percipit sensus, cum intellectui sit manifestum hominem, & leonem differre primò in natura antecedenter ad figuram, quæ natura est principium motus, & quietis ad diuersas operationes, & cui naturę etiam debetur externa figura. Sic igitur in casu nostro ignis, & aqua differunt in natura antecedenter ad raritatem, ac densitatem. Non igitur sensus seruiliter sequendus, sed ex notis per

sensum eleuanda est mens ad ea, quę sunt supra sensum, quia non percipiuntur à sensu, non tamen sunt contra sensum, quia per discursum inferuntur ex ijs, quę sunt nota per sensum.

Quarto demum, & vltimo dico aerem ignem, terram &c. non esse materiam primam, quia sunt generabilia, & corruptibilia, vt dicetur in Tractatu de Elementis; sed materia prima est ingenrrabilis, & incorruptibilis; ergo materia prima non est ignis, sed est ignibilis, non est terra, sed potest fieri, & esse terra, neque est vllum corpus actu, sed est primum subiectum, quod potest fieri omnia corpora, vt melius patebit inferius.

Hinc patet ad fundamenta aliarum sententiarum. Dum enim se mutuo destruunt ostendunt falsitatem illarum opinionum, & veritatem Aristotelicę sententię docentis materiam primam nō esse actu ignem, neque terram, neque vllum corpus, sed esse omnia in potentia, hoc est primum subiectum ignibile, ac formabile formis terræ, aquę, aeris, hominis, equi, & omnium corporum, eo pacto, quo materia rotundi non est aliquid actu rotundum per seipsum, neque, actu quadratum, nec figuratum vlla figura, sed subiectum rotundabile, qua-
drabi-

ſtrabile, ac figurabile quacumque figura.

Vtrum materia prima ſint atomi, ſeu plura corpuſcula ingenerabilia & incorruptibilia. Quæſtio IV.

POſt ſectas Philoſophorum, qui dixerunt materiam primam eſſe vnicũ corpus, quas iam reiecimus, ſequuntur aliç ſectæ eorum, qui dixerunt materiã primam eſſe plura corpuſcula, quæ vocarunt atomos (nomen autem atomi ſignificat inſectibile, vel indiuiſibile) vel eo quod putarint talia corpuſcula eſſe mathematicè, ac penitus indiuiſibilia, vel eo quod cenſuerint illa eſſe diuiſibilia quidem mathematicè, ita vt habeant trinam dimenſionem, ſed eſſe phyſicè hoc eſt ad ſenſum indiuiſibilia, eo quod propter paruitatem nequeat ſenſus partes in ipſis diſtinguere: has autem ſententias diſputando examinabimus hac quæſtione.

Videtur ergo vera eſſe ſententia Empedoclis, Democriti, Leucippi &c. quos Ariſtoteles refert primo Metaphyſicorũ, ſumma 2. cap. 3. & alibi paſſim, quam opi-

opinioné ab Ariſtotele reiectā & diu iā ex academijs, ac mentibus hominum exulantem, denuò noſtro ſæculo explicarunt, ac defenderunt plures recentiores Philoſophi, Mathematici, ac Medici ex omnibus pene prouincijs Europæ, ac nominatim Galileus de Galileis Italus, Renatus des Cartes Gallus, Sebaſtianus Baſſanus in duodecim libris ſuę Philoſophiæ aduerſus Ariſtotelem, alijque permulti, quod prima rerum materia ſint plures atomi, ſeu parua corpuſcula, vel æterna, & improducta vt dicebant Gentiles, vel à *Deo* creata in tempore, vt iam dicunt Chriſtiani, ex quibus corpuſculis diuerſo modo inter ſe diſpoſitis, & ordinatis non à caſu, vt aſſerebant Democritus, ac Leucippus, quos in ſuis carminibus ſequitur Lucretius, ſed à diuino intellectu, ac diuina ſapientia, vt docuit Anaxagoras ab Ariſtotele idcirco laudatus, vt docent Auctores Chriſtiani; ex quibus inquam corpuſculis diuerſo modo diſpoſitis, & ordinatis, res omnes fiant, ac componantur, ita vt nullum corpus, nulla forma, vel qualitas fiat de nouo, ſed ſolum corpuſcula, quæ iam erant, diuerſimodè diſponantur, & ordinentur inter ſe. Primò quia eodem pacto fiunt effectus naturales à natura quo fiunt artificiales ab arte: ars enim imita-

imitatur naturam, vt discipula magistram; sed effectus artificiales fiunt ab arte per diuersam dispositionem corporum magnorum, aut paruorum, vt patet inductione vniuersalissima; domus enim fit dispon ẽdo lapides, qui ante erãt; si ijdem lapides aliter disponantur fit templum, atque innumera genera ædificiorum summè inter se differentium: similiter etiam ex lignis ijsdem vno modo dispositis fit scamnum, vel cathedra, vel sedes, vel nauis &c: in pictura si parua corpuscula colorata vno modo disponãtur in tabula, fit homo pictus; si aliter disponantur, fit leo, vel aliæ quæcumque rerum species: quod etiam contingit in opere musiuo per diuersam dispositionẽ lapillorum; in opere phrygio per dispositionem filorum, atque in alijs innumeris artibus: ordinando etiam, ac disponendo viginti quatuor litteras Alphabeti fiunt voces innumerabiles specie diuersæ &c; ergo etiam Deus, ac natura multò potentior, ac sapientior arte diuersimodè disponendo, ac ordinando varia corpuscula ab initio creata faciet omnes corporum species; e.g. disponendo corpuscula vno modo faciet leonem, eadem alio modo disponendo faciet canem, aut equum, & quamcumque speciem animalium, plantarum, & rerum inanimitarũ

Ex quo consequenter infertur primo, quod sicut cum fit domus, aut aliud artificiatum, nullum corpus fit de nouo, sed lapides & corpora, quæ erant antè, diuerso modo disponũtur; sic cum fit equus, nullum corpus fit de nouo, sed corpuscula, quæ erant ante, diuerso modo disponuntur.

Infertur 2. quod sicut forma, qua res artificiales constituuntur in suo esse, ac differunt ab alijs artificialibus, est sola dispositio corporũ, ita forma rerum naturalium est certa dispositio corpusculorum: e.g. forma leonis, quæ vocatur anima leonis, est certa dispositio corpusculorũ, per quam differt ab equo, cane &c. Excipiunt Catholici hominem, cuius forma est anima rationalis, spiritualis, & immortalis, atque à corpusculis separabilis, cum profectò corpusculorum dispositio à corpusculis separari non possit.

2. In rebus Physicis debemus sequi sensum; sed per sensum nihil aliud videmus, quam corpuscula, & eorum dispositionem, e.g. in leone videmus varias partes, ac membra, & eorum dispositionem; videmus corpuscula carnea, corpuscula ossea, corpuscula humida, sanguinea, pituitosa &c, & dispositionem, atque ordinationem talium corpu-

sculorum; ergo debemus dicere, quod in rebus nihil aliud sit, quam corpuscula, & eorum dispositio.

3. Est axioma per se notum *ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti*; sed si aliquod corpus, e.g. ignis fieret de nouo, fieret ex nihilo: nam antea non erat, atque adeò erat nihil, & postmodum fit; ergo nullum corpus fit de nouo. Et licet *Peripathetici* respondeant ignem, & alia corpora fieri ex nihilo sui, quia ignis, qui fit, ante non erat, atque adeo erat nihil, sed non fieri ex nihilo subiecti, quia ante erat subiectum ignibile, tamen hoc non videtur sufficere, quia æquè repugnat aliquid fieri ex nihilo sui, ac repugnet fieri ex nihilo subiecti.

4. Illa sententia, per quam omnia benè explicantur, est vera; sed per istam sētētiā omnia clarissimè, & optimè explicātur; ergo est vera. Probatur minor inductione, atque explicatione plurimorū.

Primo explicatur, cur aliquando dicatur vna res simpliciter destrui, alias res simpliciter fieri; aliquando verò res non dicatur simpliciter destrui, sed solum aliquantulum alterari; e.g. cum ex ligno fit ignis, dicitur lignum simpliciter destrui: at cum lignum fit calidum, aut nigrum, non dicitur simpliciter destrui, sed solum alterari. Ratio est, quia sicut in

in pictura cum dispositio colorum vald variatur, vt cum ex equo fit arbor, di citur destrui figura equi, ac fieri figura arboris, at cum fit parua varirtio, it vt equus pictus fiat aliquanto pulchrioı & viuacior, dicitur solum figura equ aliquantulum alterari; sic in natura cur fit magna variatio in dispositione corpu sculorum, vt quando ex ligno fit ignis tum res dicitur simpliciter destrui, a cum fit parua variatio, dicitur solum al terari. Ideo destructio simpliciter est ma gna variatio in dispositione corpusculo rum; alteratio est solum parua variati in tali dispositione.

Secundo explicatur, quid sit ignis quomodo producatur, quomodo calefa ciat, illuminet, ac faciat illos mirabi les effectus, quos videmus. Ignis es multitudo corpusculorum subtilissimorũ & acutissimorum cum figura pyramida li habentium vim trahendi ad se vndiqu alia corpuscula, eaque per suas acutissi mas pyramides scindendi, ac diuidendi habet etiam vim emittendi vndique cor puscula minima, & quasi paruas sagittu las. Vtraque vis trahendi, & emittend corpuscula constat experientia. Nam ignis trahit oleum, vel aliud alimentũ & radios quaqua versus emittit. Cum verò lignum, aut puluis tormentarius in

cenditur, non fit de nouo ignis, qui non erat, sed prodit, & apparet ignis, qui latebat in ligno, vel puluere. Sicut enim cum frumentum mola conteritur, ac diuiditur, apparent innumera corpuscula farinæ, quæ ante erant, sed latebant clausa granis frumenti; sic in ligno, vel puluere sunt innumera veluti parua grana plena igne, quæ grana ignis admotus penetrat, aperit, ac diuidit suis acutissimis cuspidibus, ita vt foras prodeat ignis latens, eo pacto, quo foras prodit farina, disruptis, ac diuisis granis frumenti. Hæc verò grana ligni, vel pulueris plena igne propter suam paruitatem, nec ferro, nec mola, nec alio instrumento possunt aperiri, sed solis cuspidibus minimis, & acutissimis ignis. Id verò confirmatur, quia cum aliquid iam est redactum in cineres, non potest amplius incendi, quia nimirum in granulis cineris non amplius latet ignis educibilis in lucem.

Combustio est scissio, ac diuisio corporum per cuspides acutissimas ignis, ita vt prodeat totus ignis, qui latebat, & remaneat tantum cinis vltimò diuisus.

Calefactio moderata est titillatio, ac vellicatio per paucas particulas igneas. Est autem tactui iucundissima, quia illæ

parti-

particulæ igneę leuiter titillant, ac vellicant tactum, poros aperiunt &c. At calefactio vehemens est summè dolorifera, quia tum corpuscula ignea magno numero irruentia omnia diuidunt, ac disrumpunt, cum summo sensu doloris.

Illuminatio est emissio subtilissimorum radiorum; seu cuspidum ignearum titillantium oculos habentes tactum delicatissimum, atque adeò aptum ad percipiendam illam leuissimam titillationem radiorum, quam cęterę corporis partes, vtpotè habentes tactum obtusiorem, nequeunt percipere. Lux vero vehemens oculos lędit, quia ingens corpusculorũ concursus non iam leuiter titillat, sed irrumpit, ac scindit.

Omnes igitur sensus nihil aliud sunt, quã quidã tactus acutior, aut minus acutus adeoque percipiens minutiores, aut minus minutas differentias titillationum. Obtusissimus tactus est, qui toto corpore diffunditur, solusque vocatur simpliciter tactus, ideoque percipit, ac distinguit solum ingentes titillationes. Aliquantò acutior est qui residet in palato, & vocatur gustus, ac percipit titillationes minores corpusculorum, qui vocantur sapores. Tactus, qui est in naribus, percipit adhuc minores differentias

titillationum prouenientium ab alijs corpusculis, quę quia tali modo titillant nares, vocantur odores. Tactus, qui est in auribus, percipit titillations aeris leuissimè moti, atque crispati, qui aer motus dicitur sonus. Demum tactus oculi percipit titillationes tenuissimas minimorum corpusculorum igneorum, quę corpuscula vocantur lux. Sol autem, ignis & corpora lucida sunt, quæ emittunt quaquaversus radios, seu corpuscula subtilissima, vt patet experientia. Videntur verò hæc corpora trahere ad se alimentum, & emittere corpuscula, eo pacto, quo animal per respirationem trahit, & emittit aerem. Non igitur calor, aut lux sunt qualitates de nouo productæ, sed sunt corpuscula, quæ erant ante, & emittuntur à corporibus quibusdam, quæ idcircò vocantur calida, & lucida.

Proportionaliter explicatur, quid sit terra. Est enim multitudo corpusculorum cubicorum, hoc est contentorum sex superficiebus quadratis ęqualibus, cuiusmodi sunt tali lusorij. Ideò terra est stabilissima, quia corpora cubica facillimè consistunt, ac quiescunt. Aqua videtur esse multitudo corpusculorum cum aliqua rotunditate, quę idcirco facillimè mouentur, ac defluunt, cum res rotundę

dæ ſint facilè mobiles, ac volubiles. Proportionaliter philoſophantur de aere, & alijs corporibus. Licet autem quidam dicant corpuſcula differre ſolum figura, eo quod alia ſint quadrata, alia rotunda &c. ordine, eo quod vnum ſit prius, aliud poſt, eo pacto, quo Da, differt ab Ad; ſitu, eo pacto, quo A erectũ differt ab ᗅ iacente: melius tamen aſſerunt alij, quod differunt etiam natura antecedenter, per quam naturam mouentur diuerſis motibus, alia ſurſum, alia deorſum; figurantur diuerſis figuris; quędam trahunt alia corpuſcula, alia trahuntur, eo pacto, quo magnes trahit ferrum, & ferrum trahitur à magnete.

Tertiò optimè explicatur cauſa mouens, atque ordinans iſta corpuſcula. Epicurus, atque Democritus dixerunt corpuſcula infinito tempore volitaſſe per infinitum ſpatium, atque infinities infinitis modis eſſe combinata, donec caſu coaluerint in hanc Mundi molem, quam videmus. At hęc opinio ſtultiſſima eſt. Abſurdius enim dicitur pulcherrimum ordinem Mundi factum caſu, quam diceretur pulcherrimum Virgilij Poema caſu compoſitum ex characteribus, qui diu volitantes tandem in magna planitie caſu ſint ita diſpoſiti, vt formarent Aeneida. Sapienter igitur Anaxagoras

dixit corpuscula ab initio ordinata fuisse ab intellectu diuino, & idcirco Aristoteles Anaxagoram laudat primo Metaphysicæ, capite tertio, comparans illũ ad alios, sicut sobrium ad ebrios. Dicendum igitur cum Anaxagora, quod ab initio diuina sapientia immediatè per seipsam corpuscula ita ordinauit, vt constituerent pulcherrimam Mundi molem, eo pacto, quo pictor ita ordinat colores in tabula, vt faciat Mundum pictum Deinde vero ipsa corpusculorum natura causat motus varios, variasque combinationes, præsertim per litem, & amicitiam, vt dicebat Empedocles, hoc est per sympathias, & antipathias, seu per virtutes, quibus vnum corpusculum trahitur, aliud trahit, quæ virtus dicitur sympàthia, & amicitia; & per virtutes, quibus vnum corpusculum expellit, aliud expellitur, ac refugit, quæ virtus dicitur antipathia, lis, atque discordia,.

Explicatur. Semen lactucæ iactum in terra facit talem combinationem corpusculorum, per quam constituitur lactuca. In eo enim semine dantur corpuscula, quæ habent vim trahendi ad se ex terra, aqua, & aere proximo corpuscula aptà ad constituendam lactucam, & expellendi alia corpuscula ad talem consti-

constitutionem inepta. Trahit igitur corpuscula apta, & ex quibusdam format truncum, ex alijs folia, & partes eorum &c. Quod verò in seminibus detur vis tractiua, ac dispositiua corpusculorum, patet experientià. Non aliter enim ex seminibus nascuntur plantæ, & animalia, nisi in quantum à seminibus trahuntur, ac disponuntur corpuscula, prout oportet ad formationem eius, quod nascitur. *S*icut enim arbor iam nata habet vim trahendi corpuscula & illa ordinandi ad faciendum corticē, medullam, frondes, flores, & fructus, ideoque dicitur trahere succum, & humorem ex terra; sic in seminibus datur talis vis primò trahendi corpuscula, ac disponendi ad primam formationem arboris: quod etiam proportionaliter dic de animalibus.

Quarto potest hinc explicari celebris sententia *Pythagoræ*, quod formę rerum omnium sint numeri, & consonantię musicales. Putabat ille cum Democrito materiam omnium rerum esse corpuscula, formam esse certam dispositionem corpusculorum; e.g. talem dispositionem corpusculorum esse formam leonis, aliam esse formam equi &c. Vt explicaret, quanam dispositio corpusculorum esset forma cuiusque, dicebat, quod corpuscula

 debent

ebent ita disponi, vt habeant inter se roportionem numerorum, quæ cum inenitur in sonis, facit harmoniam, & onsonantiam. Sicut igitur consonantia ihil aliud est, quam multitudo sonorum ta dispositorum, vt habeant inter se roportionem harmonicam numerorum, uæ proportio est forma, & harmonia; ic res naturales, e.g. Leo, Canis, Pinus, unt multitudo corpusculorum ita dipositorum, vt habeant proportionem harmonicam numerorum, ideoque numeri siue consonantia, & harmonia sunt orma rerum naturalium, variæ verò es naturales constituuntur, ac differunt per varias proportiones harmonicas corpusculorum, hoc est per varios numeros, harmonias, & consonantias musicales.

Respondeo, ac dico primo, quod etiāsi concedamus Atomistis omnes res naturales constitui per combinationem, & ordinationem corpusculorum, adhuc nihil melius saluatur in ipsorum opinione, quā in sententia Aristotelis principiū illud, *Ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti*. Ratio est, quia ipsa dispositio corpusculorum, per quam ita ordinantur, vt fiat leo e.g debet esse forma positiua à corpusculis distincta; sed hæc forma fit ex nihilo sui, & ex potentia subiecti; antequam

quam enim leo fieret,non erat actu forma leonis, hoc est dispositio corpusculorum, per quam leo constituitur, atque adeo illa forma,& dispositio erat nihil; erat tamen subiectum potens habere talem dispositionem,nimirum erant corpuscula sic disponibilia, ergo illa dispositio corpusculorum est forma,quę fit ex nihilo sui, & ex potentia subiecti, hoc est ex corpusculis potentibus sic disponi. Motus etiam corpusculorum est aliquid distinctum à corpusculis mobilibus, quod fit ex nihilo sui: cum enim corpuscula non mouebantur,non erat motus, & sic motus erat nihil,& non ens, & erat subiectum mobile, quod poterat habere motum, ex quo subiecto mobili fit motus; ergo etiam Atomistę debent concedere, quod aliqua forma, & actus fiat ex nihilo sui, & ex potentia subiecti, ac nihil melius defendunt principium illud, quam Aristoteles.

Huic argumento non possunt aliter respondere, quam dicendo motum corpusculorum, & dispositionem nihil esse distinctum à corpusculis. Sed conuincuntur euidenter. Nam est manifestum,quod id, per quod corpuscula, quę possunt esse leo, & non esse leo, constituuntur actu leo, est quid positiuum distinctum à talibus corpusculis. Quis enim dubi-

cti quod actus constitutiuus leonis in esse leonis animalis perfectissimi sit actus positiuus, & valdè perfectus? Sed corpuscula, quæ possunt esse leo, & non esse leo, per talem dispositionum constituũtur actu leo perfectissimum animal; ergo dispositio corpusculorum est aliquid positiuum à corpusculis distinctum: alioquin aut ipsum esse actuale leonis non esset quid positiuum, aut esse actuale leonis non esset quid distinctum ab eo, quod potest esse leo, vel non esse leo, quorum vtrumque est absurdum.

Secundo dico, quod non omnes formæ, quæ producuntur, sunt motus, aut impulsus, aut dispositio corpusculorum, licet omnes formę, vt sæpe docet Aristoteles, producantur non sine aliquo motu; sed aliud est quod hoc non fiat sine illo, aliud quod hoc sit illud: e.g. aliud est quod animal non ambulet sine pedibus, aliud est, quod ambulare nihil aliud sit, quam habere pedes. In casu nostro transeat, quod quando tangimus, quædam corpuscula, impellant, moueant, ac titillent tactum, cum gustamus, corpuscula sapida titillent palatum &c. Adhuc tamen dico, quud licet sensationes non dentur sine motibus, impulsibus, ac titillationibus organorum sentientium, ipsum

ipsum sentire non est sensum moueri, a titillari, sed est percipere motus, ac titilationes, & alia obiecta.

Probatur autem primo, quia licet aliquis non sentiat se comburi, secari, a verberari, nisi cum secatur, comburitur, ac verberatur; aliud tamen est, quod secetur, comburatur, ac verberetur aliud est, quod percipiat, & sentiat sectionem, combustionem, ac verberationẽ ergo licet sensus non percipiat se titillari, nisi cum actu titillatur, ac mouetur à corpusculis, aliud tamen est sentire titillationem, aliud est ipsum titillari.

Secundo probatur, quia actus sentiendi non potest dari, nisi in sensitiuo, e.g. in lapide dari non potest actus sentiendi sed actus, quibus aliquid titillatur, mouetur, secatur &c. possunt etiam dari in rebus non sensitiuis, e.g. in ligno; ergo tales actus sunt diuersi, ac differentes ab actibus sentiendi. Confirmatur, quia si ego reddor sentiens per talem titillationem, est impossibile, vt similis titillatio ponatur in ligno, vel in quolibet alio subiecto, quin sentiat, eo pacto, quo quia ego moueor circulariter per motum circularem, non potest similis motus circularis poni in vllo subiecto, quin moueatur circulariter per talem motum;

sed

ſed ſimiles titillationes, & motiones poſſunt etiam poni in ſubiectis inſenſibilibus, quę per illas non ſentirent; ergo ſentire non eſt titillari, ac moueri, ſed eſt aliquid aliud.

Tertio, & à priori probatur, quia imago alicuius diſtinguitur ab exemplari, cuius eſt imago: omnis enim imago fit per imitationem exemplaris, ac non eſt exemplar; ſed ſenſationes, quibus percipimus nos titillari, moueri, impelli &c. ſunt imagines vitales talium motuum, & titillationum, vt patet experientia; ergo ſunt aliquid diſtinctum à talibus motibus, & titillationibus.

Quartò probatur, quia ad titillationes, motus, & impulſus animal ſe habet merè paſſiuè, immo aliquando ſummè his reſiſtit; e.g. cum animal comburitur, aut ſecatur, patitur merè talem combuſtionem cum ſumma reſiſtentia: at verò ad actus videndi, tangendi &c. animal non ſe habet merè paſſiuè, ſed vitaliter concurrit ad illos; ſed actus, ad quos animal actiuè, & vitaliter concurrit, diſtinguuntur ab ijs, ad quos merè paſſiuè ſe habet; ergo actus ſentiendi diſtinguuntur à titillationibus &c.

Tertio dico: non omnes ſenſationes eſſe tactiones, nec omnes ſenſus, eſſe tactus, vt docent Atomiſtæ, licet verè

omnes

omnes sensus sint coniuncti cum sensu tactus; e.g. oculus est coniunctus cum sensu tactus, quia oculus non solum videt colores, & lucem, sed etiam percipit, ac tangit pulueres, qui in oculos intrant, & alia, quę nullo pacto videt, idemque dic de cæteris sensibus. Adhuc tamen aliud est, quod oculus videat, aliud quod tangat. Probatur, quia oculus videt lucem, & colores distantissimos, e. g. videt lucem solis, ac stellarum, videt albedinem existentem in pariete &c; sed profecto oculus non tangit lucem solis, ac stellarum, nec albedinem parietis distantis; ergo videre non est tangere; nec sensus visus est tactus. Idem proportionaliter dic de cæteris. Ex his habes magnam, & specificam differentiam inter visum, & tactum. Neque enim visus est tactus delicatissimus. Nam tactus etiam delicatissimus non potest tangere obiecta distantissima, sed solum summè propinqua, quæ idcirco vocantur tangentia; sed visus percipit obiecta distantissima; ergo visus non est tactus delicatissimus.

Quarto dico illuminationem non esse emissionem corpusculorum, licet ignis habeat vim emittendi quędam corpuscula; vt patet experientia in fumo, & scintillis. Addo etiam lucem non esse corpuscula tenuissima vellicantia oculos,

licet

cet verè cum videmus, detur aliqua ellicatio oculorum.

Probatur; quia cum corpus emittit orpuſcula per motum localem, illa coruſcula prius perueniunt ad locum proinquiorem, deinde ad diſtãtiorẽ; ſed lux imul peruenit ad locũ propinquiorem, & ad locum longiſſimè diſtantem in eadem linea recta: cum enim mane ſol oritur, ſtatim radius protenditur per immenſam lineam rectam, nec prius peruenit ad partem propinquam, quam ad diſtantiſſimam eius lineæ; ergo illuminatio non eſt emiſſio corpuſculorum, & ux non conſiſtit in corpuſculis, ſed eſt qualitas, quę ſimul, ac ſemel propagatur per immenſum ſpatium ſine motu locali. Sequitur ex his lucem non conſiſtere in corpuſculis vellicantibus oculum, vt dicunt Atomiſtæ. Addidi tamen ſimul cum viſione dari aliquem motum, & quaſi vellicationem oculorum per dilatationem, vel conſtrictionem pupillæ. Sed aliud eſt, quod non videamus ſine aliqua vellicatione, aliud quod videre ſit vellicari, & quod lux conſiſtat in corpuſculis vellicantibus. Primum eſt verum, alia duo ſunt falſa.

Reſpondent Atomiſtę lucem propagari per motum velociſſimum, ideoque imperceptibilem, & inſenſibilem à nobis.

bis. Sed mirum est Philosophos, qui profitentur se in omnibus sequi sensum, velle, vt negemus experientiam sensuum in re patentissima, quę est proprium obiectum sensuum. Addit Aristoteles tolerabile fore, si dicerent nos non percipere motum aliquem, qui fieret raro in spatio paruo, & obscuro; sed quis ferat dicentes nos non percipere motū lucis, quæ est summè visibilis, motum, qui fit continue, non in paruo spatio: sed in tota aeris, ac cælorum immensitate. Aduertendum est tamen, quod licet lux non sit corpus, neque propagetur vt corpuscula, alioquin prius perueniret ad locum propinquum, quam ad distantem, adhuc lux in multis imitatur naturam corporum, præsertim in reflexionibus, vt dicetur suo loco. Sed sicut ex eo, quod simia in multis sit similis homini, non sequitur, quod sit homo, ita licet lux in multis propagetur vt corpus, non sequitur, quod sit corpus, quia non propagatur vt corpus in præcipuo, nimirum in hoc, vt prius perueniat ad vnā partem lineæ, quam ad aliam distantiorem à luminoso.

Quinto dico calorem, & frigus non esse corpuscula, sed qualitates corporum, & calefactionem non esse emissionem corpusculorum, sed productionem qualitatis,

litatis, licet ad calefaciendum valde iuuet corpusculorum emissio, atque intima coniunctio.

Probatur, quia sequitur, quod aquam fieri calidam formaliter non esset produci in aqua qualitatem aliquam caloris penetratam cum aqua, sed esset admisceri cum aqua plura corpuscula ignea, eo pacto, quo cum aqua coloratur admixto vino, non producitur in aqua vllus color, sed cnm aqua admiscentur particulæ minimæ vini; sed hoc dici non potest; ergo &c: Probatur minor, quia cum illæ particulæ igneę naturaliter ferantur sursum, sequitur, quod ex parte inferiore aquę paulatim ascenderent ad partem superiorem, & sic pars inferior aquæ remaneret frigida, parte superiore adhuc calida, quod est contra experientiam, per quam videmus partes aquæ simul refrigerari. Fateor ad calefactionem valde concurrere istam admixtionem corpusculorum. Corpuscula enim calida admixta aquæ vndique illam calefaciunt.

Sexto dico: sententia negans vniuersim accidentia distincta à corpusculis habet difficultatem in fide, & in Mysterio Eucharistiæ.

Probatur, nam est de fide in Eucharistia nil remanere substantiæ panis, & vini,

vini, remanere tamen ſpecies ſenſibiles; ergo ſpecies, quæ remanent, non ſunt corpuſcula; nam corpuſcula ſunt ſubſtantia. Scio aduerſarios reſpōdere remanere quædam corpuſcula, quæ licet ſint ſubſtantia, non tamen ſunt ſubſtantia panis, & vini, ſed merè conſtituunt illam externam apparentiam, quæ intelligitur nomine ſpecierum ſenſibilium. Sed videtur valdè difficile, quo pacto corpuſcula, quę conſtituunt apparentiam panis, & vini, nihil ſint ſubſtantiæ panis, & vini. Subſtantia enim panis, & vini, per Aduerſarios ſunt corpuſcula certò quodam modo vellicantia tactum, cum tanguntur, palatum dum comeduntur; ſed hęc corpuſcula remanent, & ſunt ſubſtantia; ergo remanet aliquid ſubſtantię panis, & vini, quod eſt contra fidem, & contra Concilium Tridentinum.

Septimo dico: in animalibus pręter diſpoſitionem, & combinationem corpuſculorum datur anima, quæ eſt forma ſubſtantialis diſtincta à tali cōbinatione.

Probatur primo, quia id, per quod leo eſt actu leo perfectiſſimum animal, eſt aliquid ſubſtantiale, & non eſt accidens: videtur enim manifeſtum, quod ſubſtantia leonis non eſt ſola potentia, quæ poteſt eſſe leo, & non eſſe leo, ſed multo

magis

magis ad ſubſtātiam leonis ſpectat actus, quo leo eſt actu leo perfectiſſimum animal; ſed combinatio, ac diſpoſitio localis corpuſculorum non eſt aliquid ſubſtantiale, ſed eſt merum accidens corpuſculorum, eo pacto, quo in exercitu hoc quod eſt milites eſſe ſic diſpoſitos eſt merum accidens militum; ergo id, per quod leo eſt actu leo, eſt forma ſubſtantialis diſtincta combinatione corpuſculorum. Adde, quod ſi dicant combinationem corpuſculorum eſſe formam ſubſtantialem, iam concedunt de nouo produci aliquam formam ſubſtantialem.

Secundo probatur, quia id, per quod corpuſcula, quæ ſecundum ſe poſſunt eſſe viua, & non eſſe viua, eſſe ſenſitiua, & non eſſe ſenſitiua, conſtituuntur actu viua, & ſenſitiua, non eſt ſola combinatio corpuſculorum, ſed eſt aliquid multo nobilius combinatione; ſed corpuſcula, ex quibus conſtituitur leo, poſſunt eſſe viua, & non eſſe viua, poſſunt eſſe animal ſenſitiuum, & non eſſe animal ſenſitiuum: ergo anima, qua conſtituuntur viua, & ſenſitiua, eſt aliquid multò perfectius combinatione corpuſculorum. *Dicere* verò, quod corpuſcula conſtituantur viua, & ſenſitiua per diſpoſitionem localem, eſt ſimile, ac ſi quis diceret poſſe rem aliquam viuere, ac reddi

di sensitiuam per figuram ; e.g. quod ferrum secundum se non viuum, nec sensitiuum possit conformari in talem figurā, vt per illam ipsam figuram constitueretur formaliter viuum, & sensitiuum, ita vt posset currere, saltare, & exercere omnes operationes equi.

Ratio à priori est, quia figura potest reddere formaliter figuratum, E.g. quadratum, aut rotundum; at non potest figura reddere formaliter sapientem, vel cognoscentem, vel amantem, vel viuentem vita hominis, aut leonis &c. In casu nostro dispositio corpusculorum potest quidem corpuscula reddere sic, vel aliter disposita: at non potest illa reddere formaliter viua, nec sensitiua, nec appetitiua, nec variæ dispositiones possunt reddere corpuscula viua vita leonis, aut vrsi, vel canis &c; ergo anima, qua res constituuntur viuentes, sensitiuæ &c. non est dispositio corpusculorum, nec variæ animæ sunt variæ dispositiones, sicut animę non sunt figuræ, nec varię animæ sunt figuræ, situsque diuersi. Alioquin posset dici, quod scientię sint figuræ, & varię scientię sint diuersæ figurę, e.g. quod Logica sit figura triangularis, Physica sit figura rotunda.

Tertiò probatur, quia sicut est euidēs, quod lapides in domo sunt ita dispositi

non

non ad hunc tantum finem, vt sint ita dispositi, sed vt possit in ipsis habitare aliquis, qui vtatur illis lapidibus sic dispositis, ita videnti in leone corpuscula esse ita disposita, vt forment vngues, dentes, oculos, aures &c. est euidens quod non sint ita disposita solum, vt sint ita disposita, sed vt habitet in eo corpore anima, quæ corpusculis vtatur, & dominetur, e.g. vtatur oculis ad videndum, dentibus ad comedendum, auribus ad audiendum &c. Quod verò hæc anima sit sola corpuscula, vel eorum dispositio est sicut si diceretur, quod Dominus, & habitator palatij sint lapides, vel eorum dispositio.

Quartò probatur, quia quis credat corpuscula; quæ separata non possunt videre, non possunt audire non possunt appetere, non possunt moueri nisi deorsum, aut sursum, per hoc præcise, quod certo modo disponantur, eo ipso posse videre, audire, currere, saltare, pugnare, & exercere omnes operationes leonis, equi, vel canis? Quis non videat has operationes procedere ab anima habitante in corpusculis sic dispositis, & ipsis vtente, quæ anima sit forma multo perfectior dispositione locali corpusculorum.

Quintò demum probatur, quia ex modo

modo philoſophandi iſtius ſententiæ, diſponitur intellectus ad dicendum non dari in homine aliam animam, quam diſpoſitionem corpuſculorum; non dari in Mundo aliam cauſam, quam corpuſcula diſpoſita, atque adeo non dari Deum, & prouidentiam. Probatur ſequela: nam ſi corpuſcula poſſunt ita diſponi, vt per ſolam diſpoſitionem faciant mirabiles operationes, quas videmus in cane, vt videant, audiant, cognoſcant Dominũ, & illi obediant, cur non poſſunt ita diſponi, vt faciant operationes intelligendi, quas experimur in homine? cur diſpoſitio omnium corpuſculorum in Mundo non poteſt eſſe cauſa omnium operationum, quas in Mundo videmus, ita vt Deus vel non detur, vel nihil agat? Hinc eſt, vt conſequenter ad ſua principia Democritus, Epicurus, Lucretius, & alij antiqui dixerint animam hominis eſſe diſpoſitionem corpuſculorum, adeoque mortalem, negarint diuinam prouidentiam, ac poſuerint Deos otioſos, ac nihil agentes, hoc eſt ſimul aſſeruerint dari Deum, ſimul negarint. Si enim Deus nihil agit, ex nulla ſua operatione cognoſcitur; ergo cum non videatur immediatè vndè infertur illum eſſe. Ratio à priori eſt, quia ſi intellectus aſſueſcat quoſdam effectus tribuere cauſis improportionatis, diſpo-

isponitur ad refundendos etiam alios effectus in causas improportionatas; sed isti tribuunt operationes animalium, dispositioni corpusculorum, quæ dispositio est causa improportionata; ergo disponuntur ad tribuendas tali dispositioni etiam operationes hominis; ergo licet sola diuina prouidentia sit causa proportionata pulcherrimi ordinis, quem videmus in Mundo, disponuntur ad tribuendum talem ordinem casui, vel fato, vel corpusculis. Præterea eo ipso, quod sensui nimis adhærent, inclinantur ad omnia neganda, quæ sunt supra sensum, & ad ponendam felicitatem in solis delectationibus sensibilibus, vt consequenter ad sua principia posuit Epicurus.

Octauò dico: etiam in plantis datur forma, & anima plantæ distincta à corpusculis, & eorum dispositione.

Probatur primò ex operationibus generationis communibus animalibus, ac plantis. Pyrus enim generat pyrum, nux nucem, leo leonem; sed mera combinatio corpusculorum non habet virtutem generandi sibi, simile; nam domus non generat domum; ergo in plantis vltra corpuscula sic disposita, & ordinata datur forma plantæ, in qua inest vis generatiua sibi similis. Confirmatur, quia lapides dispositi in formam domus non habent

habent vim alios lapides disponendi, sed requiritur ædificator; ergo neque corpuscula sic disposita habent vim alia corpuscula sic disponendi, sed requiritur natura, & forma, quę habet hanc virtutem.

Eodem pacto probatur idem ex operibus nutritionis, atque augmentationis. Nam corpuscula sic disposita non habent vim intrinsecam trahendi similia corpuscula, & illa diuidendi, ita vt se augeãt: neque enim lapides, & ligna disposita in formam domus habent vim trahendi alios lapides, & illos eodem pacto disponendi, ita vt domus proportionaliter crescat, dilatetur, & augeatur, sed ad domum augendam requiritur ędificator; sed planta parua terrę inhęrens per radices trahit succum, & humorem, diuidit illum in partes minutissimas, eundẽ dispensat per omnes poros intromittens, & ex quibusdam particulis, ac corpusculis format corticem, ex alijs lignum, ex alijs medullam, ex alijs frondes, flores, & poma; ergo vltra corpuscula sic disposita datur forma, & anima plãtæ habitans in corpusculis multo perfectior dispositione corpusculorum, habẽs vim diuidendi, trahendi, dispertiendi, ac faciendi omnes alias operationes. Hæc autem forma, & anima, ita se habet in

planta, ſicut Paterfamilias in domo, qui præeſt omnibus domeſticis, continet omnes in officio, & omnibus diſtribuit alimenta, veſtes, & cætera neceſſaria, prout ſingulis conuenit, vt Ariſtoteles ait ſecundo de generatione animalium cap. 4. non multum ante finem per hęc verba. *Perinde enim natura, atque paterfamilias prudens nihil omittere ſolet, ex quo facere aliquid commodi poſſit. Diſpenſatur enim in cura rei familiaris cibus, ita vt optimus detur liberis, deterior ſeruis, viliſſimis ſocijs animalibus.* Pergit explicando, quod eodem modo natura ex ſynceriſſimis partibus alimenti generat, nutrit, & auget partes nobiliores animalium, ac plantarum; ex alijs cæteras partes cum debita proportione, ex excrementis vtilibus vngues, capillos &c. excrementa penitus inutilia eiicit.

Secundo probatur, quia illa diſpoſitio corpuſculorum conſeruari non poſſet tã multis annis, niſi daretur forma dominãs, ac continens talia corpuſcula. E.g. in leone ſunt multa corpuſcula diuerſæ naturæ, & inclinationum contrariarum; quid illa continet vnita tam multis annis? cur leone mortuo ceſſant omnes motus corpuſculorum, omnes operationes nutritionis, &c, ac corpuſcula veluti ſeditione ciuili, ac fuga quadam ſeparantur

tur, ac dissoluuntur, ac leo, putrescit, nisi quia abijt forma, quæ corpusculis præerat, & illa continebat. Idem euenit proportionaliter in plantis, quibus exiccatis (exiccatio autem plantarum proportionaliter respondet morti animalium) decidunt frondes, flores, ac fructus; ergo pręter corpuscula sic disposita datur anima, quę sic illa distribuit, atque disponit, talem dispositionem conseruat, & se habet in planta, vel animali, sicut paterfamilias in domo, vel Imperator in exercitu.

Nono dico: etiã in multis mixtis inanimatis vltra combinationem corpusculorum datur forma continens talia corpuscula proportionaliter respondens animæ plantarum, & animalium.

Probatur ex dictis: nam sicut in arbore pręter corpuscula sic disposita datur forma arboris continens illa corpuscula, ac corpusculis vtens ad suas operationes, sic in metallis, auro, & argento pręter corpuscula sic disposita dantur formæ auri, argenti &c. continentes corpuscula, ac illis vtentes ad suas operationes. Hæc verõ mixta sunt perfecta, & maximè naturalia, cum habeant in se principium intrinsecũ dispositionis corpusculorum. Non tamen nego dari alia mixta imperfecta, & minus naturalia

in quibus non eſt principium intrinſecũ diſpoſitionis corpuſculorum. Huiuſmodi ſunt res artificiales, e.g. domus, lectus, nauis &c: huiuſmodi etiam ſunt plura inartificialia, e g. lutum compoſitum ex admixtione pulueris, & aquæ ſine forma, poſtulante talem admixtionẽ; huiuſmodi etiam ſunt niues, grandines, glacies, & plura eiuſdem generis.

Decimò dico; ignis noſter non eſt prima materia, ſed conſtat ex materia, & forma, & de nouo producitur, nec poteſt ſaluari, quod ſolum erumpant, ac prodeant corpuſcula ignea, quę latebant.

Probatur, quia ſi ignis non produceretur de nouo, quando puluis tormentarius incenditur à ſcintillula, & ſummo impetu eleuat molem ingentem, & grauiſſimam, totus ille ignis latuiſſet in granis pulueris, eo pacto, quo farina latet in granis frumenti; ſed hoc eſt impoſſibile; ergo ignis producitur de nouo. Probo minorem: nam ille ignis habet tantam vim, & tantam inclinationem aſcendendi ſurſum, vt eleuet magnam molem; ergo multo magis eleuaſſet puluerem exiguum: ſimiliter habet tantam vim ſe dilatandi, vt non poſſit impediri, ac coerceri à magnis ædificijs: ergo multo minus potuiſſet coerceri à granulis pulue-

pulueris . Neque diças virtutem vnitam esse fortiorem, ideoque ignem vnitum eleuare molem superimpositam. Nam sicut se habet virtus dispersa ad resistentiam dispersam, ita se habet virtus vnita ad resistentiam vnitam: e.g. si decem homines dispersi non possunt vincere resistentiam aliorum decem dispersorum, quos separatim aggrediantur, neqne decem homines vniti poterunt vincere eosdem decem vnitos; est autem ridiculum dicere, quod decem dispersi vincere nequeant decem dispersos, & quod ijdem decem vniti possint vincere eosdem decē vnitos non solum secum, sed etiam cum alijs decem millibus; sed corpuscula ignea dispersa in granulis pulueris non possunt vincere resistentiam, & grauitatem granulorum dispersorum, & non possunt eleuare granula; ergo est absurdum, quod eadem corpuscula vnita possint vincere non solum resistentiam, & grauitatem vnitam eorumdem granulorum, sed etiam granula vnita cum resistentia maximæ molis, cuius grauitas se habebit ad virtutem granulorum, & eorum grauitatem, sicut decem millia ad decem.

Dicunt aliqui ignem cum continetur in puluere habere cuspidem inuersam in partem inferiorem, atque adeo non

habere vim eleuatiuam sursum, ad quam requiritur, vt cuspis, seu pyramis ignea respiciat partem superiorem, basis respiciat centrum. Sed neque hęc responsio subsistit. Nam si cum puluis est in vno situ, cuspis respicit centrum, quando puluis inuertitur, & ponitur in situ contrario cuspis respiciet Cœlum; ergo tunc corpuscula ignea habebunt vim eleuandi puluerem. Sed quidquid dicant, est incredibile tantum ignem, quantum videmus perrumpere omnia repagula, nec posse detineri vlla vi, contentum fuisse cum summa quiete conclusum intra granula pulueris tormentarij.

Respondent etiam aliqui, quod tum ignis non producitur de nouo, sed corpuscula, quæ latebant, summè calefiunt, & quia euadunt summè calida, acquirunt summam vim se rarefaciendi, & sursum ascendendi, eleuando maximum pondus. Quare sicut cum aqua conglaciatur, non fit productio substantialis aquę, sed aqua quę erat, summè frigescit; ita cum puluis incenditur, non fit vlla productio substantialis, sed corpuscula, quę erant, summè calefiunt.

Sed primo ista respõsio iam concedit, quod cum puluis ignescit, non solum educuntur corpuscula, quæ latebant, sed etiã summè calefiunt per qualitatem caloris

de

de nouo productam, quæ ſit forma di
ſtincta à corpuſculis, & eorum diſpoſi
tione.

Secundo admitto, quod ſicut glacie
non eſt ſola ſubſtantia aquæ, ſed eſt ſub
ſtantia aquæ cum accidente maximi fri
goris conglaciantis, ſic noſter ignis no
ſit ſola ſubſtãtia quarti elemẽti, ſed ſit il
la ſubſtantia quarti elemẽti cũ accident
ſummi caloris. Docet enim id expreſſ
Ariſtoteles 1. meteor. tex. 14. dicens
Ignis caloris eſt exceſſus, & veluti feruor. &
S. Th. in Comment. *Ignis enim ſignifica
exceſſum calidi, & eſt quaſi feruor, & ac
cenſio quædam, ſicut non eſt glacies elemen
tum, ſed quidam exceſſus frigoris ad aquan
congelatam.* Adhuc tamen dico, quo
quando puluis ignefcit, in illa materia
non ſolum producitur feruor, ſeu caloris
exceſſus, ſed etiam producitur forma
ſubſtantialis ignis.

Probatur, quia ille puluis moment
temporis igneſcit, & perducitur ad ſum
mum calorem, ad ſummam vim ſe rare
faciendi, & ſurſum aſcendendi, eleuando,
& diſrumpendo omnia repagula; ſed ſ
non mutaretur ſubſtantialiter, non poſſe
momento temporis perduci ad ſummum
calorem, ad ſummam vim ſe rarefacien
di, & aſcendendi; ergo mutatur ſub
ſtantialiter. Probo minorem: nam faci

 lius,

lius, & citius passum perducitur ad mediocrem calorem ab agente mediocriter calido, quam ad calorem summum ab agente summè calido; & eodem pacto facilius, & citius perducitur ad mediocrem, quam ad summam raritatem; e.g. facilius, ac citius aqua frigida ab agente tepido fit tepida, quam ab agente calidissimo fiat calidissima; facilius, ac citius aer per vim mediocrem mediocriter rarefit, ac condensatur, quam summè rarefiat, ac condensetur per vim magnam; sed puluis tormentarius ab agente non calidissimo difficillimè perducitur ad caloré non summum, & ad aliqualem raritatem, e.g. si aliquis tangat puluerem ligno valde calido, sed non ignito, difficilè, & tardè perducet puluerem ad calorem illius ligni, & per talem calorem nihil, aut parum rarefaciet illum puluerem: è conuerso à minima scintillula momento téporis totus puluis perducitur ad summũ calorem, & summam vim ascendendi sursum; ergo signum est manifestum, quod scintilla non solum calefacit puluerem, sed transmutat puluerem in ignem; puluis verò transmutatus momento temporis per naturam; & formam ignis producit in se summam lucem, summum calorem.

Hinc primo colligitur corpuscula ignea

ignea non esse materiam primam. Patet nam sunt generabilia de nouo, vt probatum est; ergo non sunt materia prima, quæ est ingenerabilis, sed constant ex forma ignis, & materia ignibili; quę per talem formam constituitur actu ignis.

Secundo infertur nulla corpora, vel corpuscula ignibilia esse materiam primam. Probatur, nam omnia hęc sunt corruptibilia: nam cum transmutantur in ignē, corrumpuntur; sed corruptibilia nō sunt materia prima, quæ est incorruptibilis, sed constant ex materia & forma; ergo corpora, vel corpuscula ignibilia nō sunt materia prima, sed cōstāt ex alia materia priori; & quia pleraque corpora, & corpuscula sunt conuertibilia in ignem, vt patet experientia, qua videmus ignem omnia conuertere in ignem, ideò hac vnica ratione probatur de plerisque eorporibus, ac corpusculis non esse materiam primam, sed constare ex materia, & forma.

Vndecimo dico: nulla corpora, vel corpuscula saltem inferiora, (nam de cælestibus non loquor) sunt materia prima, sed omnia constant ex materia & forma.

Probatur, nam omnia corpora, & corpuscula inferiora sunt corruptibilia;

sed materia prima est incorruptibilis; ergo nulla corpora, vel corpuscula inferiora sunt materia prima. Probatur maior, nam omnia corpora,& corpuscula inferiora sunt calefactibilia, ac frigefactibilia contra inclinationem suę naturæ: e.g aqua cum naturaliter sit frigida, potest calefieri, atque idem dic de cęteris; sed quæ sunt calefactibilia, ac frigefactibilia contra inclinationem suę naturę sunt corruptibilia; ergo &c. Probatur minor: nam calefieri, vel frigefieri contra inclinationem suæ naturæ est moueri ad non esse, & ad corruptionem, vt patet in animalibus, ac plantis; animal enim per calorem febrilem, vel per frigus febrile mouetur, ac disponitur ad mortem; plantę etiam per hoc, quod nimis calefiant, aut frigefiant mouentur, ac disponuntur ad exiccationem, quæ est quasi mors plantarum, ideoque calor, & frigus, humiditas, & siccitas vocantur qualitates corruptiuæ, quia disponunt ad generationem, & corruptionem rerum: è conuerso lux dicitur qualitas merè perfectiua, quia subiectum perficit, & non disponit immediatè ad corruptionem, vel generationem rei; sed quę possunt moueri ad non esse possunt peruenire ad non esse, atque adeò possunt corrumpi; quod enim potest

test moueri ad aliquem terminum, po
test ad illum peruenire; ergo omnia
corpora inferiora, ac nominatim 4. ele
menta sunt corruptibilia, atque adeo no
sunt prima materia incorruptibilis, se
constant ex materia, & forma. Si ve
rò corpora cælestia sunt incorruptibilia
sunt etiam incapacia calefactionis, ac fri
gefactionis, ac solum possunt illuminari
& moueri localiter, cum motus localis si
motus perfectiuus, non corruptiuus, lux
sit qualitas perfectiua, & non corrupti
ua. Confirmatur, quia sicut ex eo, quod
febris, ac morbi sint dispositiones, ac
motus ad mortem, bene arguimus, hoc
animal capax est febris, ac morbi; ergo
capax est mortis; sic ex eo, quod vide-
mus calefactiones, ac frigefactiones vio-
lentas esse veluti febres, ac morbos re-
rum, benè arguimus; omnia corpora, &
corpuscula inferiora sunt capacia frige-
factionis, ac violentę calefactionis; er-
go sunt capacia corruptionis.

Ad argumenta contraria patet ex di-
ctis. Ad 1. Eodem pacto fiunt effectus na-
turales à natura, quo fiunt effectus arti-
ficiales ab arte, quo ad multa, non quo-
ad omnia. Ars enim imitatur naturam,
vt discipula magistram, sed non assequi-
tur, ideoque effectus artificiales non sunt
ita perfecti, sicut effectus naturales. Ars

enim facit effectus per corpora, vel corpuscula certo modo disposita: etiam natura facit suas effectus per corpora, & corpuscula certo modo disposita; facit enim leonem certo modo disponendo membra, & partes membrorum, quæ partes paruæ sunt quædam corpuscula: nam partes carnis sunt corpuscula carnea, partes ossis sunt corpuscula ossea, partes sanguinis sunt guttæ sanguineæ: Sed in hoc ars deficit à natura, quod ars ita facit suos effectus corpuscula disponendo, vt ponat solam dispositionem corpusculorum: at natura vltra dispositionem corpusculorum ponit formam substantialem, ac naturam, hoc ect intrinsecam vim conseruandi talem dispositionem, augendi se cum eadem dispositione, & alia corpuscula similiter disponendi, vt explicatum est.

Ad 2. Quęst. secunda in solutione primi argumenti explicatum est principium illud: debemus sensum sequi.

Ad 3. In prima conclusione huius quęstionis ostensum est principium, illud, ex nihilo nihil fit, non melius saluari in sententia Atomistarum, quam in opinione Aristotelis.

Ad 4. Iam est ostensum in opinione Atomistarum plurima non posse saluari. Indicium verò veritatis inuentæ est


cum

cum omnia congruunt: cum verò mu
ta non congruunt, indicium est fals
tatis.

Ad vltimum de harmonia Pythagora
manifestum est Pythagoram vltra dispo
sitionem corpusculorum posuisse formas
Dixit enim animas, & formas easdem
numero ex vno corpore transmigrare
in aliud, cum profectò dispositio corpu
sculorum transmigrare nequeat ex vno
corpore in aliud. Posuit ergo forma
rerum esse numeros & consonantias, ho
est corpuscula ita disposita, vt habean
propoitionem harmonicam numerorum
sed addidit præterea dari animam, &
alias formas substantiales, quæ conso
nantiam corpusculorum causet, ac con
seruet, eo pacto, quo Præfectus musica
causat, ordinat, ac conseruat consonan
tiam musicalem. Quando verò anima
moritur, vel planta exiccatur, abeunte
anima, quæ causabat consonantiam, pe
rit corpusculorum harmonia, & conso
nantia.

Quod corpuscula in animalibus, a
plantis sint disposita mirabili quadam
proportione, & quasi consonantia, cu
præsidet anima, est manifestum: e
etiam clarum quod morbi consistunt in
perturbatione talis consonantiæ, & quo
talis perturbatio causat mortem. Vtru
verò

verò proportio corpusculorum sit proprie harmonica, an alterius rationis, potest dubitari. Sed videtur figmentum, quod propriè sit harmonica; quare videtur esse alterius rationis, & harmonica solum metaphoricè. Certum est etiam omnia entia Mundi disposita esse à Deo in numero, pondere, & mensura, mirabili quadam proportione, & consonantia; cui consonantiæ corporum, & motuum pręest primus motor, hoc est Deus, sicut Præfectus Musicæ pręest consonantię musicali; sed hęc consonantia non est propriè harmonica, sed alterius rationis, merè intelligibilis, & multò præstantior harmonica, quam non percipit sensus, sed solus intellectus contemplans pulcherrimum ordinem, ac proportionem omnium rerum à nullo perturbatam, nisi à peccato, quod tamen Deus corrigens, vel puniens, reducit res ad aliam harmoniam, & consonantiam alterius generis,



Vtrum materia prima sit primum subiectum, quod potest fieri, & esse quodlibet corpus. *Quæstio V.*

VIdetur quod nõ 1. quia si materia prima posset fieri, & esse omnia corpora, omnia corpora possent inuicẽ transmutari; sed nõ omnia corpora possunt inuicem trãsmutari: adamas enim nõ potest transmutari in Muscam, neque Musca in adamantem, nisi concedamus possibilitatẽ fabulosarum metamorphoson; ergo materia prima nõ est primum subiectum, quod possit esse, ac fieri omnia corpora.

2. Si materia esset subiectum, quod posset esse, ac fieri omnia corpora, materia omium rerum sublunarium esset eiusdem rationis, atque adeò materia aquę, & materia ignis esset eiusdem rationis: nam materia aquę est primum subiectum, quod potest esse aqua, ignis, & quodcunque corpus, materia ignis est subiectum, quod potest esse aqua ignis & quodlibet corpus; videtur autem absurdum, quod materia rerum contrariarum sit eiusdem rationis; ergo &c.

Re-

Respondeo cum Aristotele materiam primam esse primum subiectum, quod potest fieri, ac constitui in qualibet specie corporis. Sicut enim cera e.g. est subiectum, quod potest figurari quacunque figura, ideoque potest fieri, & esse quodlibet figuratum cuiuscunque speciei; potest enim fieri, & esse rotunda, quadrata, tringularis &c: sic materia prima est primum subiectum, quod potest formari formis omnium corporum sublunarium, & sic potest constitui in specie cuiuscunque corporis sublunaris: potest enim formari forma ignis, & constitui in specie ignis, forma cineris, & constitui cinis &c. Patet id manifestè ex transmutatione. Lignum potest transmutari in ignem; ergo subiectum, quod formabatur forma ligni, potest formari forma ignis, & constitui ignis; eo pacto, quo quia cera quadrata potest transfigurari in rotundam, illa cera, quæ figurabatur figura quadrata, potest figurari figura rotunda. Ignis potest transmutari in cinerem; ergo idem subiectum potest formari forma cineris, & constitui cinis. Ex cinere in agris sparso, ac terram fæcundante potest fieri, & augeri frumentum &c; ergo idem subiectum potest formari forma frumenti, & panis. panis, si comedatur ab homine, trans-

mutatur

mutatur in carnem animatam anima rationali; ergo potest idem subiectum formari forma carnis, & animari anima rationali: & sic de alijs. Patet igitur primam materiam, ac primum subiectum cuiuscumque rei sublunaris posse formari formis cuiuscumque corporis sublunaris, ac constitui in omnibus speciebus corporis: & quia corpora possunt formari omnibus qualitatibus, quantitatibus, & accidentibus cuiuscunque prædicamenti; possunt enim signrari quacunque figura, colorari quocunque colore calefieri, frigefieri &c, ideò materia prima potest etiam formari formis cuiuscunquæ prædicamenti, ac constitui quodlibet quantum &c. Ideò hanc primam materiam prisci illi Poetæ, ac Theologi adumbrarunt per Protheum illum, qui posset in omnia conuerti.

Ignemque, horribilemque feram, fluuiumque liquentem.

Ex conclusione posita fit manifestũ quod cum materia prima possit constitui in specie cuiusque corporis, secundum se non est in vlla determinata specie corporis, neque est actu corpus, sed solum potentia. Sicut enim figurabile omnibus figuris secundum se non est figuratum vlla figura, & secundum se non est figuratum actu, sed solum potentia, idem-

idemque dic de reliquis; sic subiectum, quod est formabile formis omnium corporum, secundum se non est formatum forma vllius corporis, imo non est corpus actu, sed potentia, & constituitur corpus actu per formam corporis, e.g. per formam ignis constituitur actu ignis &c.

Hanc essentiam materiæ primæ consistentem in hoc, vt sit primum subiectum modo explicato, adumbrauit Plato in Timeo, & clarè expressit Aristoteles primo met. tex. 8. per hæc verba. *Dico autem materiam, quod neque est quid, neque quantum, neque aliquid aliud quippiam dicitur, quibus ens determinatur; est autem quippiam, de quo horum singula prædicantur*. Sensus est, materia est primum subiectum, quod per se non est quid, hoc est non est actu substantia vllius determinatę speciei, cum secundum se neque sit ignis, neque aqua, neque homo, neque leo, sed potest per formam constitui in specie cuiuscunque substantiæ corporeæ sublunaris; per formam enim ignis potest constitui in specie ignis &c. Similiter secundum se non est quantum, cum neque sit palmaris, neque bipalmaris, sed potest per quantitatem palmarem constitui palmaris, per bipalmarem bipalmaris. Rursus secundum se non est

quale,

quale, cum neque sit alba, neque nigra per seipsam, sed potest per albedinem constitui alba, per nigredinem nigra, &c.

Ad 1. Concedo sequelam. Verum est enim omnia corpora posse inuicem transmutari. Non tamen omnia possunt transmutari inuicem immediatè, & proximè, sed quædam possunt inuicem transmutari solum mediatè, & remotè. Sicut enim ex quocunque loco potest iri ad quemcumque alium locum, e.g. ex Italia potest transiri in Germaniam, Poloniam &c. non tamen immediatè ex Italia possumus ire in Poloniam, sed mediatè prius transeundo per Germaniam, & sic de alijs; ita ex quocunque corpore potest fieri transmutatio, ac transitus in quodcunque aliud corpus, non tamen immediatè, sed via debita, ac naturali, & transeundo per corpora media. Ex. g. Musca potest transmutari in pullum, sed mediatè, & via debita. Est autem via huius transmutationis, vt Musca comedatur à gallina, & ex ea fiat ouum, & ex ouo nascatur pullus; & procedendo etiam via debita Musca transmutari potest in oculum hominis, si pullus comedatur ab homine, & ex eo nutriatur, ac crescat oculus, & animetur anima rationali. Eodem pacto mediatè, & via debi-

debita potest adamas transmutari in muscam, & musca in adamantem. Sicut igitur loca sunt ita connexa, vt possit ex vno loco transiri in quemcumque alium, sed ad quędam loca mediatè, & ad alia immediatè, ad quædam propinquiora breuiori via, & transeundo per pauciora loca intermedia, ad alia per viam longiorem, & transeundo per plura loca intermedia; sic omnia corpora sublunaria sunt ità connexa, vt ex vno corpore possit fieri transitus, ac transmutatio ad quodlibet aliud, sed ad quædam immediatè, eo pacto, quo puluis tormentarius immediatè, & momento temporis transmutatur in ignem, ad alia mediatè, eo pacto, quo Musca transmutatur in pullum. Corpora, ex quibus immediatè fit transitus in alia corpora, sunt materia proximè priuata respectu talium corporum: corpora, ex quibus fit transitus solum mediatè, sunt materia priuata solum remotè. Rursus sicut dantur quidam motus locales, per quos mobile ex vno loco transit in alium, sed non datur immediatus regressus in locum priorem eadem via, sed diuersa, & per quemdam circuitum; e.g. Sol ex oriente procedit ad meridiem, sed non potest naturaliter ex meridie eadem via redire ad orientem, sed debet longiori circui-

tu

tu pergere ad occidentem, tum ad punctum mediç noctis, & sic redire ad oriẽtem; ita dantur plura corpora, quorum vnum transmutari potest in aliud, sed hoc aliud non potest eadem via transmutari in primum, sed diuersa via, & longiore circuitu. E.g. vinum transmutari potest in acetum, at acetum non potest eadem via transmutari in vinum, sed vt redeat ad esse vini, sparsum in terram ad vitẽ irrigandã, trahi debet à vite, & trãsmutari in succum vitis, deinde in vuam, in mustum, ac demum in vinum. Similiter caro potest transmutari in vermem, sed vermis non potest eadem via, sed solum post longum circuitum redire ad esse carnis. Ideo est axioma Aristotelicum, quod à priuatione, & corruptione non datur regressus ad habitum, nisi lõgo circuitu: e.g. viuus potest mori, & corrumpi, ac priuari vita; tamen vt materia cadaueris rursus animetur anima rationali, magnus requiritur circuitus. Imò hęc lex etiam in rebus supernaturalibus regulariter seruatur. Boni enim satis facile corrumpuntur à malis, sed fortasse non minori difficultate redeunt ad bonitatem amissam, quam acetum redeat ad esse vini. Idololatrę facile conuertuntur ad fidem Christianam; at Mahometani, & Hæretici, quorum sectę

ortæ sunt ex corruptione fidei Christianæ, atque Catholicæ, difficillimè reuocantur ad Christianam, atque catholicā fidem.

Ad 2. Concedo sequelam, quod materia omnium rerum sublunarium sit eiusdem speciei, vel quasi speciei. Ideo omnia corpora sublunaria, & corruptibilia sunt in eodem genere physico, quia habent materiam eiusdem rationis. Non solum autem non est absurdum, vt materia rerum contrariarum sit eiusdem rationis, sed est omnino necessarium. Contraria enim sunt, quæ se mutuo expellunt ab eodem subiecto; ergo habent idem subiectum, & inter se pugnant, vt à tali subiecto se mutuo expellant. Contraria etiam dicuntur, quæ maximè distant in eodem genere; sed in eodem genere sunt, quæ habent subiectum commune; ergo contraria debent habere subiectum commune: & quia inter ea, quę habent subiectum commune, forma, & priuatio maxime distant, ideo forma, & priuatio sunt prima contraria, ad quę reducuntur omnes contrarietates.

Vtrum essentia materiæ, & aliarum creaturarum distinguatur ab existentia.
Quæstio VI.

VIdetur vera esse Sententia Henrici, quodlibeto primo, quæst.9. Durandi in primo, dist.8. quæst.62. quos referunt, ac sequuntur Suarius disp.31. met. sect.2. Vasquez in 3. parte disp.72. cap.2. Vrtadus, Arriaga, Ouiedus, & alij, quod essentia etiam in creaturis nõ distinguatur ab existentia à parte rei, sed solum ratione, & per intellectum, imo quod, vt indicarunt Aureolus, & quidam alij antiqui, & vt expresse docuere Vrtadus disp 1. Met. sect.3. Arriaga disp.2. met sect.4. Ouiedus controu. 2. met. puncto 3. alijque recentiores, neque distinguantur ratione, & per intellectum: 1. quia si essentia creaturarũ distingueretur ab earum existentia, maximè quia cum creaturæ possint existere, & non existere, aliud debet esse id, quod potest existere, & non existere, & hoc est essentia creaturę, aliud ipsum existere, & hoc est ipsarum existentia; sed ista ratio non valet; sequitur enim, quod

quod in ipsa existentia dari deberet alia essentia distincta ab existentia: nam ipsa existentia hominis est contingens, atque adeò potest existere, & non existere; ergo debet constitui existens actu, non per seipsam, sed per aliam actualem existentiam, de qua redit difficultas, & proceditur in infinitum; ergo essentia non distinguitur ab existentia.

2. Nec valet etiam illa altera ratio, quod prędicata essentialia cum conueniant rebus necessariò, & ab ęterno, prædicata existentialia conueniant solum contingenter, & in tempore, debent proinde distingui. Nam vt dictum est in Logica, prædicata necessaria, cuiusmodi sunt hominem esse animal rationale, &c. competunt rebus per denominationem extrinsecam ab æterna, & increata necessitate, quę datur ad hoc, vt homo, quandocumque est, sit animal rationale; quę necessitas est idem cum Deo; ergo non probatur dari vllam essentiam intrinsecam homini distinctam ab eius existentia, per quam verificentur propositiones necessarię, & æternæ veritatis.

3. Essentia intrinseca hominis non potest esse sine existentia, & existentia non potest esse sine essentia, nec vna potest auferri sine altera; ergo cum

sint

sint mutuò inseparabiles non distinguun tur.

4. Existentia est id, per quod res distinguitur à nihilo; sed omne positiuum quod est in homine, vel quacunque creatura, per seipsum distinguitur à nihilo & per se ipsum est ens, alioquin per se ipsum esset nihil; ergo omne positiuum quod est in homine, & in qualibet creatura, est existentia, atque adeo non datur in creaturis essentia distincta ab existentia, non solum à parte rei, sed neque per intellectum. Sicut enim omne quod est in creatura per seipsum, concipitur esse ens, & distinctum à nihilo, ita per seipsum concipitur esse quędam existentia.

5. Si essentia distingueretur ab existẽtia, res existens componeretur actualiter ex essentia, & existentia; sed non potest res existens actualiter componi ex essentia, atque existentia; ergo essentia non distinguitur ab existentia. Probatur minor, quia nullum totum componi potest ex partibus, quarum vna constituatur intrinsecè per aliam, e.g si palmus componitur ex duobus semipalmis, vnus semipalmus non constituitur per alium semipalmum, alioquin semipalmus, qui est pars, includeret constitutiuè aliam compartem, & sic esset simul pars, & totum,

pars ex suppositione, totum quia incluſderet aliam semipartem; sed essentia vt componat debet esse essentia actu existēs, & sic debet includere constitutiuè ipsam existentiam; ergo non potest res existens componi ex essentia, & existentia.

6. Si existentia substantię, e.g. hominis distingueretur ab ipso homine, vel esset accidens hominis, vel esset actus substantialis,& pars substantiæ humanæ; non potest esse accidens alioquin substantia actu existens vt actu existens includeret accidens,& sic non esset ens per se; neque potest esse actus substantialis, quia quod potest conuenire, & non conuenire subiecto est accidēs talis subiecti; sed homo potest existere,& non existere, atque adeo existentia potest homini conuenire, & non conuenire; ergo existentia est accidens hominis, & cuiuscunque substantiæ. Adde, quod Aristoteles 2. post t.7. docuit, quod esse, seu existere, non est substantia rei; ergo per Aristotelem est accidens. S. Hilarius lib.6. de Trinitate asseruit,quod esse in Deo non est accidens, sicut in omni ente creato; ergo supponit quod esse entis creati non sit substantia, sed accidens.

7 Existentia est per quam res est extrà causas; sed essentia intrinseca hominis

nis, & aliarum rerum per seipsam est extra causas, in causis verò est solum per denominationem extrinsecam à causis potentibus rem producere; ergo essentia hominis, & aliarum rerum per seipsam est existentia.

8. Quando duo distinguuntur à parte rei, non sunt talia, vt alterum altero ablato per id ipsum formaliter remaueat nihil; sed essentia hominis, & cuiuscunque creaturæ per ipsam ablationem existentiæ remanet formalissimè nihil, cum remaneat non existens; ergo essentia hominis, & cuiuscumquæ creaturæ à parte rei non distinguitur ab existentia.

9. Si existentia distingueretur à parte rei ab essentia, vel distingueretur distinctione reali strictè, vel modali, vel formali ex natura rei; nulla ex his distinctionibus potest distingui; ergo nõ distinguitur à parte rei, sed solũ per intellectũ.

10. Etiam in Angelis essentia, seu id, quod est, ac potest esse, & non esse, distingueretur ab esse; sed in Angelis non potest distingui, alioquin daretur in ipsis compositio ex potentia existendi, & actu existendi, hoc est materia, & forma, potentia enim est materia, actus est forma; ergo, id quod est, non distinguitur ab esse.

Respondeo in omnibus creaturis essentiam, & existentiam distingui à parte rei, ita vt id, quod est, siue existit simpliciter *vt quod*, distinguatur ab existentia, seu esse actuali, quod est, siue existit *vt quo*, & ità vt potentia essendi, creaturis intrinseca, in qua consistit intrinseca earum essentia, distinguatur ab ipso actu essendi, in quo consistit existentia. Sicut enim in creaturis aliud est id, quod mouetur, aliud est moueri, aliud est quod videt, audit, intelligit, amat &c. aliud est videre, audire, intelligere &c. & vniuersim actus distinguuntur ab ijs, quæ habent tales actus; ita id, quod est, seu habet actum essendi, distinguitur ab ipsa existentia, siue actu essendi. E conuerso sicut in Deo id quod est, est ipsum suum esse, ita id, quod intelligit, est ipsum intelligere, id quod vult, est ipsum velle, ita vt nullus omnino actus sit aliud ab eo, cuius est actus.

Hanc sententiam satis clarè, & pene ijsdem verbis docuit Aristoteles 2. Post. tex. 7. dicens; *esse verò nullius est vt patet substantia, seu græcè* essentia, & essentiam significari eo loco patet ex contextu. 3. etiam de Anima secundum interpretationem Themistij idem expressit per ea verba, *aliud est magnitudo, & magnitudinis esse, & aqua, & aquæ esse*; vniuersim

verò

verò Aristotelicæ doctrinę valdè consonat; quod in entibus necessarijs essentia sit necessariò esse; in contingentibus essentia sit posse esse, ac non esse; actus verò essendi sit distinctus ab essentia; seu potentia intrinseca essendi, & non essendi.

Eandem opinionem ab Aristotele hauserunt insigniores peripathetici, ac præsertim S. Th. de ente, & essentia, cap. 5. & 2. contra gentes cap. 52., qui etiam prima parte totam doctrinam de infinitate, & perfectionibus Dei, de limitatione, atque imperfectionibus creaturarum fundat in hoc, quod Deus sit suum esse, secus creaturę. Scotus etiam in 3. dist. 6. quęst. 1. admittit, quod esse actualis existentiæ distinguatur ab esse essentię; ideoque refertur à Caiet. de ente, & essentia quæst. 11. vt auctor sententiæ ponentis inter essentiam, & existentiam distinctionem formalem ex natura rei. Ex nostris eandem sententiam docuerunt Fonseca 4. Met. cap. 2. quæst. 4. Conimbricenses primo Physicę, cap. 9. quæst. 6. art. 2. Ratione probatur 1. ex inductione vniuersalissima iam indicata. Creaturæ enim eodem pacto sunt in actu essendi, quo sunt in actu currendi, sedendi, videndi, intelligendi, & in cęteris omnibus actibus; sed sunt in actu currendi per hoc

quod habeant cursum distinctum ab eo, quod currit, sunt in actu intelligendi per hoc, quod habeant intellectionem distinctam ab eo, quod intelligit &c; ergo etiam sunt in actu essendi per hoc quod habeant esse distinctum ab eo, quod est: cæteri enim actus manifestant, qualis sit actus essendi, qui est primus actus, in quo fundantur cęteri.

Confirmatur, quia si quis syncerè reflectat supra seipsum, aduertit, quod, sicut ipse intelligit non per hoc, quod sit intelligere, seu actus intelligendi, sed per hoc, quod habeat intelligere, seu actum intelligendi, sedet non per hoc quod sit sessio, sed per hoc, quod habeat actum sedendi, ita est non per hoc, quod sit esse, sed per hoc quod habeat esse; sed est absurdum, quod ens habeat id, quod est; e.g. dicitur absurdè quod homo habeat animal rationale; ergo creaturę non sunt suum esse, sed habent esse distinctum à se. Et sanè si ego sum meum esse, cur est adeò innaturalis hæc propositio, *ego sum esse*, hæc verò alia, *ego habeo esse*, est summe naturalis.

Secundo probatur insistendo eidem inductioni, quia quod potest habere, ac non habere aliquem actum non est talis actus, e.g. quod potest sedere, & non sede-

sedere, non est actus sedendi; sed omni creatura potest esse, & non esse, atque adeò potest habere, vel non habere actum essendi; ergo nulla creatura est suum esse, vel est actus essendi, sed ab actu essendi distinguitur à parte rei.

Tertio probatur, quia certum est m posse esse, ac non esse. Hoc posito, ve posse esse, ac non esse est ipsum actu esse & hoc est sicut si diceretur, quod posse moueri, & non moueri, est ipsum actu moueri, ac videtur per se notum, quod sicut necessariò esse est ipsum esse, ita posse esse, & non esse, non est ipsum esse actu, sed est potentia essendi, a non essendi. Posito quod posse esse, & non esse non sit ipsum esse, vel est solun aliquid extrinsecum mihi, nimirum ips mea possibilitas æterna identificata cum Deo; & contra est, quia hoc est, sicu si diceretur, quod posse moueri, & no moueri, videre, & non videre, non es aliquid intrinsecum mihi, sed merè extrinsecum. Et confirmatur, quia nullu actus videtur magis esse intrinsecus, & intimus potentiæ correspondenti, quan actus essendi. Si enim motus est actus intrinsecus mobilis, hoc est alicuius potēti moueri, & non moueri; si sessio est actu intrinsecus sedentis, multo magis esse

est actus intrinsecus entis; ergo sicut in mobili datur intrinseca potentia, vt moueatur, aut non moueatur, ita in ente datur intrinseca potentia, vt possit esse, & non esse. Confirmatur, quia videtur ex se constare, quod in me posse esse, ac non esse non est ipsum actu esse, & quod posse esse, ac non esse est intrinsecum mihi, non minus, quam posse moueri, & non moueri est intrinsecum illi quod mouetur.

Quarto probatur, quia ex limitatione, & imperfectione creaturæ oritur, quod non identificetur cum alijs actibus, e.g. ex limitatione intelligentis creati oritur, quod non sit suum intelligere, sed solum sit id, quod potest intelligere; sed actus essēdi est primus, ac præstātissimus actus, in quo omnes fundantur, ideoque Deus dum dixit: *ego sum, qui sum*, explicauit solum actum essendi; ergo multo magis orietur ex limitatione creaturæ, vt non sit actus essendi, sed solum sit id, quod potest habere actum essendi.

Quinto probatur, quia creaturæ debent vndique differre à modo essendi diuino in ratione causati, & incausati; sed modus essendi diuinus consistit in hoc, vt Deus sit ens à se, in se, per se, & propter se, hoc est vndique incausatum in quo-

cunque

cunque genere est à se, quia non accipit esse ab vlla causa efficiente; est in se, quia esse Dei non recipitur in vllo subiecto, vel potentia; est per se, quia non est per esse distinctum; est propter se, quia non est propter finem diuersum, sed ipse est finis omnium; ergo creaturę debent habere esse vndique causatum in quocunque genere causæ, atque adeò debent habere esse ab alio, hoc est à causa efficiente, in alio, hoc est esse receptum in subiecto, seu in eo, quod habet esse; per aliud, quia non sunt suum esse, sed habent esse distinctum, per quod sunt; & propter aliud, quia sunt propter Deum, tanquam propter vltimum finem.

Hinc explicatur, quo sensu Deus sit ens per essentiam, creaturæ sint entia per participationem. Sicut enim ignis est ignis per essentiam; quia non participat ignem, nec habet ignem in se, sed est ignis; ferrum verò ignitum non est ignis per essentiam, sed solum per participationem, quia non est ignis, sed habet ignem sibi intimè vnitum, atque adeo potius est ignitum, quam sit ignis; sic Deus est ens per essentiam, quia non habet esse, sed est ipsum esse; creaturę sunt entia per participationem, quia non sunt esse, sed habent esse, ac proinde

comparatæ cum Deo simpliciter non tā sunt, quam habent, ac participant esse: Deus solus simpliciter est, quia est ipsum esse, ideoque vocatur: *Qui est*, ac dicit, *ego sum, qui sum*; Sicut verò creaturæ sunt entia per participationem, & non per essentiam, ita sunt bonę solum per participationem, & non per essentiam, viuentes, sanctæ, sapientes beatę per participationem, & non per essentiam, cum solus Deus sit hæc omnia per essentiam. Deus enim ità est bonus, vt sit ipsa bonitas, non vt habeat, ac participet bonitatem, ita est viuens, vt sit ipsa sapientia &c. At creaturæ ità sunt bonæ, vt non sint bonitas, sed habeant bonitatem, ità sunt sanctæ, vt non sint sanctitas, sed habeant sanctitatem, ideoque sunt hæc omnia per solam participationem. Similiter Deus est ens, & actus purus, quia ità est ens, vt sit ipsum esse, & ipse actus essendi, & quilibet alius actus; creaturæ sunt entia composita, quia ità sunt ens, vt habeant esse, quod non sunt, atque adeo componantur ex esse, & eo quod est, ex bonitate, & ex eo, quod est bonum, vt iam est dictum.

Sextò demum probatur, quia esse, quod non est receptum in alio, sed est in se subsistens, est infinitum; sed si sub-

stantiæ

stantiæ creatę essent suum esse, ipsarum esse non esset receptum in alio: neque enim recipitur in eo, quod est, cum hoc non distinguatur ab esse; ergo substantię creatæ essent infinitę, & illimitatæ: Minor est manifesta, probatur maior nam esse, quod non est acceptum ab alio sed est à se, est infinitum, & omninò illimitatum, nec est alia ratio cur diuinum esse sit infinitum, & illimitatum, nisi quia est à se, & non est acceptum ab vlla causa; sed ex eadem ratione esse, quod non est receptum in alio, debet esse infinitum; eo enim ipso nõ limitatur à suo subiecto: ergo &c. Confirmatur, quia intelligere per se subsistens, ita vt non sit actus vllius subiecti, est infinitum, & illimitatum; ergo esse per se subsistens, & non receptum in vllo subiecto est esse infinitum, & illimitatum. Hinc sequitur, vt *esse in alio*, & *esse ab alio* se mutuo consequãtur, sicut è conuerso se mutuo consequũtur *non esse ab alio*, & *non esse in alio*; valent igitur istæ consequentiæ negatiuę, *non habet esse ab alio, ergo non habet esse in alio*; valent etiam istæ consequentiæ affirmatiuæ *habet esse ab alio; ergo habet esse in alio*, & hęc se mutuo consequuntur.

Ad 1. Distinguo maiorem: ratio, cur essentia distinguatur ab existentia est, quia vtcunque quod potest esse, & non

esse distinguitur ab esse, nego; quia quod potest esse, & non esse, ita vt sit ipsa potentia, & indifferentia essendi, ac non essendi, concedo; distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Non quodcunque potest esse, & non esse, distinguitur ab esse, sed quod est ipsum posse esse, & non esse. Potentia enim essendi, ac non essendi non est ipse actus essendi; & similiter indifferentia ad essendum, & non essendum non est ipsa formalis determinatio ad essendum; sed in creaturis datur intrinseca potentia, & indifferentia essendi, ac non essendi, vt dictum est; ergo distinguitur ab existentia, quæ est actualis determinatio talis potentiæ, & indifferentiæ. Iam ipsa existentia potest esse, & non esse, non ita vt sit ipsa potentia, & indifferentia essendi, ac non essendi; nam actus determinatiuus indifferentię non est ipsa formalis potentia determinabilis, sed potest esse, & non esse per denominationem à potentia essendi, cuius est actus. Sicut enim potentia essendi, & non essendi actu est, sed non ita, vt sit actus essendi, sed ita, vt sit per actum essendi; sic actus essendi potest esse, & non esse, sed ita, vt non sit ipsa potentia essendi, ac non essendi, sed denominetur potens non esse à potentia, cuius est actus. Nam, &

poten-

tentia ponitur in actu per actum, & actu constituitur in potentia per potentiam & per denominationem ab ipsa. Actu igitur essendi, qui potest esse, & non esse per denominationem à potentia distincta, non existit per alium actum distinctum, sed existit se ipso, cum sit ipsum esse actu, quod potest non esse per denominationem à potentia, quam actuat.

Dum vrgetur, quia existentia creat per se ipsam est contingens; sed contingens est, quod potest esse, & non esse ergo. Distinguo maiorem per seipsam est contingens, hoc est per se ipsam est actus potens esse, & non esse, concedo: hoc est per seipsam est ipsum posse esse, & non esse, nego. Contingens per per seipsum dicitur dupliciter. Primò per se ipsum contingens est aliquid potens non esse, abstrahendo ab hoc, quod possit non esse per potentiam non essendi secum identificatam, vel per potentiam non essendi distinctam. Secundò per seipsum contingens est, quod est ipsum posse non esse. Essentiæ creatæ sunt per seipsas contingentes in secundo sensu, quia sunt ipsum posse non esse: existentiæ creatæ sunt per seipsas cõtingentes in primo sensu, quia sunt ipsum esse, quod potest non esse per potentiam distinctam. Contingens verò ve-

sic

sic abstrahit ab vtroque sensu.

Ad 2. Concedo non valere illam rationē ex eo, quod prædicata essētialia cōueniant necessario, existentialia cōueniāt contingenter: prædicata enim essentialia conueniunt per denominationem ab extrinseca necessitate, vt dictum est in logica loco cit. in argumento. Adhuc tamen id, quod est, distingui debet ab esse ex alijs fundamentis.

Ad 3. Iā dictū est in logica posse distingui à parte rei etiam ea, quæ sunt mutuò inseparabilia. Addo fortasse inter essentiam, & existentiam dari aliquam separabilitatem, vt dicetur in responsione ad nonum.

Ad 4. Distinguo maiorem; existentia est, per quam res distinguitur à nihilo actus, concedo maiorem; à nihilo potentiæ solius, nego maiorem: distinguo minorem; quidquid est in homine, per seipsum distinguitur à nihilo actus, nego minorem; à nihilo potentiæ, vel actus, concedo minorem; & nego consequentiam. Est regula Aristotelis in Top. *quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur aliud*; sed ens, & nihil, seu non ens sunt opposita; ergo quot modis dicitur ens, tot modis dicitur nihil. Ens dicitur dupliciter: aliud enim est ens essentiæ, quod ab Aristotele voca-

tur

tur ens in potentia, aliud est ens existentiæ, quod dicitur ens actu. Ens essentiæ, seu in potentia est id, per quod res est intrinsecè id, quod potest esse, & non esse: e.g. ego sum ens essentiæ, & in potentia, quia sum intrinsecè id, quod possum esse, & non esse. Huic opponitur nihil essentiæ, & est id, per quod excluditur hoc, quod intrinsecè est id, quod potest esse, & non esse; & ens essentiæ per seipsum distinguitur à nihilo essentiæ, hoc est à nihilo eius, quod per seipsum potest esse, ac non esse. Ens existentiæ est id, per quod res actu existit, & hoc per seipsum distinguitur à nihilo existentiæ, hoc est à nihilo eius, quod existit. At ens essentiæ sicut non existit per seipsum, sed per existentiam distinctam, ità non distinguitur à nihilo existentiæ per seipsum, sed per existentiam distinctam.

Dices: Homo per seipsum non distinguitur à nihilo existentiæ; ergo per seipsum est nihil existentiæ.

Respondeo nego consequentiam. A propositione enim præcisiua non valet consequentia ad infinitantem: e.g. non valet, *paries per seipsum non est albus; ergo per seipsum est non albus*. Ratio est, quia propositio infinitans affirmat identitatem, cum carentia formæ; ex eo verò,

rò, quod negetur identitas cum forma, non potest inferri identitas cum eius carentia; e.g. ex eo, quod homo non sit sapiens per seipsum, hoc est non habeat identitatem cum hoc, quod est esse sapientem, non potest inferri, quod per seipsum sit non sapiens, hoc est habeat identitatem, cum hoc, quod est non esse sapientem; ergo ex eo quod homo per seipsum non habeat identitatem cum hoc, quod est existere, non potest inferri, quod per seipsum sit non existens hoc est habeat identitatem, cum hoc, quod est non existere, cum habeat identitatem cum hoc, quod est posse existere, & non existere.

Ad 5. Concedo, quod ex existentia, & essentia componatur existens, & quod ad hoc, vt aliquid componatur ex duobus, vnum eorum non debet intrinsecè constitui per aliud: sed nego quod essentia constituatur intrinsecè per existentiam. Homo enim constituitur solum per hoc, quod sit id, quod potest esse intrinsecè, & non esse, & non per ipsum esse; ergo potest optimè venire in compositionem cum esse, ita vt ex eo, quod potest esse, ac non esse, & ex esse constituatur existens, eo pacto, quo qui potest intelligere, ac non intelligere, potest

potest venire in compositionem cum intellectione, & constituere actu intelligens.

Cum opponitur: vt essentia componatur cum existentia debet existere; ergo includit intrinsecè constitutiuè existentiam; nego consequentiam. Sicut enim per aduersarios distinguentes duratioñ ab existentia, non valet: vt existentia componatur cum duratione, per quam nunc durat, debet nunc existere; ergo existentia includit intrinsecè duratioñ, qua durat nunc; sic nec valet similis consequentia in casu nostro. Ratio est; quia vt essentia componatur cum existẽtia, requiritur, vt existat, sed hoc requiritur non tanquam constitutiuum essentię, quæ est vna pars componens, sed tanquam constitutiuum compositi, hoc est entis existentis; sicut proportionaliter dicendum est ab Aduersarijs de duratione.

Ad 6. Existentia substantiæ non est accidens substantiæ, sed est actus substantialis, Dum opponitur: quod potest conuenire, vel non conuenire subiecto est accidens: existentia potest conuenire, vel non conuenire subiecto; ergo existentia est accidens subiecti. Respondeo distinguo maiorem, quod potest conuenire, vel non conuenire subiecto

iam

constituto in actu est accidens, transeat; quod potest conuenire, vel non conuenire subiecto non constituto in actu, sed vt illud constituens in actu; est accidens, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Esse musicum est accidens hominis, quia homo iam constitutus in actu potest esse musicus, & non esse musicus; at esse non est accidens hominis, sed actus cõstituens hominem in actu, atque adeo est actus substantialis. Aristoteles dum dixit, quod esse non est substantia rei, nomine substantiæ intelligit esentiam, vt dixi suprà; neque negat, quod esse substantię sit actus substantialis. Similiter S. Hilarius & alij dum dicunt quod esse creaturarum est accidens, sumunt accidens latè, prout opponitur esentiæ; & quia esse creaturarum non est earum esentia, ideò dicitur accidens, licet non sit accidens strictè, in quantum accidens est, quod accidit rei iam existenti, non constituendo illam in actu.

Ad 8. Distinguo maiorem; existentia est, per quam res actu est extrà causas; concedo maiorem: existentia est per quam res potentia est extra causam, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Esentia hominis non est actu per seipsam, sed

solum

solum per seipsam est intrinsecè id, quod potest esse, & non esse: hoc autem est esse potentia ens, & esse extrà causas potentia: sicut verò essentia actu est per existentiam, ita actu est extrà causas per existentiam. Addo definitionem illam existentiæ: existentia est, per quam res est extra causas non esse vniuersalem cum non conueniat existentię diuinæ Deus enim absurdè dicitur esse extra causas, cum causas non habeat. Melius ergo describitur existẽtia vniuersaliter est per quam res existit actu in seipsa. Quid vero sit actu existere, est ità clarum, vt non possit clarius explicari, vt docet etiam Aristoteles.

Potest quęri, an cum homo producitur, seu ponitur extrà causas, producatur essentia, & existentia.

Respondeo, quod simpliciter producitur homo, in quantum est totum compositum ex essentia, & existentia; essentia producitur tanquam id, cui esse datur, existentia producitur tanquam esse quod datur, actio productiua terminatur tum ad essentiam, tanquam ad id, cui dat esse, tum ad existentiam tanquam ad esse, quod dat.

Ad 8. Respondeo primò argumentum habere manifestam instantiam in sententia aduersariorum distinguentium exi-

sten-

stentiam à duratione. Nam existentia mea e.g. ablatis omnibus durationibus remanet formalissimè non existens vllo tempore; sed per hoc ipsum, quod res non existat vllo tempore, est nihil; ergo existentia ablatis omnibus durationibus remanet formalissimè nihil; ergo collectio durationum non distinguitur ab existentia, quod est contrà Aduersarios.

Respondeo secundò directè, transeat maior, & distinguo minorem, ablata existentia, essentia remanet formaliter nihil actu, seu nihil existentis, & consequenter nihil etiam essentiæ conc. minorem; remanet formaliter nihil essentiæ & potentię, nego minorem; & nego consequentiam. Sicut Aduersarij debent concedere, quod ablatis omnibus durationibus, existentia remanet nihil existentis in quocunque tempore, sed non remanet formaliter nihil existētis pręscindendo à tempore: quia tamen non potest existere, quin existat aliquo tempore determinato, ideo remanet consequēter nihil etiam existentis præscindendo à tempore; ita dicimus nos, quod essentia, ablata existentia, remanet formaliter non existens, atque adeo remanet nihil existentis, sed non remanet formaliter nihil essentię, quia adhuc est intrinsecè

id,

id, quod potest esse, & non esse, atque adeò est aliquid essentiæ, & est ens in potentia intrinsecè. Quia tamen non potest aliquid esse intrinsecè id, quod potest esse, ac non esse, nisi actu sit; quod enim actu non est, nullum habet intrinsecum esse; ideo ablata existentia actuali aufertur consequenter essentia intrinseca. Est autem vniuersale, vt cũ aufertur vnum, sine quo aliud esse nõ potest, auferatur illud, e. g. si auferatur calor naturalis, sine quo non potest conseruari vita animalis, eo ipso aufertur vita animalis.

Ad 9. In quo quęritur, qua distinctione essentia distinguatur ab existentia, primo dico, quod si essentia, & existentia ponantur habere omnimodam, ac mutuam inseparabilitatem, distinguuntur formaliter ex natura rei, non tamen tanquam duæ formalitates constituentes, vnã essentiam, eo pacto, quo animalitas & rationalitas sunt duæ formalitates constituentes essentiam hominis, sed vt id, quod est, & ipsum esse. Secundo dico probabile esse, quod essẽtia creata possit esse sine hac existentia, licet esse non possit sine omni existentia. Quod si est verum essentia distinguitur ab existentia plusquam formaliter ex natura rei, ac videtur distingui distinctio-

stinctione modali, vel quasi modali. Dixi quasi modali: nam modus modificat rem iam existentem; at existentia non modificat rem iam existentem, sed facit rem existere.

Ad 10. Concedo cum S. Tho. 2. contra gentes cap. 52. quod in Angelis esse distinguitur ab eo, quod est, atque adeo datur in ipsis compositio ex potentia, & actu, vt docet cap. 53. sed nego ex hoc sequi, quod sint compositi ex materia, & forma. Vt enim docet S. Doct. cap. 54. compositio ex eo, quod est, & ex esse est diuersa à compositione ex materia, & forma. Compositio enim ex materia, & forma est compositio essentiæ, ac naturæ, ita vt vna pars essentiæ sit materia, alia pars essentiæ sit forma, eo pacto, quo essentia, ac natura hominis componitur ex corpore, tanquam ex materia, & ex anima tanquam ex forma: at compositio ex esse, & eo, quod est, non est compositio essentiæ, sed est compositio, per quam actus existendi additur essentię. Angeli igitur sunt minus compositi, quã corpora, sed habent aliquam compositionem, & non adæquant simplicitatem diuinam.

Vtrum

Vtrum materia prima habeat propriam existentiam. Quæstio VII.

VIdetur vera esse sententia Scoti in dist. 12. quæst. 1. & 2. & aliorum, quos refert, ac sequitur Suar. disp. 13. met. sect. 5. quod in composito per se vno constante ex materia, & forma, e. g. in homine constante ex corpore tanquam materia, & ex anima tanquam forma dentur plures existentiæ, & plures actualitates, ità vt alia sit existentia, & actualitas materię, alia existentia, & actualitas formæ: 1. quia compositum per se vnum constat ex pluribus essentijs incõpletis, & partialibus constituentibus vnam essentiam completam, & totalem; ergo compositum per se vnum poterit etiam constare ex pluribus existentijs, & actualitatibus incompletis, ac partialibus constituentibus vnam completam, & totalem existentiam.

2. In vno per se possunt etiam dari plures existentię, & actualitates: continuum enim, e.g. palmus aquę est vnum per se, & tamen constat ex duobus semipalmis habentibus diuersas existẽtias, & a-

& actualitates: alia est enim existentia actualitas primi semipalmi, alia est existentia, & actualitas secundi: in Christo etiam ex Verbo Diuino, & ex carne, ac natura humana fit vnum perse; sed in Christo Verbũ, & natura humana habet esse creatum; ergo etiam in homine materia, & forma, corpus, & anima, licet faciant vnum ens per se, poterunt habere diuersum esse, ac diuersam existentiam.

3. Essentia, & existentia debent inuicem proportionari, comparantur enim sicut actus, & potentia, quæ sibi correspondent debita proportione; ergo cum essentia materiæ diuersa sit ab essentia formę, etiam existentia materiæ debet esse diuersa ab existentia formæ. Adde quod essentiæ ingenerabili, & incorruptibili est improportionata existentia generabilis, & corruptibilis; sed essentia materiæ est ingenerabilis, & incorruptibilis; ergo est illi improportionata existentia corruptibilis formarum materialium. Similiter essentiæ materiali est improportonata essentia spiritualis, essentiæ spirituali est improportionata existentia materialis; sed in homine corpus est materiale, anima est spiritualis; ergo non existunt per vnicam existentiam; vel enim illa esset spiritualis, & tum non proportionaretur corpori

mate-

materiali, vel esset materialis, & non proportionaretur animæ spirituali.

4. *Si* materia existeret per existentiam formę, eo ipso materia generaretur, & corrumperetur: tum enim aliquid generatur, cum accipit existentiam, tum corrumpitur, cum spoliatur existentia; sed quando generatur ignis, materia prima acciperet existentiam ignis, cum ignis corrumpitur, materia prima amitteret existentiam ignis; ergo generaretur, & corrumperetur: imo agens naturale crearet materiam primam: producere enim aliquid, & non ex subiecto, est creare; sed agens naturale producens ignem daret esse materiæ primæ ignis, atque adeo illam produceret, & non ex subiecto, alioquin daretur subiectum materię primæ, & sic materia prima non esset primum subiectum; ergo agens naturale crearet materiam primam.

5. Certum est materiam primam ab initio Mundi creatam fuisse à solo Deo, & ab eodem conseruari in esse sine concursu causæ secundæ; sed si existeret per existentiam formę, quando producitur ignis, causa producens ignem daret esse materię primę, atque adeò materia prima non conseruaretur in esse à solo Deo, sed etiam à causa secunda concurrente

ad dandum illi esse; ergo non existit per existentiam formæ.

6. Materia est causa per se tum formæ, tum compositi; sed omnis vera causa prius natura existit, quam causatum; ergo materia prius natura existit, quam forma, vel compositum; ergo existentia materię est prior natura, quam existentia formæ, vel compositi; ergo existentia materię est alia ab existentia formæ, vel compositi; existentia enim prior diuersa est ab existentia posteriore. Confirmatur, quia causa non mendicat existentiam ab effectu, nec prius à posteriore; sed materia est causa formæ, & prior natura, quam forma; ergo materia non mendicat existentiam à forma, quæ est effectus materiæ, & posterior natura, quam materia.

7. Omne actuabile aliquo actu, licet non includat vllum ex illis actibus, quibus est actuabile, tamen includit aliquē alium actum; e.g. colorabile quolibet colore, licet non includat vllum actum coloris, includit tamen aliquem actum; colorabile enim est actu substantia; similiter figurabile omnibus figuris licet nullam includat figuram, includit tamen aliquem actum, quo sit actu cera mollis &c; sed materia est primum subiectum formabile omnibus formis; ergo licet nul-

nullum includat actum formalem, & receptum in subiecto, includit tamen actū, quo sit actu subiectum formabile omnibus formis, qui actus vocatur à Scoto actus entitatiuus, vt distinguatur ab actu formali, qui est actus receptus in subiecto. Et confirmatur, quia subiectum formabile omnibus formis non est subiectū existens solum in potentia, & in causis, sed est subiectum extra causas; sed subiectum extra causas includit actum entitatiuum existentiæ; ergo.

8. Materia potest saltem supernaturaliter, & fortasse naturaliter existere spoliata omni forma; sed si existeret per existentiam formæ, non posset existere spoliata omni forma, alioquin existeret spoliata existentia, quod implicat; ergo materia non existit per existentiam formę. Maior probatur ex pluribus; primo quia ab initio Mundi fuit à Deo creata materia prima sine omni forma: ideo Sancti Augustinus, Basilius, Chrysostomus, & Ambrosius relati à Sancto Thoma prima parte quęst.66. art.1. locum illum primo Genes. *terra autem erat inanis, & vacua*, explicant, vt sensus sit, *materia prima erat informis, & carens forma*. Preterea in triduo mortis materia Christi mansit spoliata anima rationali, & quacunque alia forma substantiali, vt

cum Scoto docent, Gabriel, & Marsilius relati à Conimbric. 1. phys. cap. 9. quęst. 6. art. 3. Secundo probatur ex Scoto. Omne absolutum, prius natura, quã aliud absolutum potest absque contradictione existere sine illo; ex Aristotele enim 5. met. tex. 16. priora sunt, quę possunt esse sine alijs, alia non sine ipsis; sed materia prima est quid absolutum, ac prius natura, quam forma, cum sit fundamentum, subiectum, receptaculum, ac causa passiua, & receptiua omnium formarum, quæ omnia important prioritatem naturæ; ergo materia prima potest absque contradictione existere sine formis. Tertio non minus dependent formæ materiales præsertim accidentales à materia, ac subiecto, quam materia dependeat à formis; sed formę etiam accidẽtales possunt supernaturaliter existere sine substantia, ac subiecto, vt patet in Eucharistia; ergo à fortiori materia poterit esse sine qualibet forma. Adde, quod anima rationalis licet sit substantia incompleta potest etiam naturaliter existere sine suo complemento, hoc est sine corpore, vnde post mortem remanet separata à corpore; ergo materia licet sit substantia incompleta poterit saltem supernaturaliter esse sine forma.

Quar-

Quarto quod Deus potest facere cum causis secundis, potest facere se solo, quando causa secunda non est de essentia effectus; sed Deus potest facere materiã cũ causa secũda, hoc est cũ forma, quę non est de essentia materiæ; ergo potest eandem facere se solo sine forma, prę sertim quia sicut immediatè materiam creat, itá potest illam immediatè conseruare sine forma. Quinto materia non est necessario connexa cum forma; sicut enim potest esse sine hac specie, ac numero forma, e.g. sine forma ignis, sic potest esse sine qualibet forma; quod enim non est connexum cum vlla specie, nec est connexum cum genere; ergo materia potest poni sine qualibet forma.

Respondeo, quod sicut Mathematici ex quibusdam suppositionibus, ac definitionibus inferunt multas conclusiones mirabiles itá manifestè, vt negari nequeant, nisi negando aliquod ex suppositis; sic Sanctus Thomas, insistens doctrinæ Aristotelis, ex tribus suppositionibus infert materiam non habere propriam existentiam, nec proprium actum, essentiam materię distingui ab eiusdem existentia, & plures alias consequentias itá manifestè, vt negari non possint, non negando aliquod ex suppositis. Primum

suppositum est: in corporibus dantur substantię, & accidentia. Secundum est: corpora multa fiunt, & mutantur non solum secundum accidentia, sed etiam secundum substantiam: e.g. cum animalia, & plantæ nascuntur, aut occidunt, mutantur secundum ipsam substantiam. Tertium suppositum continet definitiones substantię, & accidentis. Substantia est ens primum constitutum per primũ esse: accidens est entis ens, seu ens secundarium, constitutum per esse non primum. Similiter substantia est ens per se stans, constitutum per esse per se stãs, & non adiacens alteri esse: accidens est ens non per se stans, sed constitutum per esse adiacens, & accidens alteri esse: substantia est ens fundamentale, ac substans, constitutum per esse non fundatum, ac receptum in alio esse, sed fundans, ac recipiens omnia alia esse: accidens est ens fundatum, ac receptum, constitutum per esse fundatum, ac receptum in alio esse. His suppositis; si materia prima esset actus, vel haberet proprium actum, non generaretur de nouo substantia; sed hoc est contrà secundum suppositum; ergo.

Probatur sequela: omnis forma esset accidens, materia verò prima esset tota substantia corporum; ergo non generaretur

retur ſubſtantia. Probatur antecedens: accidens eſt entis ens, ſeu ens ſecundarium, conſtitutum per eſſe non primum; ſed omnis forma, e.g. forma Leonis eſſet entis ens, & ens ſecundarium conſtitutum per eſſe non primum, ſed ſupponens eſſe actuale materiæ; ergo omnis forma eſſet accidens. Rurſus ſubſtantia eſt ens per ſe ſtans conſtitutum per eſſe per ſe ſtans, & non adiacens alteri eſſe: accidens è conuerſo eſt ens non per ſe ſtans, ſed conſtitutum per eſſe adiacens alteri eſſe; ſed nulla forma conſtitueretur per eſſe per ſe ſtans, ſed conſtitueretur per eſse accidens eſſe ipſius materię; ergo nulla forma eſſet ſubſtantialis, ſed quælibet eſſet merè accidentalis. Præterea ſubſtantia eſt ens fundamentale, ac ſubſtans: accidens eſt fundatum, ac receptum in alio eſſe; ſed omnis forma haberet eſſe fundatum, ac receptum in alio eſſe, nimirum in eſſe materiæ; ergo omnis forma eſſet accidens. Confirmatur, nam materia eſſet tota ſubſtantia corporum; materia non generaretur; ergo nihil ſubſtantiæ generaretur. Maior probatur: tota ſubſtantia corporum eſt, cui ſoli conuenit definitio ſubſtantiæ; ſed definitio ſubſtantiæ conueniret ſoli materiæ; ergo &c. Probatur minor: ſola materia conſtitueretur per

esse primum, per se, fundamentale, substans, ac non receptum in alio esse: forma verò constitueretur per esse non primum, sed secundum, receptum, ac fundatum in alio esse; ergo sola materia esset tota substantia.

Nec dicas, quod materia esset substātia incompleta. Nā contra est, quia ens completum in tota definitione substantiæ, & in omnibus perfectionibus substantialibus, ac complebile solum in rationibus accidentalibus, est substantia completa; sed materia si habet proprium actum est completa in tota definitione substantiæ, & in omnibus perfectionibus substantialibus; ergo &c. Probatur minor: definitio substantiæ est, vt sit ens primum constitutum per primum esse; sed materia est completa in ratione entis primi, ac constituti per primum esse: rursus est completa in ratione entis habentis esse per se stans, & non adiacens alteri esse, in ratione entis habentis esse fundamentale, & substans, nec potest compleri in vlla ex istis rationibus, & perfectionibus, sed solum potest compleri per hoc, quod recipiat esse non primum, esse adiacens alteri esse, esse fundatum, & receptum in alio esse; sed omnes istę sunt rationes, & perfectiones accidentales, contentæ, & explicatæ in definitione

ne accidentis ; ergo materia est completa in ratione substantiæ, ac solum cõplebilis in rationibus accidentalibus.

Confirmatur, quia ens à se non potest compleri in ratione entis à se per additionem alicuius esse ab alio ; ergo ens per se non potest compleri in ratione entis per se per additionem formæ habentis esse in alio esse.

Similiter non dicas, quod materia est substantia incompleta in specie corporis, quia secundum se non est in determinata specie corporis, sed est indifferens, vt per formam ignis constituatur in specie ignis, per formam aquæ in specie aquæ &c. Nam contra est, quia sequitur, vt dicebant Antiqui, quod omnia corpora sint eiusdem speciei substantialis, ac differant solum in specie accidentali, eo pacto, quo cera quadrata, ac rotunda differunt solum accidentaliter. Probatur sequela: quę conueniunt in toto esse substantiali, hoc est primo, per se stante, non adiacente alteri esse &c. sunt eiusdem speciei substantialis; sed omnia corpora conueniunt in toto esse substantiali, hoc est in toto esse primo, per se stante, non adiacente alteri esse &c. ac solum differunt in esse formarum, quod est esse secundum, adiacens esse materię, in eo fundatum, ac receptum; er-

go &c. Sed quidquid dicant non aliter posſunt defendere ſubſtantialitatem formarum, quam dicendo, quod eſse non primum, ſed ſecundum, non per ſe, ſed adiacens alteri eſse, non fundamentale, & ſubſtans, ſed fundatum, ac receptum in alio eſse fundamentali, ac ſubſtante, hoc eſt eſse habens omnes imperfectiones accidentis, non habens vllam perfectioné expreſsam in definitionibus ſubſtantiæ, ſit eſse ſubſtantiale; ſed hoc eſt recedere à definitione, & legitimo conceptu ſubſtantię, & accidentis explicato in tertio ſuppoſito; ergo non poteſt ſubſtineri, quod materia habeat propriã exiſtentiam, niſi negando aliquod ex ſuppoſitis. Porrò antiqui, qui dicebant materiam eſse ens actu, & admittebant definitiones ſubſtantiæ, & accidentis explicatas in tertio ſuppoſito, negabant ſecundum ſuppoſitum, vt docuit Diuus Thomas prima parte quæſt.76. art.4. dicens. *Propter hoc Antiqui naturales, qui poſuerunt materiam primam eſſe aliquod ens actu, puta ignem, aut aerem, aut aliquid ſimile, dixerunt, quod nihil generatur, aut corrumpitur ſimpliciter, ſed omne fieri eſt alterari, vt dicitur in primo Phyſicorum Textu 33.* E conuerſo Scotus, & ſequaces admittentes cum Ariſtotele ſubſtantiam generari, & cum antiquis, quod materia

ria

ria sit ens actu, debent negare tertium suppositum continens definitiones substantię, & accidẽtis. Aristoteles vt saluaret generari substantiam, hoc est ens primum, per se, & substans, & non generari omnino ex nihilo, sed ex subiecto, dixit materiam primam esse ens non actu, sed potentia, formam verò substantialem dare materię primum esse, & primum actum. Quod materia, ex qua generatur substantia, sit ens potentia, nõ actu, dicit expresse 1. de generatione Textu 11. *Breuiter in præsentia quoque dicamus oportet è non ente simpliciter aliquo modo fieri generationem, & alio ex ente semper. Namque ens potentia, sed actu non ens præexistat oportet, quod sanè vtroque dicitur modo.* Ex hac verò doctrina patet primo, quid sit totum substantiale, quid accidentale. Totum substantiale est, quod constituitur per esse primum non adiacens alteri esse, vt Homo, Leo. Totum accidentale est, quod constituitur per esse adiacens alteri esse, vt musicus: constituitur enim per esse musici, quod adiacet esse hominis. Secundo patet, quid sit materia: est enim potentia, quæ potest à forma determinari ad primum esse determinatę speciei, e.g. ad esse ignis, aut aquæ. Tertio patet, quid sit forma substantialis, quid accidentalis. Substan-

tialis est, quæ dat esse primum, & non adiacens alteri esse, vt forma ignis, quæ dat igni primum esse non adiacens alteri esse. Accidentalis est, quæ dat esse adiacens alteri esse, vt musica, quæ dat homini esse musici adiacens esse hominis. Quarto patet, quid sit generatio substantialis, quid accidentalis. Generatio substantialis est, per quam res accipit esse primum, & non adiacens alteri esse: e.g. generatio hominis est substantialis, quia per illam homo accipit esse hominis, quod est esse primum. Generatio accidentalis est, per quam res accipit secundum esse adiacens alteri esse, vt per quam homo fit sanus: accipit enim esse sanitatis, quod adiacet esse hominis. Possent hæc confirmari ex pluribus locis Aristotelis, quę breuitatis gratia omittuntur.

Secundo probatur, quia contraria sententia nunquam satis explicat, quid sit substantia, quid accidens. Dicunt primo substantiam esse primum intentum naturę. Sed contra, quia quis fuit consiliarius naturę, vt possit in eius intentione discernere, quid illa primo intendat, quid secundario, & per hoc substantiam discernere ab accidente? Secundo hoc ipsum quęrimus, quod sit illud ens, quod natura primo intendit, & quam

quam habeat intrinsecam quidditatem, ac differentiam ab accidente, propter quam primò intenditur à natura. Tertio non omnes substantiæ sunt primum intentum naturæ, sed solę rationales, irrationales non sunt primum intentum naturę, sed ordinantur in bonum rationalium. Demum definire substantiam per intentionem naturę est illam definire per aliquid extraneum, recedendo à notione substantiæ, quæ consistit in hoc, vt sit ens primum, fundamentale, substans, primum subiectum, cum accidens sit ens secundarium, fundatum in altero, accidens, & adueniens alteri.

Dicunt secundo, quod substantia est finis *cui* accidentia finis *qui*; sed primo, hoc ipsum quæritur, quam quidditatem intrinsecam habeat finis *cui*: nos enim dicimus finem *cui* esse ens primum &c. finem *qui* esse ens secundarium & fundatum in alio ente, quod Aduersarij non explicant. Secundo creaturę rationales sunt finis *cui*: naturę, & substantiæ irrationales sunt solum finis *qui*: Deus enim, & natura non amat asinum vt finem *cui* propter ipsum asinum, sed propter hominem cui inseruit.

Tertio dicunt substantiam esse primũ ens, hoc est primum principium passiuũ, & actiuum, ideoque materiam esse substan-

stantiam, quia est primum principium passiuum, formam esse substantiam, quia est primum principium actiuum. Sed licet isti melius rem explicent, adhuc non satis declarant. Nam quædam dispositiones, & accidentia actiua per ipsos pręcedunt formam substantialem; ergo forma substantialis non est primum principium actiuum, quia præceditur ab alio principio; ergo forma substantialis non est substantia. Pręterea recedunt à notione substantiæ, quæ consistit in eo, vt sit ens primum, fundamentale, ac substans. Demum si materia antecedenter ad formam esset ens in actu, esset primum principium actiuum. Quod enim est in actu, potest agere, & primus actus defert primum principium agendi; ergo materia esset substantia totalis, quia esset primum principium passiuum, & actiuum. Cõfirmatur, quia virtus agẽdi fũdatur in perfecto modo essendi; sed materia habet esse per se, & non adiacens alterì, qui est perfectus modus essendi; ergo est actiua multo magis, quàm forma, quę habet esse in alio esse, eo pacto, quo ens à se est actiuum magis, quàm ens ab alio.

Tertio probatur, quia quod est actuabile actibus alicuius generis, non includit in se antęcedenter actum illius generis

ris, sed ad summum generis prioris, e g. quod est figurabile omnibus figuris non includit in se vllam figuram actualem, sed per figuram primo constituitur figuratum actu; sed materia prima est subiectum actuabile in genere substantię, cum possit recipere quamcunque formam, & actum substantialem; ergo materia prima antecedenter ad formam non includit in se vllum actum substantialem, atque adeò non est actu substantia antecedenter ad formam, eo pacto, quo figurabile non est actu figuratum antecedenter ad figuram; sed eo ipso quod non includat actum substantialem, non includit in se vllum actum etiam accidentalem, cum actus accidentales non possint esse nisi in actu substantiali; ergo materia prima antecedenter ad formam nullum habet actum neque substantialem, neque accidentalem, atque adeò antecedenter ad formam non est ens actu, sed solum potentia, seu ens actuabile, eo pacto, quo figurabile ante figuram non est ens actu, sed solum potentia.

Confirmatur, quia sicut datur figurabile, quod antecedenter ad figuram non est actu figuratum &c; sic datur substantiabile, & actuabile, quod antecedenter ad actum substantialem, non est substantia neque ens actu, sed pura potentia

stia. Preterea non minus propriè fit substantia, & ens, quam figuratum; sed figuratum fit ex subiecto figurabili, quod ante figuram non est actu figuratum; ergo substautia fit ex substantiabili quod ante formam non est actu vlla substãtia, sed solum potentia. Rursus sicut ad alios actus prerequiritur potentia, e.g. ad actum coloris prerequiritur colorabile, sic ad primum actum, qui est esse substantiale, præreqiiritur ens potẽtia, quod est substantiabile; sed potentia prerequisita ad primum actum non potest antecedenter ad illum habere vllum actum; alioquin haberet actum ante primum actum: ergo materia prima, quæ est prima potentia, primumque subiectum receptiuum primi actus, antecedenter ad formam non est actus, nec habet actum, sed est purum ens potentia, & constituitur in actu per formam.

Ex his fundamentis hãc sententiã, quã insinuarunt Aegiptij, vocantes materiam tenebras, totius entis defectum, totius naturæ ludum, prope nihil, non ens &c expressè docuit Plato in Timeo, dicens materiam secũdum se carere omni actu, & omni specie, eò quod sit subiectum recipiens omnem actum, & speciem, ac explicans id exemplis subdit: *non secus ac mollia omni figura exui debent, &*

liquo-

liquores omni odore, vt liquores imbui possint quocunque odore, omnique figura mollia exornari. Platonem sequitur Plotinus Platonicorum princeps 2. Ennead.lib.5. cap.4. dicens *materiam ipsam, quam esse omnia entia in potentia iudicamus, quanam conditione esse actu entium aliquid possumus iudicare? alioquin iam non entia cuncta in potentia foret*: & in fine cap.5. *Si in illis, quæ in potentia esse, essentiamque habent introduxeris actum, simul substantiæ suæ rationem substulisti: propterea quod eorum esse erat in potentia esse. Itaque si oportet materiam incorruptibilem seruare, necesse est eam seruare materiam. Oportet autem, vt apparet eam dicere solum in potentia esse vt id ipsum, quod est permaneat.* Idem docent alij Platonici cũ Marsilio Ficino lib. 10. theol. Platon. cap.1. & 3. Platoni consentit Aristoteles pluribus locis. Secundo deanima cap.1. dicit, quod materia est potestas, forma actus. Primo Phys. tex.79. dicit, materiam esse propè, & quodammodo substantiam, quia nimirum est substantia,& ens solum potentia. Septimo met. tex 22. dicit: *cuncta, quæ fiunt materiam habent. Possibile enim est esse, & non esse eorum vnumquodque: hoc autem materiam dico*; ergo secundum Aristotelem materia est ipsum *possibile esse*; atque adeò per se non est actn. Ad hæc

loca

loca alludit Augustinus lib. 12. conf. Si liceret, inquit, dicere quod aliquid est, & non est, hoc dicerem esse materiam; & eodem lib. 7. Duo fecisti Domine, vnum prope te, scilicet Angelum, aliud prope nihil, scilicet materiam primam. S. Thomas etiam eamdem sentētiam docet pluribus locis, imo fundat in ea totam suam Metaphysicam.

Ad 1. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas patet ex dictis. Ad compositum substantiale per se vnum non officit, sed valdè prodest, vt constet ex actuabili, & actuatiuo, formabili, & formatiuo; sed actuabile, & actuatiuum sunt quid incompletum, ac differunt secundum essentiam; ergo ad compositum per se vnum valdè prodest, vt sit ex pluribus incompletis diuersis secundum essentiam. At non potest compositum substantiale componi ex duplici actu, quorum vnus sit primus, & per se stās, alter sit secundus, & adiacens primo: eo enim ipso actus secundus esset accidens, vt dictum est.

Ad 2. Plures existentiæ substantiales possuut constituere vnam continuam existentiam totalem, quia singulæ sunt existentiæ per se stantes, & non adiacentes, ac receptę in alia existentia; ergo singulæ sunt substantiales; ergo copulatæ aliquo

aliquo termino communi constituent vnã continuam existentiam substantialem totalem. Continua enim sunt, *quorum partes copulantur aliquo termino communi*, vt docet Aristoteles cap. de quantitate. At si materia haberet propriam existentiam, existentia formæ esset existentia non per se stans, sed adiacens alteri existentię, adeoque accidentalis, vt dictum est. Rursus si in Christo dantur duę existentię, creata, & increata, etiam creata est substantialis, cum naturaliter per se stet, & non adiaceat alteri existentię: ergo licet supernaturaliter sit in supposito habente aliam existentiam, adhuc remanet substantialis, & apta ad faciendum vnum per se: at existentia formarum materialium naturaliter deberet adiacere alteri existentiæ; ergo esset accidens, adeoque inepta ad faciendum vnum substantiale cum materia.

Ad 3. Concedo, quod essentia, & existentia debent inuicem proportionari proportione physica, & coaptationis. Cum opponitur: duabus diuersis essentijs non proportionatur vna existentia: distinguo maiorem: duabus diuersis essentijs ordinatis ad constituendum vnum ens per se, non proportionatur vnica existentia, nego maiorem; non ordinatis ad constituendum vnum ens per se, conce-

concedo; distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Ad constituendum vnum per se proportionatur vnum esse, vt explicatum est. Dum rursus opponitur, essentiæ incorruptibili non proportionatur existentia corruptibilis; essentia materię est incorruptibilis; ergo &c: distinguo maiorem, essentiæ incorruptibili ordinatæ ad faciendum vnum per se corruptibile, nego maiorem; non ordinatæ ad faciendum vnum corruptibile, concedo maiorem: distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiã. Essẽtia materiæ incorruptibilis ordinatur ad faciendum vnũ per se corruptibile, nimirum hominem corruptibilem, ideoque proportionatur illi existentia corruptibilis, accepta à formis materialibus. Dum opponitur; essentiæ materiali non proportionatur existentia spiritualis; materia est essentia materialis; ergo non proportionatur illi existentia spiritualis animæ rationalis: distinguo maiorem; essentię materiali in quantum actuatur per formam, & actum spiritualem, non proportionatur existentia spiritualis, nego maiorem; in quantum actuatur per formam materialem; concedo maiorem; distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Certum est, quod materię proportionatur

an i-

ma rationalis; quę est forma & actus spiritualis; quid ni ergo proportionetur eidem existentia spiritualis animæ rationalis?

Ad 4 Nego sequi, quod materia generetur, & corrumpatur, ac dico, quod solum transmutatur. Dum opponitur; tum aliquid generatur, cum accipit existentiam, tum corrumpitur, cum spoliatur existentia; sed cum ignis fit, materia prima accipit existentiam ignis; cum ignis corrumpitur, illam amittit; ergo &c: distinguo maiorem, tum aliquid generatur, cum accipit existentiam, ità vt prius non existeret cum alia existentia; tum aliquid corrumpitur, cum spoliatur existentia, ita vt post non remaneat cum alia existentia, cōcedo maiorē; ita vt prius existat, & post remaneat cū alia existentia, nego maiorem: d st. eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Quando aliquid, quod prius existebat, transmutatur ab vna existentia in aliam, non generatur, & similiter non corrumpitur cum loco vnius existentiæ accipit aliam; sed materia, ita accipit de nouo vnam existentiam, vt ante aliam haberet, ita spoliatur vna existentia, vt aliam accipiat, ergo non generatur, neque corrumpitur, sed merè transmutatur ab vno esse ad aliud esse,

se. Totum verò, e.g. ignis, homo, &c. generatur, & corrumpitur, quia cum ante non esset, accipit esse, & cum esset, amittit esse, quod habebat. Quod si agens naturale non producit materiæm primã, à fortiori nõ creat si, cũ creare sit quoddam producere:

Ad 5. Concedo, quod solus *Deus* ab initio creauerit materiam primam, & solus illam conseruet sine concursu causę secundæ illam conseruantis, non tamen sine concursu causæ secundę dantis illi hoc esse speciale, e.g. esse ignis. Dum opponitur: causa secunda dat materię primæ esse ignis; ergo concurrit ad eius conseruationem; nego consequentiam. Vt enim aliquid concurrat ad conseruationem alterius, non sufficit, vt quomodocumque det illi esse, sed debet ita dare esse, vt nisi daret, non existeret, vel posset non existere; sed licet causa secunda non daret materię esse ignis, adhuc materia existeret, & non posset non existere sub aliqua forma alia forma: ergo causa secunda non concurrit ad conseruandam materiam primam, sed solus Deus illam conseruat; solus enim ita dat esse, vt nisi daret, materia non non existeret vllo pacto, nec vllum haberet esse.

Ad 6. Concedo, quod materia est causa

sa per se tum formę, tum compositi; ac respectu compositi est causa intrinsecè componens; e.g. materia ignis intrinsecè componit ignem, vt pars eius; respectu formæ non est causa intrinsecè componens: forma enim non componitur ex materia; sed respectu formarum materialium est causa non actiua, sed purè passiua, receptiua, ac sustentatiua; e.g. materia leonis est quidem causa animę leonis, sed est causa purè passiua, & receptiua, non autem actiua, & effectiua: neque enim materia efficit animam leonis, sed purè recipit ab agente: est etiã causa sustentatiua, quia illam recipit sustentando in esse, quandoquidem anima leonis non potest conseruari in esse, nisi recipiatur in materia. Respectu animæ rationalis materia non est causa, quia, ita recipit animam, vt non sustentet in esse, quia anima potest, ac debet esse etiã separata à materia, cum remaneat post mortem. Iam causa actiua prius natura existit, quàm effectus. Ratio est, quia, causa actiua eatenus agit, quatenus est in actu; e.g. ignis eatenus calefacit in, quantum est actu calidus, Sol eatenus illuminat, in quantum est actu lucidus, & quod est calidum solum in potentia, & est merè calefactibile, nequit calefacere, ergo ad hoc, vt causa actiua agat, &
pro-

producat effectum, debet actu esse, & actu existere, vt sic effectui det existentiam; ergo causa actiua existit prius natura, quam effectus. At causa passiua, vt effectum recipiat, non debet esse in actu, sed solum in potentia; e.g. aqua vt calefiat; non debet esse actu calida, antecedenter ad calefactionem, sed solum calefactibilis, & per calefactionem fit actu calida, idemque valet in omnibus; sed materia prima est primum, actuabile, & est prima causa passiua, ac receptiua primi actus, nimirum formæ substantialis; ergo antecedenter ad actum, & ad formam, non debet actu esse, sed debet esse solum in potentia. Hinc ad argumentum in forma, distinguo maiorem: causa actiua existit prius natura, quam effectus, concedo maiorem; causa purè passiua nego maiorem, & distinguo minorem; materia est causa actiua formæ, nego minorem; est causa purè passiua cócedo minorem, & nego consequentiam. Addo, quod materia existit prius tempore quam forma accepta per naturalem generationē; antequam enim ab agente naturali accipiat formam ignis, materia existebat sub forma ligni, ideoque pro instanti antecedente, materia erat non solum, prius natura, sed priustempore, at
pro

pro illo instanti, pro quo formam accipit non existit actu prius natura, sed solum est secundum potentiam & essentiam; & existit simul cum forma, cum per eandem existentiam existat.

Eodem pacto ad confirmationem distinguo maiorem, causa actiua non mẽdicat existentiam ab effectu, neque prius in actu à posteriori, concedo maiorẽ: causa passiua, & prius solum potentia, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Calefactibile mendicat esse calidum actu à calore, & subiectum actuabile mendicat esse actu ab actu, cum sit causa merè passiua, hoc est receptiua & mendicatiua actus.

Ad 7. Distinguo maiorẽ; omne actuabile actu non primo, antecedẽter ad talem actũ, habet actum alterius generis cõcedo: maiorem; omne actuabile simpliciter quolibet actu etiam primo, nego maiorem, distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Figurabile est actuabile actu non primo; figura quippe, vtpote accidens adueniens rei actu iam existenti, non est primus actus, sed supponit alium fundamentalem, & substantialem, quod idem valet de cæteris actibus accidentalibus At actus substantialis est primus actus sub

ſtans omnibus alijs actibus, & non ſupponens vllum alium actum; ergo actuabile actu ſubſtantiali, hoc eſt primo nõ poteſt antecedenter habere alium actum. Quare argumẽtũ retorquetur, & hoc ipſo argumẽto vſi ſumus ad probãdã noſtrã cõcluſionẽ in ſexto fũdamẽto. Vana eſt igitur Scotiſtarum diſtinctio de actu entitatiuo, & formali. Actus enim ſubſtantialis debet eſſe actus primus, fundamentalis ac ſubſtans, non verò actus ſecundus fundatus ac receptus in vllo alio actu, neque formali, neque entitatiuo.

Ad confirmationem diſtinguo maiorem ſubiectum formabile omnibus formis eſt exiſtens extra cauſas actu nego maiorẽ: eſt ſubiectũ extrà cauſas intrinſeca potentia concedo maiorẽ, diſtinguo eodẽ pacto minorẽ, & nego cõſequẽtiã. Quot modis dicitur eſſe, tot modis dicitur eſſe extra cauſas, eſſe dicitur dupliciter ex Ariſtotele 9 met. tex. 1. eſſe nimirum potentia intellige intrinſeca, & eſſe actu; ergo eſſe extra cauſas dicitur dupliciter; nimirum eſſe extra cauſas potentia intrinſeca: & eſſe extra cauſas actu. Subiectum formabile omni actu etiam primo antecedenter ad omnem actum profectò non eſt actu extra cauſas, ſed ſolum eſt extra cauſas potentia

intrin-

intrinſeca. Si verò importunè quæratur quid ſit eſſe actu, reſpondeo cum Ariſtotele 9. met. tex. 11. *actus eſt rem exiſtere, non quemadmodum dicimus poteſtate; manifeſtum autem eſt quod dicere volumus per inductionem ſingularium, & non oportet omnium definitionem quærere, ſed etiam quod proportionale eſt conſpicere;* & pergit, id explicando exemplis. Sicut enim eſſe ędificatiuum ſe habet ad ædificare, ita poſſe eſſe actu ſe habet ad eſſe actu. Poſſe intrinſecè eſſe actu eſt eſſe ens in potentia; actu eſſe eſt ipſe actus.

Ad 8. Nego materiam poſſe ſupernaturaliter exiſtere ſpoliatam omni forma. Vt enim ex confeſſione Scoti in 2. diſt. 11. quæſt. 2. Ariſtoteles docet 2. Phyſicorum tex. 12. materia per nullam potentiam poteſt eſſe ſpoliata omni forma. Probatur autem ab Auerroe in com. eius loci, S. Th. 1. parte quæſt. 66. art. 1. & alijs, quia materia eſt pura potentia, forma eſt actus: ergo ſi materia exiſteret actu ſine omni forma, exiſteret actu ſine omni actu. Quod verò non poſſit etiam eſſe ſine qualibet forma ſubſtantiali probatur primo, quia materia eſt ſubſtantia; ergo quandocumque eſt actu, eſt ſubſtantia actu; ſed nō poteſt ſubſtantia actu eſſe ſine actu ſubſtantiali; ergo non poteſt materia actu

esse sine forma, & actu substantiali. Secundo quidquid dat rei primum esse simpliciter est forma substantialis; sed eo ipso quod materia actu esset, aliquis actus daret illi simpliciter esse, & primum esse; ergo talis actus esset substantialis. Demum cum non possit materia ne supernaturaliter quidem spoliari omni forma accidentali: non enim potest spoliari omni vbicatione ac poni nullibi non pon potest spoliari omni figura, &c. à fortiori non potest spoliari omni forma substantiali. Si enim figurabile non potest esse quin sit figuratū figura determinatę speciei, materia non potest esse quin sit in determinata specie corporis.

Ad primam probationem, nego materiam ab initio Mundi creatam fuisse sine omni forma; in principio enim Mundi Deus creauit Cælum, & terram, aquam, & aerem, vt ex Genesi colligitur, atque adeò creauit materiam sub formis terræ, aquæ, & aeris, & formā concreauit materiæ cum non eduxerit formam ex subiecto prius existente, transmutando illud, vt requiritur ad generationem naturalem. SS. PP. in argumento allegati dum dicunt quod verba illa *Terra erat inanis & vacua*, significant, materia erat informis, non asserunt quod erat priuata omni forma

sub-

ſubſtantili: nam in principio Deus creauit terram; ergo materiam cum forma ſubſtantiali Terrę; ſed dicunt, quod erat informis, quia carebat formoſitate, quam poſtea ab herbis, ac plantis habuit, & cum eſſet cooperta aquis erat inuiſibilis. Cæterum Sanctus Auguſtinus expreſsè docet materiam non poſſe eſſe ſine forma per verba ſequentia relata à Bacchonio in ſecũdo diſt. 12. *Sicut* inquit, *non poteſt eſſe vox quin ſit per aliquod verbum formata, ſic non poteſt fieri materia niſi per aliquam formam formata ſit*. Quare cum dicit materiam pręceſſiſſe formam, intelligendus eſt, quod præceſſerit non tempore, ſed origine, eo pacto, quo potentia pręcedit actum, vt explicat Sanctus Thomas loco allegato. Negandum eſt etiam in triduo mortis materiam Chriſti fuiſſe abſque omni forma: verè enim illud corpus erat mortuum, atque adeò habebat formam corporis mortui, quę dicitur forma cadaueris. Scotus, & alij contrarium aſſerentes ſunt pauci, & communiter reprehenduntur à reliquis Scholaſticis.

Ad ſecundam probationem primo diſtinguo maiorem: omne abſolutum exiſtens prius natura, quam aliud poteſt exiſtere ſine illo, tranſeat; omne abſolutum non prius exiſtens, ſed prius ſo-

lum secundum essentiam, nego maiorē; distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Aristoteles dum dicit, quod priora sunt, quæ possunt esse sine alijs loquitur de prioribus secundum existentiam: at materia non prius existit quam forma, vt dictum est in solutione argumenti sexti. Secundo respondeo negando absolutè maiorem: principium enim illud Scoti caret fundamento, & ex eo Scotus infert plura contra sensum communem; e. g. infert, quod corpus possit esse diuinitus nullibi, quod possit diuinitus carere omni figura. Nec Aristoteles id dicit: verbis enim allegatis docet, quod ea, quæ possunt esse sine alio, alia verò non sine his sunt priora; sed non dicit, quod omnia priora habeant hanc proprietatem quod possint esse sine suo posteriori; imo in post prædicamentis cap. de priori, agnoscit prioritatem naturæ inter ea, quorum neutrum potest esse sine altero, vt explicabitur cum agetur de prioritate naturæ.

Ad tertiam nego maiorem: magis enim dependet res à causa formali, quæ est forma, quam forma dependeat à subiecto: e.g. magis album in esse albi dependet ab albedine, qua constituitur formaliter, & actu album, quam albedo depen-

dependeat à subiecto dealbabili: repugnat enim per quamcunque potentiam, vt dealbabile sit album actu sine albedine, at potest saltem diuinitus albedo dari sine subiecto dealbabili; sed materia, vtpotè purum actuabile, constituitur in actu per actum, qui est forma, eo pacto, quo dealbabile constituitur album actu per albedinem, ergo non minus repugnat, quod materia sit actu sine forma, & sine actu, quam quod dealbabile sit actu album sine albedine.

Ad confirmationem materia est ita substantia incompleta, vt sit substantia solum potentia, non actu, atque adeò non potest esse actu sine actu, licet anima, quę est actus, & forma possit etiam remanere etiamsi nullum subiectum informet.

Ad quartam, transeat maior, & distinguo minorem: forma non est de essentia materiæ actu existentis, vt existentis, nego minorem: non est de de essentia materiæ secundum eius esse potentiale, concedo minorem, & nego consequentiam; omnis forma est de essentia sui effectus formalis; e.g. albedo est de essentia albi in quantum est album, figura de essentia figurati actu, in quantum est actu figuratum; actus est

de essentia seu intrinseca constitutione rei existentis in actu; ideoque Deus nō potest facere materiam existētem actu sine forma, & actu, sicut non potest facere figuratum sine figura. Hinc est axioma commune quod Deus non potest supplere defectum causæ formalis, licet possit supplere defectum efficientis, e.g. potest facere quod paries sit lucidus sine Sole, qui est causa efficiens parietem lucidum, at non potest facere, vt paries sit lucidus sine luce, quæ est causa formalis lucidi.

Ad quintam probationem, nego maiorem: materia enim necessario est cō-nexa cum forma tanquam cum actu, per quem existat actu. Dum opponitur, quod non est connexum cum specie, non est connexum cum genere; distinguo, quod non est connexum cum specie neque determinatè, neque indeterminatè, transeat; quod non est connexum cum specie determinatè, sed est connexum indeterminatè, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiā. Ego non sum connexus cum vllo loco determinatè, qu a sine quocunque loco determinatè sumpto possum esse; possum enim esse sine loco Romano, cum possim non esse Romę, &c. & tamen non possum esse nullibi. Idem dic de duratione,

tione, materia potest esse sine quocunque actu determinatè sumpto, sed non potest esse sine omni omninò actu.

Vtrum in materia detur potentia, respectus, & appetitus ad formas. Quæstio VIII.

VIdetur non dari 1. quia si in materia daretur potentia passiua; & receptiua formarum substantialium, vel ista potentia esset ipsa essentia materię, vel accidens materiæ; non potest esse ipsa essentia materiæ; nam essentia materię remanet, cum materia iam habet actu formam; sed potentia materię non remanet cum habet actu formam, quando enim iam est in actu non est amplius in potentia ad talem actum, ergo. Nec potentia receptiua formarum potest esse accidens materiæ, quia formæ substantiales sunt actus recepti in potentia receptiua materiæ; sed formę substantiales non recipiuntur in accidente; ergo potentia materiæ non est accidens.

2. Si in materia daretur respectus ad formas, vel iste respectus reciperetur in sola materia, vel in materia simul,

& forma, non potest recipi in sola materia, quia nullum accidens potest recipi solum in potentia, sed recipitur in ente actuato: neque potest recipi in materia actuata, & formata, quia respectus ad formam non potest esse in forma; nihil enim recipit respectum ad seipsum.

3. Si materia respiceret formas vt possibiles, erg. formam ignis, formam hominis, formam equi &c, vel respiceret singulas determinatè, ità vt impossibilitata quacunque forma determinata, eo ipso impossibilitaretur materia, vel respiceret formas solum indeterminatè, ità vt impossibilitata quacunque forma in particulari, dummodo aliæ formę remanerent possibiles, adhuc materia non impossibilitaretur; non potest respicere singulas formas determinatè, alioquin darentur in materia tot respectus, quot sunt formæ possibiles, respectus siquidem multiplicantur ad multiplicationem terminorum; sed formæ possibiles sunt infinitæ, saltem numero, & fortasse etiam specie; ergo in materia darentur infiniti respectus; ergo materia non posset comprehendi ab intellectu creato finito; finitus enim intellectus non potest distinctè cognoscere infinita. Quod si dicamus dari in materia

ria vnicum reſpectum determinatè reſpicientem infinitas formas, adhuc daretur vnus reſpectus æquiualens infinitis reſpectibus reſpicientibus hanc formam, & hanc determinatè, quod etiam videtur repugnare limitatione entis creati, & ex quo ſequitur pariter incõprehenſibilitas materiæ. Neque poteſt materia reſpicere formas ſolum indeterminatè, quia materia eo pacto formas reſpicit, quo illas recipit; ſed recipit formas determinatè, e. gr. recipit hanc animam rationalem: ergo reſpicit formas determinatè.

4. Si materia appeteret formam, vt turpe, pulchrum quemadmodum in Timeo Plato, & 1. Phyſ. tex. 81. Ariſtoteles loquitur, vel appeteret formam appetitu elicito procedente ex cognitione, & hoc eſt falſum, vt patet, vel formam appeteret appetitu innato, & naturali, eo pacto, quo lapis appetit centrum, & neque hoc appetitu poteſt formam appetere materia, cum talis appetitus oriatur ab aliqua forma inclinante, e.g. appetitus centri in lapide oritur à forma grauitatis, quæ ad centrum inclinat; ſed materia eſt pura potentia; ergo ſicut per ſeipſam non habet formã, ità nec habet inclinationem innatam, & appetitum naturalem ad formam: & hoc

est primum argumentum Auicennæ cõtra appetitum materiæ, vt videre est apud S. Th. in comm. tex. 81. 1. Phys.

5. Vt secundo obijcit Auicenna, si materia appeteret formam, vel quia careret omni forma, & hoc est falsum; vel quia licet habeat vnam formam, appeteret simul habere plures formas, & ità appeteret impossibile; vel quia fastidiret formam, quam habet, & aliam quæreret, & hoc etiam est vanum; ergo mareria non appetit formam. Addit tertio Auicenna, quod dicere materiam appetere formam, vt turpe pulchrum, est potius locutio poetica, & figurata, quam Philosophica, & propria.

6. Si materia appeteret formas, vel appeteret ęqualiter formas inæqualiter bonas, & perfectas, vel meliores, & perfectiores magis appeteret; non appetit magis formas meliores, e.g. magis formam hominis, quam formam ferri, non enim minus, sed potius magis est contenta sub forma ferri quam sub forma hominis, ideoque difficilius sinit se spoliari forma ferri, quam forma hominis, vt patet experientia. Nec etiã potest dici, quod æqualiter appetat formas inæquales; ideo enim materia appetit formam, quia cum secundum se sit informis, vtpotè non habens actum

pro-

proprium appetit formas, quæ ſunt actus, pulchritudo & formoſitas, & vt Ariſtoteles ait tex 81. *lib.* 1. ſunt quoddam, diuinum, bonum, & appetibile; ſed forma perfectior eſt maior pulchritudo, & formoſitas, & eſt quoddam diuinius, melius & appetibilius forma imperfectiori; ergo magis appetit formas perfectiores; eſt enim irrationale quod appetat formas, quia ſunt appetibiles, & non magis appetat magis appetibiles.

7. Ideo materia appetit formas, quia per ipſas eſt formabilis, actuabilis, & perfectibilis; ſed etiam materia eſt formabilis actuabilis, & perfectibilis per formas ſupernaturales, & iam corruptas; ergo materia habet appetitum etiã formarum ſupernaturalium, & iam corruptarum; ſed hic appetitus non poteſt naturaliter expleri, neque enim poteſt materia formari naturaliter formis ſupernaturalibus, vel iam corruptis, cum, formæ ſemel corruptæ non poſſint naturaliter reproduci, nec muſca ſemel mortua poſſit naturaliter reſurgere; ergo, &c.

Reſpondeo, ac dico potentiam receptiuam formarum ſubſtantialium, in, qua illę recipiuntur immediatè, eſſe, ipſam eſſentiam materiæ, atque adeò nõ eſſe accidẽs diſtinctum ab eius eſſentia.

Pro-

Probatur id ex pluribus: primo quia ens diuiditur adęquatè in ens potentia, & ens actu ex Aristotele 9. met. tex. 1. quem sequuntur omnes; & ratio est, quia ens dicitur ab esse, & constituitur per esse; sed non potest dari aliud esse reale, quam esse actu, ac esse potentia; ergo non potest dari aliud ens reale, quam ens potentia, & ens actu; sed materia per seipsam est ens, & non est per seipsam ens actu; ergo per seipsam est ens potentia; ergo materia constituitur per ipsam potentiam, atque adeo potẽtia est essentia materiæ. Præterea si materia per seipsam esset ens, & non esset potentia, cum neque sit actus, daretur ens, quod per seipsum neque esset potentia, neque actus, quod est contra Aristotelem, & contra veritatem, cum hoc ens neque constitueretur per esse actuale, neque per esse potentiale. Rursus materia cum non sit actus, nihil aliud tandem est, quam receptaculum omnis actus, & omnis formæ, quam subiectum formabile omni forma, & & actuabile omni actu; sed hæc omnia significant potentiam passiuam, ac receptiuam actus; ergo materia nihil aliud tandem est, quam potentia passiua, ac receptiua actus, & in hoc ipso consistit eius essentia.

Se-

Secundo si potentia receptiua formarum substantialium esset accidens materię, formæ substantiales cum recipiantur in potentia receptiua, reciperentur in accidente, quod est absurdum. Rursus forma substantialis est quæ dat materiæ primum esse; sed prima forma, quæ recipitur in materia dat materiæ primum esse, formæ verò aduenientes materię iam formatæ forma priori dant esse secundarium, & secundum quid atque adeo sunt accidentia; ergo sola potentia, quæ primo reciperetur in materia, esset substantialis, formæ verò substantiales supponentes hanc potentiã essent accidentia. Est autem hæc sententia communis pene omnium authorũ vt fatetur Zabarella cõtrariæ opinionis patronus lib. 1. de materia, cap. 9.

Dico secundo: potentia materię est entitas absoluta, & non est entitas relatiua propriè,

Probatur ex differentia entitatis absolutæ ab entitate relatiua. Entitas absoluta est, per quam ens constituitur in suo esse intrinseco, & non ordinatur ad alterum: entitas relatiua est per quam vnum ens ordinatur ad alterum, ideoque relatiua sunt ad alterum; sed ens simpliciter, nimirum homo, equus &c. constituuntur intrinsecè in suo esse per

po-

potentiam, & actum, per actuabile, & actuatiuum per materiam recipientem, & actum receptum, & per hæc non ordinantur ad alterum; ergo materia, & forma sunt entitates absolutæ partiales, & incompletę, & non sunt relatiuæ.

Confirmatur, quia id, per quod aliquid ordinatur ad hoc, vt constituatur hoc ens actuale determinatæ speciei, non est relatio, per quam ordinetur ad alterum ens; sed materia per hoc, quod sit potentia actuabilis, & formabilis ordinatur ad hoc, vt sit hoc ens actuale determinatę speciei per formam; ergo materia per hoc quod sit potentia actuabilis, & formabilis non ordinatur ad alterum ens, atque adeò est entitas potentialis absoluta, non relatiua, & forma etiam est entitas actualis absoluta, non relatiua.

Dico tertio: ipsa essentia, ac potentia materiæ est appetitus innatus, & naturalis, quo appetit formas, vt turpe appetit esse pulchrum, & informe suam formositatem.

Vt probem conclusionem, explico quid sit appetitus vt sic, & quo pacto appetitus innatus differt ab elicito. Appetitus vt sic est ordinatio, & inclinatio in bonum. Dupliciter potest, aliquid

quid ordinari in bonum: primo ordinãdo seipsum in bonum cognitum ex ipsa cognitione; vt cum aliquis cognoscens beatitudinem ordinat seipsum ad illam consequendam; & hęc ordinatio in bonum orta ex cognitione vocatur appetitus elicitus proprius agentium cognoscitiuorum. Secundo potest aliquid ordinari in bonum, & finem ab extrinseco agente, & ordinãte, eo pacto, quo sagitta ordinatur ad scopum ã sagittario, & hic vocatur appetitus innatus; & naturalis conueniens etiam rebus insensatis, & tali appetitu lapis, appetit centrum, quia à Deo per grauitatem inclinatur ad centrum, tanquam ad suum bonum, & finem. Materia, seu potentia actuabilis, ac formabilis secundum suam essentiam ordinatur à Deo ad formas substantiales tanquam ad suum esse specificum; suum bonum, suam pulchritudinem, suam formisitatem, ideoque per seipsam, & per suam essentiam appetit formas, eo pacto, quo turpe appetit esse pulchrum, seu formosum, & benè formatum, talis tamen appetitus non addit alium respectum quam rationis, quia non ordinatur ad alterum, sed ad suum esse constitutiuum. Videri potest S. Th. in comm. tex. 81. lib. 1 Phys.

Dico

Dico quarto: datur etiam in materia, potentia, appetitus, ac respectus accidentalis ad aliquas formas, per quam dicitur esse ad illas simpliciter in potentia, quæ potentia accidentalis cessat posita forma, & actu.

Vt probem: suppono doctrinam Aristotelis secundo Periher. cap. 3. quod potentia dicitur dupliciter. Primo dicitur aliquid posse, quia iam est actu: ita Deus dicitur posse esse, quia iam est; dicitur aliquis posse sedere, quia iam sedet. Secundo dicitur posse, quod nõ est in actu, sed posset esse, presertim si sit propinquum ad essendum in actu; e.g. dicitur posse eligi, qui non est electus, sed forsan eligetur, & est propinquus ad hoc, vt eligatur: dicitur puluis tormentarius posse ignescere, quia fortasse ignescet, & est propinquus ad ignescendum. In hoc ergo secundo sensu materia dicitur esse in potentia ad aliquam formam, cum est propinqua ad illam habendam, licet illa careat, e.g. materia pulueris tormentary; dicitur esse in potentia ad ignescendum, cum est propinquissima ad habendam formam ignis; licet illa careat; materia etiam vini, cum est propinqua ad habendam formam aceti, dicitur esse in potentia acetum; cum quis est propinquus alicui

loco.

oco dicitur esse in eo loco in potentia. Hæc proxima potentia non est essentialis, sed accidentalis materiæ. Consistitur enim per hoc, quod materia habeat formam propinquam, & accidentia dispositiua ad aliam formam; ex.gr. per hoc quod habeat formam pulueris tormentarij, & eius accidentia dicitur esse in potentia ad formam ignis. Additur, quod hæc potentia accidentalis cessat posito actu. Sicut enim quis per hoc, quod sit in Platea Sancti *Petri*, est in potentia ad essendum in templo eiusdem, & tamen cum est actu in templo non est amplius in platea; sic materia per hoc, quod habeat formam pulueris tormentarij, & eius accidentia est in potentia ignis, & tamen cum actu est ignis non retinet illam potentiam. Differt autem hæc potentia à priuatione solum secundum rectum, & connotatum. *Priuatio* enim est carentia formæ in subiecto apto; potentia est aptitudo ad formam in subiecto carente. Hinc est, vt Auerroes relatus à Zabarella libro primo de materia prima; capite nono, doceat quinto Met. commento 19 potentiam habere coniunctam priuationem, ratione cuius opponitur actui, idemque repetat alijs locis.

Iam materia cum est in potentia accidentali

dentali ad aliquam formam, respicit, & appetit illam respectu, & appetitu accidentali; e.g. materia oui, cum per accidẽtia in eam introducta à gallina incubante est in potentia accidentali ad formam pulli respicit, & appetit illam appetitu accidentali. Sicut enim per ea accidentia ordinatur ad formam pulli, tanquam ad finem, & bonum suum, ita talis ordinatio est appetitus innatus eius boni. De materia in hoc statu, verificatur, quod sit potius nouerca quam mater, quod sit malefica, & adultera. Sicut enim adultera, cum habeat virũ, appetit alterum virum, & recipit domi, eos qui machinãtur interitum viro suo, atque adeò fit particeps machinationis, & maleficij in virum, ita materia cum habeat formam oui, appetit formam pulli, & recipit accidentia destructiua oui, & ordinatiua eius ad formam pulli, atque adeò fit particeps machinationis, & maleficij in formam oui. Similiter cum conceperit in suo sinu formam, vt mater filium, appetit aliam formam destructiuam formæ, quam habet, ideoque videtur nouerca filij. Habentur hæc exempla apud Platonem, & Aristotelem.

Ad 1. Concedo maiorem, & nego minorem. Vt enim dictum est conclusione

sione prima, & quarta conuenit materiæ duplex potentia. Altera est potentia formabilis, & actuabilis per formas, & per actus substantiales, & eorum receptiua, & hæc est ipsa essentia materiæ. Altera est aptitudo propinqua materiæ ad habendam formam, qua caret, cuiusmodi est aptitudo oui ad habendam formam pulli, qua caret, & hæc est potentia accidentalis ac dispositiua materiæ. Hinc cum opponitur: essentia materiæ remanet, cum materia habet actu formam, potentia non remanet &c: distinguo minorem potentia actuabilis nō remanet, nego minorem; non remanet potentia propinquitatis; & aptitudinis ad habendam formam, qua caret, concedo minorem; & distinguo consequēs ergo potentia actuabilis forma non est; essentia materię, nego consequentiam; potentia propinquitatis concedo consequentiam. Cum actuabile actuatur remanet; at cum propinquum ad habendum; habet, non remanet amplius propinquā ideò remanet potentia actuabilis, nō autem potentia propinquitatis

Ad 2. Dico, quod omnis respectus realis accidentalis recipitur in materia actuata, & formata, quia omne accidēs est in subiecto actuali. Dum opponitur: respectus ad formam non potest esse in for-

forma, nihil enim habet respectum ad seipsum; distinguo, respectus ad vnam formam non potest esse in alia forma, nego; respectus ad vnam formam non potest esse in eadem forma, concedo. Sicut vnus locus habet respectum propinquitatis aut distantiæ ad alia loca, non tamen ad seipsum, ita materia formata vna forma habet respectum propinquitatis aut distantię ad alias formas: e.g. materia formata forma oui habet respectum propinquitatis ad formam pulli; ad formam autem hominis, aut equi: habet respectum distantiæ; ac materia ad formam, quam habet non habet respectum de genere relationis, quia nihil habet respectum ad suum esse specificum actuale.

Ad 3. Non datur respectus realis nisi ad ens actuale, vel si datur ad ens purè possibile datur solum ad illud, in quantum possibilitas ipsius est actualis. Materia igitur formata non alio respectu respicit formas possibiles, quam quo respicit actualem possibilitatem ipsarum. Et quia prima possibilitas omnium formarum, & omnium entium est Deus, vt dictum est in logica; possibilitates secundæ sunt causæ secundæ; materia verò habet respectum realem determinatum tum ad Deum, tum ad causas secundas

secundas

undas, ideò materia respicit determi-
atè omnes possibilitates omnium for-
narum, & in hoc sensu respicit formas
ossibiles, vt possibiles determinatè.
Concedo etiam quod materia ità respi-
iat omnes formas possibiles, vt possi-
iles, & ità sit connexa cum possibilita-
: cuiuscunque ex illis vt quacunque re-
ignante impossibilitaretur materia.
uferri enim possibilitatem primam for-
nicę, e.g. est auferri Deum; sed abla-
Deo eo ipso materia esset impossibi-
s; ergo ablata possibilitate cuiuscun-
ie formę particularis, eo ipso mate-
a esset impossibilis; ergo est determi-
atè connexa cum quacunque forma vt
ossibili. Imo quodlibet ens respicit, &
t connexum determinatè cum quocun-
ie alio ente vt possibili, quia quodlibet
is est connexum determinatè cum pri-
o ente necessario, quod est prima pos-
bilitas necessaria omnium possibilium,
: est prima impossibilitas necessaria
mnium impossibilium. *Dum* opponi-
ır: respectus multiplicantur ad multi-
licationem terminorum: formæ possi-
iles sunt infinitæ; ergo respectus sunt
ıfiniti; distinguo maiorem: respectus
ultiplicantur ad multiplicationem ter-
inorum secundum rationem formalē,
cundum quam respiciuntur, concedo
maio-

maiorem; secundum rationem materialem, quę respicitur, nego maiorem; & distinguo minorem; formę possibiles sunt infinitæ secundum rationem possibilitatis actualis, nego minorem; secundũ aliam rationem, concedo minorem, & nego consequentiam. Materia respicit formas vt possibiles, ità vt ratio respiciendi sit possibilitas actualis ipsarum; sed prima possibilitas est vnica, nimirum Deus; possibilitates secundę actuales sunt finitæ; ergo materia non habet respectus infinitos, sed finitos. Potest igitur comprehendi materia cum omnibus suis respectibus, quin distinctè cognoscantur infinitæ formę possibiles. In alio tamen sensu materia respicit formas indeterminatè, in quantum habet respectum non distinguentem vnam formam possibilem ab alia. Ratio est, quia potentia purè passiua, & indifferens non respicit actus illos determinando, ac distinguendo inter se; e.g. subiectum locabile in omni loco non respicit loca determinando, & distinguendo omnia loca possibilia inter se, idemque dic de cęteris; sed materia est potentia purè passiua, & indifferens ad recipiendam quamcumque formam ab agentibus; ergo respicit formas sub ratione formæ respectu non distinguente vnam formã

ab

ab alia, ideoque in materia, & ex vi illius non possunt formę inter se distingui etiamsi comprehendatur materia; eo pacto, quo comprehensa cera figurabili; non possent ex vi illius distingui omnes figurę quibus est figurabilis.

Dum opponitur: materia eo pacto respicit formas, quo recipit formas; recipit determinatè & distinctè, e.g. hāc, & hanc; ergo respicit determinatè: nego maiorem, Nam materia secundum se est potentia determinabilis ab agente, atque adeò respicit formas possibiles, vt determinabiles, & indistinctè, at recipit formas, vt actu determinatas ab agente, atque adeò recipit determinatè, & distinctè, hanc, & hanc &c. Explicatur exemplo: cum quis appetit panem, vt dabilem respicit panem dabilem indeterminatè, & indistinctè, at cum respicit panem, respicit hunc, qui datur illi determinatè.

Ad 4. & primum Auicennæ contra appetitum materiæ, concedo maiorem, & nego secundam partem minoris. Materia enim appetit formas appetitu non elicito, sed innato, vt explicatum est in tertia conclusione. Licet enim secūdum se sit purum ens in potentia, adhuc a Deo ordinatur ad formas tanquam ad suum bonum, & finem, ad suum esse,

& ad suam formositatem, ideoque est appetitus innatus formæ, vt sui primi boni, & vt sui esse. Quare falsum est, quod appetitus conueniat solum enti actuato, cum possit etiam competere enti in potentia. Adde quod materia formata accidentibus ordinantibus ipsam ad aliam formam, appetit illam appetitu accidentali, vt dictum est in quarta conclusione.

Ad 5. & 2. Auicennæ, nego maiorē. Materia enim appetit formas, non quia caret omni forma, nec quia appetit simul habere plures formas, neque quia fastidit formam, quam habet, sed quia est potentia ordinata etiam ad reliquas formas tanquā ad suum bonum, & finē. Adde, quod appetitus est multiplex. Primus est appetitus boni præscindendo à presentia, vel absentia ipsius; & hic vocatur simplex amor. Secundus est appetitus boni absentis, vt absentis, & hic vocatur desiderium, Tertius est appetitus & inclinatio in bonum presens, vt presens, & iam possessum, & vocatur delectatio, vel gaudium. Materia secundum se præcisè in quantum est pura potentia ordinata ad omnes formas tanquam ad suum bonum, & finem, & præscindit à quacunque forma, appetit formas appetitu quasi simplicis amoris; in quan-

quantum habet formam, vt suum bonum, & finem, inclinatur ad illam appetitu quasi gaudij, & complacentiæ de bono possesso; in quantum est in potentia ad alias formas, quibus caret appetit illas appetitu desiderij, quo quasi desiderat non absolutè, sed ex suppositione, quod amittet formam, quam habet, quam non fastidit, cum quasi de ea complaceat. Dum opponit tertio Auicenna has locutiones esse poeticas, & metaphoricas nego hoc. Verè enim, & absque metaphora materia appetit formas appetitu innato, cum ad illas ordinetur tanquam ad finem suum, & bonum: hic autem appetitus congruenter explicatur similitudine, ac proportione appetitus eliciti nobis notioris: locutio autem explicans minus nota per similitudines, & exempla rerum magis notarum est maximè philosophica.

Ad 6. Concedo maiorem, & nego secundum partem minoris; Dico enim, quod materia secundum se pręcisè, in quantum est pura potentia, appetit æqualiter omnes formas, cum illas appetat appetitu non distinguente vnam ab alia: appetitus autem non distinguens vnum ab alio, e.g. cibum meliorem à deteriori non magis appetit vnũ quam alium; cum ad prælationem re-

quiratur distinctio. Dum opponitur, quod sit irrationabile, vt appetat formas, quia sunt bonum, & appetibile, & non magis appetat meliores, atque appetibiliores, distinguo, est irrationabile, si appetitus distinguat, concedo; si non distinguat, nego. Quod verò materia difficilius spoliatur vna forma, quam alia, e.g. forma ferri, quam forma hominis, non oritur ex eo, quod materia secundum se magis resistat spoliationi vnius formæ, quam alterius, cũ ad omnes æquè se habeat, sed quia vna forma magis resistit expulsioni ex materia, quam resistat altera: e.g. forma ferri magis resistit expulsioni, quam forma hominis. Addo materiam dum est in potentia accidentali magis ad vnam formam, quam ad aliam, magis appetere vnam, quam aliam; e. g. materia oui, quia est in potentia accidentali magis ad formam pulli, quam hominis, magis appetit formam pulli, quam hominis.

Ad 7. Concedo, quod materia appetat etiam formas supernaturales (si tamẽ est possibilis vlla forma substãtialis supernaturalis) & iam corruptas appetitu tamen indistincto. Dum infertur ergo habet appetitum, qui naturaliter, non

non poteſt expleri, nego conſequentiam. Appetitus enim appetens indiſtinctè formam, licet comprehendat formas ſupernaturales, & iam corruptas, poteſt naturaliter expleri per formas naturales, eo pacto, quo appetitus cibi abſtrahens à cibo naturali, vel ſupernaturali poteſt naturaliter expleri per cibum naturalem. At ſi materia appeteret formas ſupernaturales, vt ſupernaturales, & corruptas, vt corruptas diſtinctè, tum non poſſet naturaliter expleri: ſed non datur materia talis appetitus, nec vllus appetitus naturalis appetit diſtinctè aliquid ſupernaturale.

Vtrum forma sit tota quidditas entis naturalis. *Quæstio IX.*

VIdetur vera esse opinio Auerr. & aliorum relata à S. Th. met. tex. 24. & à Perer. lib. 6. cap. 6. & 7. quod tota quidditas, & essentia entis naturalis sit forma: e.g. quod tota quidditas hominis sit anima rationalis, tota quidditas equi sit anima equina, tota quidditas ignis sit forma ignis, materia verò non sit pars quidditatis, sed tantum eius subiectum, & quasi vehiculum. 1. Quia illud, quo mutato remanet idem homo, non est pars quidditatis humanę; nihil enim remanet idem mutata parte quidditatis suæ; sed mutata materia dummodo sit eadem anima remanet idẽ homo; nã idẽ est homo qui nascitur, & qui moritur, & tamen materia continuè per nutritionem, & augmentationem mutatur deperdita priori & noua succedente; similiter resurgemus ijdem homines, & tamen materia non erit eadem: sæpe enim eadem materia fuit plurium hominum, e.g. apud nationes quæ vescuntur carnibus humanis; materia vnius hominis eua-

euadit materia alterius, atque adeò plures homines deberent resurgere cum eadem materia, quod repugnat; ergo &c.

2. Forma vocatur ab Aristotele quod quid erat esse rei, quidditas, ac species; sed non diceretur quidditas, ac species, nisi esset tota quidditas; ergo &c. Adde Aristotelem 7. met. tex. 12. docere, quod materia non est quid, si autem esse pars quidditatis esset quid; ergo non est pars quidditatis.

Respondeo, quod nomine quidditatis rerum substantialium intelligitur id, quod eo ipso, quod per se subsistit, vel est in supposito subsistente constituit speciem, & dat denominationem, ac definitionem speciei: e.g. quidditas hominis est humanitas, quia eo ipso, quod humanitas per se subsistat, vel sit in supposito subsistente constituit hominem, & dat denominationem, ac definitionem humanæ speciei; ita quia humanitas mea per se subsistit, constituit speciem, hoc est hominem, & mihi dat denominationem, ac definitionem hominis, per quã sum animal rationale. Similiter humanitas assumpta à Verbo eo ipso, quod est in Verbo, quod est suppositum per se subsistens, denominat Verbum hominem, & illi tribuit denominationem,

ac definitionem hominis; quidditas equi est equinitas ex eadem ratione. Tota igitur quidditas est, quæ sufficit ad dãdam denominationem, & definitionem speciei; pars quidditatis est quæ non sufficit, sed requirit aliam compartem. Hinc patet, quod in entibus non naturalibus, sed simplicibus, cuiusmodi sunt intelligentię, quidditas est sola forma: e.g. in Angelis sola forma Angeli est tota quidditas, quia eo ipso, quod detur forma Angeli, seu Angeleitas per se subsistens, vel in supposito per se subsistente, datur denominatio, ac definitio Angeli. E conuerso in entibus naturalibus, e.g. in homine, equo, igne &c. forma partis nimirum anima rationalis; anima equi, forma ignis &c. non sunt tota quidditas, quia non sufficit, quod anima, vel alia forma naturalis per se subsistat, vel sit in supposito per se subsubsistente vt tribuat speciem, ac denominationem, & definitionem hominis, vel alterius entis naturalis, sed requiritur vlterius materia. Ità licet post mortem anima separata per se subsistat, adhuc non dat denominationem hominis, nec tum est homo, vel animal rationale; & si Verbum Diuinum assumpsisset solam animam sine materia, & carne; non habuisset denominationem, speciem, ac defini-

definitionem hominis, nec factus esset homo, quia ad hominis speciem requiritur etiam materia, corpus, ac caro. Et confirmatur, quia homo est animal rationale potens sentire, ac discurrere, & exercere alias operationes humanas; sed anima hominis separata à materia non constitueret animal rationale potẽs sentire, & discurrere, & exercere operationes humanas. Quomodo enim sentiret sine sensorijs materialibus, videret sine oculis, audiret sine auribus, progrederetur sine pedibus? &c: ergo anima rationalis non constitueret hominẽ. Similiter equus est animal hinnibile potens sentire, hinnire, & exercere operationes equinas; sed anima equi separata à materia non constitueret animal hinnibile; nam non posset sentire, nec hinnire sine organis materialibus sentiendi, & hinniendi; ergo non constitueret equum; idemque valet de cæteris formis naturalibus; ergo nulla forma est sufficiens ad constituendum vllũ ens naturale; ergo non sunt tota quidditas, sed solum pars quidditatis constituentes cum materia totam quidditatem.

Forma tamen totius est tota quidditas, e.g. humanitas est tota quidditas hominis; sed humanitas non est sola ani-

ma, ſed anima ſimul, & materia vnitæ, & differt à forma partis, hoc eſt ab anima, ſicut totum à parte, vt S. Thomas docet in comm. tex. 34 lib. 7. Phyſicorum. Hinc habetur, cur humanitas dicatur forma totius, anima verò forma partis. Ratio eſt, quia anima eſt forma exiſtens in materia, quę eſt pars hominis; ergo eſt forma partis, cum ſit in parte; at humanitas non eſt in materia, cum illā includat, ſed ſolum eſt in homine, qui eſt totum; ergo eſt ſolum forma totius.

Hæc doctrina deſumpta eſt ex Ariſtotele pluribus locis, ac pręſertim 6. met. tex. 2. 7. Metaph. t. 34. & ſecundo phyſ. te. 16. in quibus docet quidditates rerum naturalium eſſe ſicut ſimum, non ſicut concauū. Sicut enim ad conſtituendum ſimum non ſufficit concauitas, ſed requiritur, vt concauitas ſit in naſo: ſic ad conſtituendum hominem non ſufficit anima rationalis, ſed debet eſſe in materia. E conuerſo quidditates mathematicæ, e.g. quidditas circuli eſt ſicut concauum; quia forma circuli etiam extrà materiam habet integram definitionem circuli; idemque dic de alijs mathematicis.

Ad 1. Quod remaneat eadem res poteſt intelligi multipliciter, primo phyſicè,

cè, secũdo solũ moraliter: e.g. aqua Tiberis remanet eadẽ solũ moraliter & equiualẽter, cum physicè cõtinuò mutetur; at Pantheon Agrippæ à temporibus Augusti ad nos remansit idem etiam physicè. Certum est hominem, equum, animalia, plantas, &c. dum viuunt remanere eadem physicè, & non solum moraliter. At quæ remanent eadem physicè possunt remanere eadem vel solum formaliter, vel solum materialiter, vel materialiter simul, & formaliter. Rursus, vel possunt remanere formaliter eadem secundum totam formam, & singulas eius partes; vel non secundum totam formam, sed solum secundum principaliores partes formæ. Similiter vel possunt remanere eadem secundum totam materiam, & singulas partes ipsius, vel secundum solas partes principaliores materiæ. Exẽplis res patebit. Cum lignum mutatur in ignem, remanet eadem materia, licet non retineat idem esse, & eandem formam, ideoque potest in antiquo sensu dici quod ignis sit idem materialiter, non formaliter cum ligno. In animali, cum per nutritionem anima informat materiam cibi, & constituit illam carnem, desinens informare aliquam aliam partẽ materiæ prioris, caro acquisita potest dici eadem formaliter cum deperdita,

ſed materialiter diuerſa: at aliquę partes carnis ſunt eędem non ſolum formaliter, ſed materialiter, quia retinent eandem materiam, & eamdem formam. Rurſus, quia in homine ſemper remanet tota anima totaliter vtpote indiuiſibilis, ideò remanet idem homo formaliter ſecundum totam formam. Bruta ſi habent animas diuiſibiles, atque adeo deperditis, vel acquiſitis per nutritionem certis partibus materiæ, deperdunt etiam, & acquirunt partes formę, atque animę, remanent eadem formaliter, non ſecundum totam formam, ſed ſecundum eius partes principaliores. Homines cum per nutritionem acquirunt nouas partes materię, alijs amiſſis, remanent ijdem materialiter, non ſecundum omnes partes materiæ; ſed ſecundum principaliores, hoc eſt ſecundum aliquas acceptas à parentibus in generatione, & perfectas à virtute formatiua, & ſecundum humidum nutrimentale, quo imminuto homo paulatim ſeneſcit, eo vero deficiente moritur. Videri poteſt S. Thom: in comp. Theol. quod eſt opuſculum ſecundum cap. 134. & 161. Hinc patet, quo pacto, qui concipitur paruulus, & qui moritur ſenex, & magnę ſtaturæ ſit idem homo. Eſt enim idem homo formaliter ſecundum

dum totam formam; est idem materialiter, non secundum totam materiã, sed secundum partem principaliorem hoc est secundum humidum nutrimentale in quo sita est vita. Resurgemus etiam iidem homines formaliter secundum totam formam, & materialiter secundum partes principales materiæ constituentes humidum radicale. Istæ partes principales licet pertinuerint ad plures homines, vt loquitur, S. Thomas cap. 161. H*oc in communi resurrectione secundum Diuinam Prouidentiam attendetur quod si idem numero materialiter in diuersis hominibus fuit, in illo resurget, in quo principaliorem gradum obtinuit; si autem in duobus extitit secundum vnum, & eundem modum resurget in eo, in quo primo fuit, in alio verò supplebitur ex diuina virtute; & sic patet quod carnes comestæ ab aliquo non resurgent in comedente, sed in eo cuius prius fuere. Resurgent tamen in eo, qui ex tali semine generatus est, quantum ad id, quod in ijs fuit de humido nutrimentali, aliud verò resurget in primo, Deo vnicuique supplente quod deest.* Hactenus S. Thomas. Sed quid si eadem pars materiæ constituit humidum radicale plurium? Primò dico spectare ad diuinam prouidentiam ita res ordinare, vt id non contingat. Secundo dico, quod

quod tum materia diuidetur ex æquo, & vna pars resurget in vno, alia in alio.

Hoc ad argumentum, in forma distinguo maiorem; id quo mutato remanet idem homo adęquatè materialiter, & & formaliter, non est pars quidditatis, concedo maiorem; id quo mutato remanet idem homo, simpliciter, formaliter, & materialiter, sed non adęquatè, at solum secundum partem principaliorem materiæ, non est pars quidditatis, nego maiorem; & distinguo eodem pacto minorem, ac nego consequẽtiam. Quod homo licet remaneat idem simpliciter formaliter, & materialiter non remaneat idem adæquatè secundum totam materiam, patet ex verbis Sancti Pauli secunda ad Cor. 5. *is qui foris est homo noster corrumpitur*, quod dixit, quia continuè amittimus partes materiæ, & carnis, quæ vocantur homo exterior: ideò verum est, quod continuè mutamur, & morimur; quod vita præsens mors est; quod sumus semper alij, & ijdem: quia semper sumus alij secundum alias partes materię. Post resurrectionem remanebimus omninò idem per totam ęternitatem, quia nihil amplius nostræ substantiæ deperdemus.

Ad 2. Aristoteles dum, dicit formam esse

esse quidditatem, & speciem rei solet loqui de forma totius; si etiam de forma partis id asserit, ratio est, quia forma est principalis pars quidditatis. Dicit etiam materiam secundum se non esse quid, quia per se non est actu substantia, sed solum potentia, quare proportionaliter est pars solum potentialis quidditatis.

Vtrum forma vniatur materiæ seipsa, vel per vnionem distinctam. Quæstio X.

VIdetur vera esse sententia nominalium quod forma presertim substantialis vniatur materiæ seipsa, & non per vnionem distinctam; 1. quia potentia, & actus seipsis sunt vnum, e.g. figurabile, & figura seipsis constituunt vnum figuratum, dealbabile, & albedo seipsis constituunt vnum album, atque idem dic de reliquis; sed materia est potentia, forma substantialis actus; ergo seipsis constituunt vnum.

Et cõfirmatur quia Aristoteles 8.met. tex.16. expresse reijcit sententiam eorum, qui dicebant rationem, cur corpus, & anima faciant vnum, esse copu-

lam

lam animę cum corpore, vel compositionem, & addit causam erroris esse, *quia potentia, & actus rationem quærunt vnientem*, cum non sit alia ratio, cur potentia, & actus faciant vnum nisi quia alterum est potentia, alterum actus. Idē docet secundo de anima, tex. 7. Consonat Plato in Timeo dicēs, quod vincula quibus res vniuntur sunt proportiones quas habent ad inuicem.

2. Vt dicitur in lib. de causis, inter omnia esse est illud, quod immediatius, & intimius rebus conuenit; sed materia habet primum esse per formam substantialem; ergo forma substantialis maximè immediatè, & intimè conuenit materiæ; ergo non vnitur materiæ media vnione, alioquin vnio immediatius conueniret materię, quam forma, eo pacto, quo cum vna tabula vnitur alteri medio glutine, gluten immediatius vnitur, quam tabula.

3. Vel vnio distincta à materia, & forma esset substantia, vel accidens; non potest esse substantia, quia substantia ab Aristotele 7. met. tex. 7. & 2. de anima tex. 2. diuiditur in materiam, formam, & compositum ex his; sed vnio, neque est materia neque forma, neque compositum ex his; ergo non est substantia: neque potest esse accidens, quia acci-

accidens eſt, quod aduenit enti iam conſtituto in ſuo primo eſſe ſpecifico, & actuali; ſed vnio non aduenit enti iam conſtituto: ſed illud conſtituit in ſuo primo eſſe ſpecifico, & actuali, e.g. vnio animæ cum corpore non aduenit homini iam conſtituto in eſſe hominis, ſed hominem conſtituit, cum homo conſtituatur homo per materiam; & formam ſimul vnitas; ergo vnio non eſt accidens.

4. Vel vnio conſtitutiua hominis exiſtit per exiſtentiam animæ rationalis, vel per exiſtentiam diuerſam, non per diuerſam, alioquin in homine, qui eſt ens per ſe vnum, darentur plures exiſtentiæ; neque poteſt exiſtere per exiſtentiam animæ rationalis, quia illud, quod remanente eadem exiſtentia animę rationalis, poteſt eſſe, vel non eſſe, produci, ac corrumpi, non exiſtit per exiſtentiam animę rationalis; ſed per mortem corrumpitur vnio, & in reſurrectione reproducetur vnio, remanente eadem exiſtentia incorruptibili animæ rationalis; ergo vnio non exiſtit per exiſtentiam animę rationalis.

5. Vel materia, & forma vniuntur per vnicam vnionem, vt docet Suarius diſp. 13. met. ſect. 9. & alij ſatis communiter, vel vniuntur per duas vniones, qua-

quarum vna sit in materia, altera in forma vt docet Scot. in 2. dist. 1. quęst. 5. quem sequitur Vrtadus & alij; non possunt vniri per duas vniones, primo, quia, vt duo faciant vnum, debent facere vnū per aliquid vnum, & commune, non autem per duo; sed materia, & forma per vnionem constituuntur vnum, ergo vnio est vna, & communis vtrique, non autem duplex. Secundo quia repugnat, quod per illam vnionem per quam materia vnitur formę, forma non vniatur materię; ergo non datur duplex vnio, cum altera eò ipso esset superflua; neque etiam possuut vniri per vnicam vnionē, primo, quia duo extrema referuntur ad inuicem per duas relationes; ergo etiam vniuntur per duas vniones; secūdo, quia vnica vnio non potest simul recipi in materia, & forma; quo modo enim vnum sit in duobus distinctis; sed non est maior ratio, cur potius recipiatur in materia, quam in forma: ergo non potest esse vnica vnio. Tertio, quia in homine vnio neque potest esse materialis, alioquin esset improportionata animæ spirituali, neque potest esse spiritualis, alioquin esset improportionata corpori materiali; ergo debent esse duę vniones, altera materialis, quę recipiatur in materia, altera spiritualis, quę reci-

recipiatur in anima rationali.

Ex alia parte videtur esse vera sententia communis, præsertim recentiorum, quod formę tum substantiales, tum accidentales non modales vniantur materiæ vnione distincta, primo quia quę possunt naturaliter, vel etiam supernaturaliter esse, quin simul vniantur, non vniuntur seipsis, sed vnione distincta; sed materia, & forma possunt esse supernaturaliter, quin vniantur; potest enim Deus conseruare animam equi separatam ab omni materia, sicut conseruat extrà materiam accidentia Eucharistica; materia, & anima rationalis etiã naturaliter possunt esse, quin vniantur: siquidem post mortem hominis remanet materia, & anima rationalis separata; ergo materia, & forma vniuntur per vnionem distinctam.

Respondeo quatuor dari gradus formarum. Primus, & supremus est earũ, quæ, quia secundum se habent naturam, & esse perfectum non possunt vniri materię, cuiusmodi sunt Deus, & Intelligentiæ. Secundus est earum, quæ, quia habent naturam incompletam, possunt ac debent in prima productione vniri materię: sed quia habent esse independens à materia, possunt retinere suum esse etiam extrà materiam; cuiusmodi

est

est sola anima rationalis, quæ post hominis mortem remanet extra materiam. Tertius est earum, quę habent esse dependens quidem à materia, sed non ità, vt deperdita quacunque parte suæ materiæ, deperdant partem sui esse, sed possint retinere totum suum esse in materia partialiter diuersa. Tales sunt secundum sententiam Thomistarum animæ indiuisibiles brutorum perfectorum, quæ possunt per nutritionem deperdere quasdã partes materiæ, & alias acquirere retinendo totum suum esse, vtpotè indiuisibile. Quartus est earum, quæ habent esse ità dependens à materia, vt deperdita quacunque parte materiæ, deperdãt partem sui esse, quales sunt formę diuisibiles secundum diuisibilitatem materię. Ex istis quatuor gradibus duo medij participant aliquid ex superiori, & inferiori. Anima enim rationalis participat aliquid de Intelligentijs, in quantum habet esse per se, subsistens, ac potest remanere extrà materiam, sicut Intelligentiæ; participat aliquid de formis materialibus, in quantum indiget complemento materiali, sicut formę materiales. Animæ indiuisibiles brutorum perfectorum participant aliquid de anima rationali, in quantum possunt retinere idem totaliter esse, extra quasdam partes materiæ,

terię, ſicut ānima rationalis; participāt aliquid de formis inferioribus, in quātum non poſſunt eſſe extrà omnem materiam, ſicut formæ inferiores non poſſunt eſſe extra omnem materiam.

Ex his iam deſcendendo ad quæſtionē propoſitam, dicendum, quod anima rationalis, & etiam formæ indiuiſibiles materiales, ſi dantur, vniuntur materiæ per vnionem diſtinctam ab earum exiſtentia actuali; formę verò diuiſibiles vniuntur materiæ per ſuū eſſe actuale. Ratio primæ partis eſt, quia eſſe animæ rationalis poteſt eſſe extrà omnē materiam; ergo aliud eſt quod detur hoc eſſe, aliud, quod ſit in materia; ergo vnitur materię per vnionem diſtinctam. Similiter eſſe formarum indiuiſibilium poteſt dari, quin vniatur huic particulæ materiæ, cum remaneat etiam illa deperdita per nutritionem; ergo vnitur tali particulæ per vnionem diſtinctam; idem valet de cęteris particulis; ergo &c. Ratio ſecundę partis eſt, quia eſſe formæ diuiſibilis non poteſt remanere extrà iſtam particulam materiæ; ergo idem eſt quod ſit, ac quod ſit in hac particula materię; ergo formę diuiſibiles vniuntur materię per ſuum eſſe. Confirmatur, quia formæ diuiſibiles habent eſſe omnino materiale; ſed eſſe

omni-

omnino materiale est quod ita est esse huius materię, vt non possit non esse huius materiæ: ergo esse formarum diuisibilium, ita est esse huius materiæ, vt non possit non esse huius materię; ergo formę diuisibiles sunt in hac materia per suum esse, quod vtpotè omnino materiale, est esse commune huius materię, & huius formæ, ita vt non possit non esse vtriusque, & in vtraque.

Ex tradita differentia inter animam rationalem, & formas materiales potest inferri, quo pacto anima rationalis differat à cęteris formis primò in esse; secundò in produci; tertio in operari.

Primò differunt quoad esse. Nam anima rationalis propriè est; aliæ formę propriè non sunt, sed compositum his est, vnde dicit S. Thomas in quæst. disputatis quæst. 1. de virtutibus in communi art. 11. in corp. *forma ens dicitur, non quia ipsa sit, si propriè loquamur, sed quia aliquid ea est*. Ratio est, quia illud propriè est, quod est susceptiuũ primum & sufficiens sui esse, illud verò quod nõ est susceptiuum primum, & sufficiens sui esse, sed est pars primi, ac sufficientis susceptiui, & eatenus suscipit esse, quatenus est in illo, propriè non est, sed est in eo, quod propriè est; sed anima rationalis

tionalis est primum, & sufficiens susceptiuum sui esse, ideoque retinet suum esse etiam separata à corpore, & ab homine; ergo anima rationalis propriè est. E conuerso cæteræ formæ non sunt primum, & sufficiens susceptiuum sui esse, e.g. anima equi non est primum, & sufficiens susceptiuum sui esse, cum nõ possit esse extra equum, sed primum, & & sufficiens susceptiuum esse est equus; anima verò equina est susceptiuum solum insufficiens, & partiale, & eatenus partialiter suscipit esse, quatenus est in equo tanquam pars; ergo anima equi propriè non est, sed per ipsam equus est. Esse igitur primò, & principaliter conuenit composito, quia compositum est primum, & sufficiens susceptiuum esse: secundo conuenit formæ, quia per ipsã compositum determinatur ad suscipiendum esse; tertio conuenit materiæ, quia materia determinatur à forma ad suscipiendum partialiter actum essendi.

Secundo differunt quoad produci, & fieri. Anima rationalis propriè producitur, & fit, imo creatur à Deo, aliæ formæ propriè non fiunt, neque producuntur, sed ijs cõpositũ fit, vt docet S. Thomas loco citato dicens; *forma fieri dicitur, non quia ipsa fiat, sed quia eà aliquid fit, dum scilicet subiectum reducitur*

tur de potētia in actū. Et est doctrina expressa Aristotelis 7.met.tex.26.27.32. Ratio est, quia illud quod propriè est, & accipit esse de nouo, tanquam primum, & sufficiens susceptiuum actus essendi propriè fit, & producitur, & si ante carebat omni esse propriè creatur. E conuerso illud, quod propriè non est, neque suscipit esse tanquam primum, & sufficiens susceptiuum actus essendi, sed est in alio, & accipit esse, in quantum est in primo, & sufficiente susceptiuo, propriè non fit, neque producitur, sed eo compositum fit, & quando subiectum ante erat, educitur de potentia subiecti; sed anima rationalis propriè est, & quādo generatur homo, anima accipit esse à Deo tanquam primum, & sufficiens susceptiuum actus essendi, cum ante careret omni esse; ergo anima rationalis propriè producitur, & fit, imo creatur; aliæ formæ propriè non sunt, neque accipiunt esse, tanquam primum, & sufficiens susceptiuum actus essendi; sed sunt in composito, & accipiunt esse partialiter, in quantum sunt pars compositi, quod est primum, & sufficiens susceptiuum esse; ergo propriè non fiunt, sed per ipsas compositum fit.

Tertio differunt quoad operari: Quod enim primo, & per se est sufficiens tāquam

quam susceptiuum actus essendi, potest per se operari. Eatenus enim agit, & operatur, quatenus est in actu; ergo si per se est in actu, per se aliquid agit, & operatur. E conuerso quod non per se est, sed solum in quantum est in toto, nec per se potest agere, & operari, sed solum in quantum agit, vel potest agere ipsum totum. Sed anima rationalis per se est; ergo per se agit, & operatur exercendo aliquas operationes proprias quales sunt operationes intelligendi, & volendi, quarum principium est sola anima, non concurrente materia, vel vllo organo, seu instrumento materiali; aliæ formæ non sunt per se, sed in toto, ideoque per se non operantur, sed ad earum operationes concurrit etiam materia. E g. anima equi non per se videt, sed equus, concurrente etiam oculo materiali. Vnde S. Th. loc. cit. dicit *formæ, quæ habent esse dependens à materia, vel subiecto non habent per se operationem; non enim calor agit, sed calidum.* Hinc est, vt sicut à priori probatur animam rationalem per se agere, quia per se est, sic à posteriori demonstretur animam per se esse, non posse separari à materia, quia per se agit intelligendo, cum ad operationem intelligendi non possit concur-

rere corpus, vel materia, vt explicabitur, suo loco ex doctrina Platonis, & Aristotelis. Plato siquidem in dial. de pulchro, ante medium probabat animã esse per se, adeoque esse immortalem, quia mouet seipsam, hoc est quia intelligit per seipsam non concurrente corpore: Aristoteles 3 de anima, tex.19. & 20. ostendit animam intellectiuam, verè, & per se esse, atque adeo esse immortalem, quia habet operationem intelligendi propriam, in qua non participat organum materiale, & corporeum, idemque docet secundo de generatione animalium cap.3.

Ad 1. Dum dicitur quod, potentia & actus faciunt vnum seipsis, sensus est, quod actus, eo ipso, quod insit potentiæ, facit vnum cum illa, propter mutuam proportionem, quam habent ad inuicem: at non negatur, quod aliqui sint actus, in quibus aliud est esse, aliud inesse potentię, vt dictum est de anima rationali. Aristoteles, dum reijcit dicentes, quod anima facit vnum cum corpore propter copulam, loquitur contra antiquos, qui dicebant animam vniri materię medio aliquo corpore subtilissimo, quod se haberet tanquam gluten, adglutinans animam materiæ; at non

non negat, animam inesse corpori ità, vt ipsum inesse distinguatur ab esse animæ. In eundem sensum loquitur Plato, & S. Thomas.

Ad 2. Distinguo maiorem, esse inest immediatè, & intimè, non tamen seipso vt quo, sed solum vt quod, concedo maiorem; concedo minorem, & distinguo consequens; ergo forma substantialis immediatè inest, hoc est inest seipsa etiam vt quo, nego consequentiam; immediatè inest, non tamen seipsa, vt quo, sed solum vt quod, concedo consequentiam; ergo non inest media vnione, quæ non sit ipsum inesse, concedo consequẽtiam.

Quando dicitur, quod aliquid immediatè agat, cognoscat, insit &c. potest fieri duplex sensus. Primus est, quod agat, cognoscat, insit seipso etiam, vt quo, ità vt sit ipsum agere, cognoscere, & inesse. In hoc sensu parum vsitato non potest dici, quod oculus immediatè videat, intellectus immediatè intelligat, causa creata immediatè agat, esse animæ rationalis immediatè conueniat, & insit materiæ, quia nec oculus videt seipso, vt quo, sed visione distincta, nec anima rationalis seipsa inest, sed vnione distincta. Secundus sensus communis, & vsitatus est, quod aliquid

agat, cognoscat vniatur immediatè, quia licet non sit ipsum agere, cognoscere, inesse, & vniri, tamen nihil mediat, quod non sit ipsum inesse, & vniri: quod non sit ipsum agere, & cognoscere. In hoc sensu, & oculus videt immediatè, & causæ immediatè agunt, & anima rationalis immediatè vnitur, & inest corpori, quia licet oculus non sit ipsum videre, tamen nihil mediat, quod non sit videre, & licet anima non sit inesse, nihil mediat quod non sit ipsum inesse. Hinc patet disparitas ad exemplum tabulæ, quæ quia iungitur glutine, non vnitur immediatè. Discrimen est quia tabula coniungitur glutine, quod non est ipsum inesse, & coniungi tabulę.

Ad 3. Respondeo vnionem animę rationalis cum corpore non esse accidens, nec esse accidentalem, vt efficaciter probatur in argumento, sed esse substantialem, quia non aduenit materiæ iam constitutæ in suo esse specifico, & actuali, sed illam constituit in suo esse specifico, & actuali hominis. Et licet adueniat animæ habenti suum esse actuale, adhuc aduenit animę non constitutæ in esse specifico hominis, sed trahit illam ad esse specificum hominis, ponendo in materia, & constituendo vnum simpliciter existens per vnicum esse animæ, vt

docet

docet S. Th. in quæst disp. quæst. 1. de anima, art. 1. ad 1. Addo vnionem esse substantialem potius, vt quo, quam, vt vt quod. Ratio est, quia vnio est substantialis potius quia affert materiæ perfectionem substantialem animæ, & tribuit animæ perfectionem substantialem corporis, quam quia secundum se præcisè tribuat illis perfectionem substantialem considerabilem, cum vnio secundũ se præcisè sit minimę perfectionis, & entitatis, licet trahat maximam perfectionem extremorum. Ratio verò est, quia vt duo intimè vniantur, & communicentur perfectè, medium, quo vniuntur, debet esse minimum, & subtilissimæ entitatis, eo pacto, quo vt duæ tabulę perfectius vniantur, gluten, quo vniuntur debet esse subtilissimum; sed vnio animæ cum corpore vnit intimè, & perfectè; ergo secundum se præcisè est minimæ entitatis, & perfectionis, & fortasse minoris perfectione accidentali absoluta. Idcirco vnio quibusdam visa est accidens, licet non sit accidens, quia non aduenit materiæ iam existenti, sed affert illi primum esse, quo existat primò, ac proinde est substantia partialis, vt quo. Ad Aristotelem diuidentem substantiam, formam, & compositum, respondeo nomine formæ intelligere

formam, in quantum format, & actuat materiam, sub qua ratione includit vnionem

Ad 4. Sicut vnio est substantia partialis vt quo, vt dictum est, ità propriè existit, vt quo, sed talis existentia, vt quo distinguitur ab existentia animæ rationalis. Dum opponitur: in ente per se vno datur vnica existentia, distinguo maiorem; in ente per se vno datur vnica existentia, qua existat formaliter & vt quod, concedo; qua existat etiam vt quo, nego maiorem; concedo minorem, & distinguo eodem pacto consequens. Dico quod in ente per se vno, e,g. in homine datur vnica existentia, qua formaliter existat, vt quod, sicut datur vnica anima intellectiua, qua sit animatus. At sicut vltrà animam, qua homo formaliter, & vt quod est animatus, datur vnio cum anima, qua homo, & corpus non est formaliter animatum vt quod, cum vnio non sit anima, atque adeò seipsa non constituat animatum vt quod, sed solum constituat vnitum animæ, quod est esse animatum solum vt quo: sic vltrà existentiam animæ, per quam homo formaliter, & vt quod existit, datur existentia vnionis, qua homo non existit vt quod, sed vt quo, hoc est habet corpus vnitum animæ per cuius exi-

existentiam, formaliter existit. Plura sunt exempla ad id explicandum. Homo formaliter, & vt quod est diues per diuitias, ac per possessionem diuitiarum non est diues vt quod, sed vt quo. Humanitas Christi subsistit per subsistentiā Verbi, at per vnionem hypostaticam, quę est creata, non subsistit vt quod, sed solum vt quo, hoc est habet subsistentiam, qua formaliter subsistat. Ens igitur per se vnum, habet vnicum esse, quo existit, vt quod, & tamen quando hoc esse communicatur toti à parte separabili, qualis est anima rationalis, potest habere aliud esse vnionis, quo existat vt quo.

Hinc patet, quo pacto cum homo generat hominem, per ipsam actionem generatiuam producatur aliqua existentia. Certum est, quod per actionem causæ secundæ non producitur existentia animæ, vtpote, quæ producitur à solo Deo per creationem. Secundo non producitur existentia per quam homo, & materia existit, vt quod, quia vt dictum est, homo existit vt quod per existentiā animæ creatæ à solo Deo. Reliquum igitur est, vt producatur, siue educatur de potentia materiæ existentia solius vnionis, per quam homo existit vt quo, & eadem quando homo moritur, sola

perit, seu reducitur in potentiam materiæ. Adhuc tamen homo producitur, & corrumpitur; quia tum homo producitur, cum datur materiæ, & formę esse hominis, vniendo illas, & talem vnioné educendo de potentia materiæ; tum homo corrumpitur, cum amittit esse hominis per separationem materię à forma, & per reductionem vnionis in potentiam materiæ: sed hoc totum fit; ergo homo producitur, & corrumpitur. In resurrectione similiter, quæ vocatur à Christo regeneratio, regenerabuntur homines, reddendo animæ, & corpori esse hominis, ac formam materiæ reuniendo.

Ad 5. Dico cum Suario contra Scotum in homine dari vnicam vnionem, vt benè probatur in argumento. Ad primum argumentum ex paritate relationis, disparitas patet ex dictis, nam cum duo referuntur, constituuntur duo intrinsecè relata, & non vnum relatum; ergo per duas relationes quarum vna vni sit intrinseca altera alteri; at cum materia, & forma vniuntur constituuntur vnum; ergo per vnicam vnionem, & per vnicum esse vtrique commune.

Ad 2. Distinguo antecedens vnum non potest esse intrinsecum duobus, quæ consti-

constituantur vnum, nego, quæ non constituantur vnum, concedo. Vnio animæ cum corpore est intrinseca duobus; sed quę per talem vnionem fiant vnum. Hoc verò non solum non repugnat, sed est necessarium. Nam id, quo duo sunt intrinsecè vnum, debet esse vtrique intrinsecum, & commune.

Ad 3. Vnio animę rationalis debet esse materialis, quia omne, quod dependet à materia, debet esse materiale; sed vnio cum materia essentialiter dependet à materia, nec potest esse extra materiam; ergo vnio cum materia est materialis. Nec sequitur quod sit improportionata animæ spirituali: sicut enim animæ spirituali non est improportionatum subiectum, & corpus materiale, ita nec vnio materialis sequens naturam subiecti materialis, à quo essentialiter dependet.

Si quarto opponitur exemplum vnionis hypostaticæ, quæ licet vniat Verbũ, & humanitatem, recipitur intrinsecè in sola humanitate, non recipitur intrinsecè in verbo, sed ad illud purè terminatur. Respondeo disparitatem esse, quia vnio debet intrinsecè recipi in solo, & omni extremo, cui tribuit intrinsecè perfectionem alterius extremi; sed vnio hypostatica soli humanitati tribuit in-

trinſecè perfectionem Verbi, Verbo verò, vtpote ſummè perfecto, adeoque imperfectibili non tribuit perfectionem humanitatis; ergo debet intrinſecè recipi in ſola humanitate. E conuerſo vnio animę cum corpore, & corpori dat perfectionem animæ; & animæ dat perfectionem corporis; ergo debet intrinſecè recipi in corpore, & in anima.

Ad argumentum probans vniuerſaliter omnes formas vniri materię per vnionem diſtinctam ab eſſe, quia quę poſſunt naturaliter vel etiam ſupernaturaliter eſſe, quin ſimul vniantur, vniuntur per vnioné diſtinctam ab ipſo eſſe; omnes formę non modales ſunt, huiuſmodi vt patet ex Euchariſtia; ergo &c. Diſtinguo maiorem, quę poſſunt ſeparari retinendo idem eſſe; concedo, non retinendo idem eſſe, nego: diſtinguo eodem pacto minorem, & nego conſequétiam. Poteſt quidem anima equi poni extrà materiam, ſed tunc non haberet eſſe equi, quod habet nunc, ſed eſſet per ſe ſubſiſtens ad modum animæ rationalis. Si verò quæratur, quo fundaméto dicamus formas materiales, ſi conſeruentur ſeparatæ, non habere idem eſſe, reſpondeo rationem eſſe, quia eſſe formarum proportionatur operationibus præ-

pręſertim immanentibus, ideoque ex eo, quod formę materiales habeant operationes, quarum nullam poſſunt exercere ſine materia, arguitur quod habeant eſſe, quod non poſſunt habere extra materiam, vt dictum eſt; ſed formę materiales nè de potentia quidem abſoluta, poſſunt exercere ſine materia ſuas naturales operationes immanentes; ex. gr. anima equi non poteſt, etiam de potentia abſoluta videre ſine oculis, ambulare ſine pedibus, & materialibus inſtrumentis; ergo formæ materiales, nè de potentia quidem abſoluta, poſſunt habere ſuum eſſe naturale extra materiam, ergo ſicut ſeparatę à materia operarentur per alias operationes immanentes, ſic exiſterent per aliud eſſe.

Vtrum totum distinguatur à partibus simul sumptis, & vnitis. Quæstio XI.

VIdetur vera esse sententia Auicennæ libro tertio suæ Metaphysicę, Scoti in 3. dist.2. quæst.2. & aliorum, quod totum per se à parte rei distinguatur ab omnibus partibus, & ab omnibus constitutiuis partialibus etiam vnitis, non solum seorsim, & diuisim, sed collectiuè, & simul sumptis; e. g. quod humanitatis sit aliud ens seu quædam tertia entitas, præter materiam, formam, & vnionem, etiam simul, & collectiuè sumptas: 1. quia ex Aristotele 8. Met. tex. 15. totum per se in hoc differt à toto per accidens ad modum cumuli, & aceruì, quod totum per se vnum, e.g. humanitas est aliquid aliud prętet partes, totum verò per modum aceruì non est aliquid aliud præter partes, e. g. aceruus lapidum non est aliquid aliud præter lapides simul congregatos; ergo.

2. Quod dicit totam perfectionem partium simul sumptarum, & aliquam aliam, est aliquid melius partibus simul sumptis, adeoque est aliquid aliud præ-

ter

ter partes simul sumptas, cum melius sit aliquid aliud præter deterius. Sed totum: e.g. humanitas dicit totam perfectionem partium simul sumptarum, nimirum animæ, corporis, & vnionis, & aliquam aliam; ergo humanitas est perfectior, & melior omnibus partibus simul sumptis. Probatur minor: ponamus quod anima sit perfecta, vt 4. materia, vt 3. vnio, vt 2. redigendo hanc perfectionem in vnam summam materia, anima, & vnio simul habebunt perfectioné, vt 9; sed humanitas constitura ex materia, anima, & vnione habet totam hãc perfectionem vt 9. & maiorem; nam vltrà hanc perfectionem vt 9. habet perfectionem, qua anima perficit corpus, quæ sit, vt 3. qua corpus perficit animã, quæ sit vt 2. & qua vnio perficit corpus simul, & animam, & ab ijs mutuo perficitur, quæ sit vt 2; ergo humanitas habet totam perfectionem partium simul sumptarum, & etiam maiorem. Contrarium accidit in toto constituto ex partibus coaceruatis. Cum enim partes se mutuo non perficiant, totum non est perfectius partibus simul sumptis, nec ab illis distinguitur.

3. Partes etiam simul sumptę, & vnitę constituunt, & causant intrinsecè totum, tanquam causę intrinsecæ, verę, &

& reales totius, ideoque materia, & forma recensentur ab Aristotele inter veras, & reales causas; sed partes simul sumptæ, & vnitæ non constituunt; nec causant partes simul sumptas, & vnitas; ergo totum à parte rei distinguitur à partibus simul sumptis, cum effectus à parte rei distinguatur à suis causis.

4. Quod per se generatur, & corrũpitur distinguitur ab eo, quod per se non generatur, neque corrumpitur; sed homo qui est totum generatur, & corrumpitur, partes hominis nimirum materia, & anima rationalis non corrumrumpuntur, sed remanent post mortem hominis, vtpotè incorruptibiles, & in regeneratione in die iudicij regenerabitur homo, materia, & anima rationalis non regenerabuntur, sed prçexistent regenerationi; ergo totum, & homo distinguitur à materia, & anima rationali etiam simul sumptis. Neque dicas, quod homo corrumpitur ratione vnionis, quæ perit, & desinit esse, & reproducitur, ratione eiusdem, quæ reproducetur. Nã contra est, quia si totus homo est materia; anima, & vnio simul, vt totus homo generetur, aut corrumpatur, debet generari, vel corrumpi materia, anima, & vnio simul: vt enim aliquid generetur, aut corrumpatur, generari debet,

aut

aut corrumpi, quod est illud; sed materia, anima, & vnio simul, non generantur, neque corrumpuntur; ergo totus homo non generatur, neque corrumpitur; vel si generatur; & corrumpitur, est aliud à materia, anima, & vnione simul.

5. Operationes, & proprietates conueniunt toti, & non conueniunt partibus simul sumptis; e.g. homo videt, ambulat, loquitur; corpus, anima, & vnio simul sumpta propriè non vident, neque ambulant, neque loquuntur; sed si totum nihil aliud esset, quam partes simul sumptæ, corpus, anima, & vnio simul sumptę propriè viderent, ambularent, loquerentur &c; ergo homo distinguitur à partibus simul sumptis.

6. Aristoteles pluribus locis videtur docere distinctionem totius à partibus simul sumptis. Primus locus est 7. met. tex.7. secundo de anima, tex. 2. 8 Met. tex.3. vbi dicit compositum esse tertiam substantiam, & tertium ens præter materiam, & formam; sed non id diceret, si compositum esset materia, & forma simul; siquidem duo simul sumpta incõuenienter vocãtur tertium ab illis duobus; sicut si quis diceret in Trinitate dari 4, Patrem; Filium, Spiritum Sanctum, & quartum esse tres personas simul

mul sumptas. Secundus locus est 7. Met. tex. vlt. vbi docet compositum per se non esse sicut cumulum vel aceruum, sed sicut syllabam, & quod sicut syllaba B A, est aliquid præter litteras, & elementa B nimirum, & A, sic totum non per coaceruationem est aliquid præter partes. Tertius locus est 5. Met. tex. 19. vbi docet, quod sex non sunt bis tria, neque ter duo, sed semel sex; ergo asserit numerum senarium distingui à duobus ternarijs, & tribus binarijs simul sumptis.

7. Suppositum distinguitur ab omnibus partibus vnitis simul sumptis; sed totum est idem; ac suppositum; ergo totum distinguitur ab omnibus partibus vnitis simul sumptis.

Respondeo totum non distingui ab omnibus partibus, & constitutiuis partialibus simul sumptis, & vnitis. Probatur, quia vel distinguitur adæquatè, & totaliter, vel solum inadæquatè; non potest distingui totaliter, & adæquatè, quia illa tantum adęquatè distinguuntur, quorum neutrum est pars alterius, nec includitur in illo, e.g. Petrus, & Paulus distinguuntur adæquatè, quia neque Petrus est pars Pauli, neque Paulus est pars Petri; sed partes sunt partes totius, & includuntur in toto; ergo totum non distin-

distinguitur à partibus adęquatè, & totaliter: nec potest distingui inadæquatè, quia, cum duo inadæquatè distinguuntur, vel vtrumque, vel alterum saltem includit aliquid adæquatè, & totaliter distinctum ab altero; & si vtrumque includat aliquid adæquatè distinctum, distinguuntur per modum excedentis, & excessi, si alterum tantum, distinguuntur per modum includentis, & inclusi. E. g. collectio omnium animalium, & collectio omnium intellectualium distinguuntur inadęguatè per modum excedentis, & excessi, quia collectio omniū animalium, præter hominem, qui est intellectualis, includit bruta totaliter, & adęquatè distincta à collectione omnium intellectualium; & collectio intellectualium, præter hominem, qui est animal, includit Angelos adæquatè distinctos à tota collectione animalium. E conuerso collectio omnium animaliū, & collectio omnium hominum distinguuntur inadæquatè per modum includentis, & inclusi, quia altera tantum, hoc est collectio omnium animalium, præter hominem includit bruta adæquatè distincta à collectione hominum. Hoc posito, vt totum distingueretur inadæquatè à partibus simul sumptis, deberet includere aliquid adæquatè distinctum

ab

ab omnibus partibus simul sumptis, sed non potest includere quidquam adequatè distinctum ab omnibus partibus simul sumptis: ergo &c. Probo minorem; si includeret aliquid adæquatè distinctum ab omnibus partibus simul sumptis, illud esset pars, vel partiale constitutiuum totius; pars enim, seu partiale constitutiuum totius est quidquid ità constituit totum, vt distinguatur adequatè à cæteris constitutiuis; e.g. anima est constitutiuum partiale hominis, quia ità constituit hominem, vt adæquatè distinguatur à corpore, & vnione, quę sunt cętera hominis constitutiuę; sed implicat in terminis, quod totum vltrà omnes partes, & omnia partialia constitutiua includat aliam partem, & aliud partiale constitutiuum; ergo totum non includit aliquid adæquatè distinctum ab omnibus partibus simul sumptis; ergo totum non distinguitur ab omnibus partibus simul sumptis, nec adequatè, nec inadæquatè, vel si distinguitur inadæquatè, ita distinguitur, vt nihil includat adequatè distinctum, quod fateor me nunquam potuisse intelligere. Ideò hanc sententiam docent communiter auctores apud Suarium disp 36. met. sect. 3.

Ad 1. Distinguo maiorem; totum per se vnum latè sumptum est aliquid

præter

præter partes materiales, vel quaſi materialſs, & elementares, vtcunque localiter coaceruatas, concedo maiorem; totum per ſe vnũ eſt aliquid preter partes materiales, & formales, & prater omnia conſtitutiua partialia, nego maiorem: & diſtinguo eodem pacto minorem; & nego conſequentiam. Ariſtoteles diſtinguit duo tota. *Primum* eſt totum ad modum cumuli, & acerui: ſecundum eſt totum ad modum ſyllabę, e g. huius ſyllabæ *Ba*. Totum ad modũ cumuli, & acerui non eſt aliquid aliud prętei partes materiales, vel quaſi materiales vtcunque localiter coaceruatas; e.g. aceruus lapidum, vel cumulus arenarum non ſunt aliud, præter lapides, & arenas vtcũque coaceruatas localiter. At totum ad modum ſyllabę eſt aliud prętei partes vtcunque coaceruatas localiter; e.g. ſyllaba *Ba* non eſt ſolum litteræ B; & A; aliud enim eſt dicere ſucceſſiuè, B, A; aliud dicere *Ba* per modum vnius ſyllabę; ergo *Ba* vltrà litteras B, A, quæ ſunt elementa, & partes materiales, vel quaſi materiales, dicit aliquam formam, ſeu formale conſtitutiuum ſyllabæ *Ba*, quidquid tandem ſit hæc forma. Similiter caro non eſt ſolum quatuor elementa coaceruata localiter; poſſunt enim elementa coaceruari,

ri, quin fiat caro, sed vltra elementa, quæ sunt partes materiales ex quibus componitur caro, importat ipsam formam carnis, tanquam formale constitutiuum. Quod hic sit sensus Aristotelis est manifestum. Nam 7. met. tex. vlt. dicit. *Cum verò quod est ex aliquo compositum, ita vt vnum totum sit, non est, vt cumulus, sed vt syllaba; syllaba verò non est ipsa elementa, nec idem quod B, A, nec caro, ignis, & terra*: & paucis interiectis; *est ergo syllaba aliquid, non solum elementa, vocalis, & consonans, sed aliquid aliud, & caro non solum ignis, & terra, sed etiam aliquid aliud*, & pergit ostēdendo illud aliud non esse elementum; alioquin rediret difficultas, sed esse formam, quę dat esse rei, tamquam principium formale. In eundem sensum 8. Met. tex. 15. dicit quod totum non per coaceruationem est aliquid pręter partes, quia partibus materialibus addit formã. Debet autem aduerti quod vnum per se locis allegatis sumitur latè prout non solum comprehendit vnum substantiale, quod simpliciter, & strictè est vnum per se, sed etiam vnum accidentale compositum ex materia, & forma, quod non est vnum per solam coaceruationem localem, sed per actuationem, qua forma actuat subiectum.

Ad

Ad 2. Distinguo maiorem; quod est melius omnibus partibus & constitutiuis simul sumptis non solum secundum se precisè, sed prout intrinsecè perfectis, & melioratis per alias compartes, & constitutiua, est aliquid preter partes; concedo maiorem: quod est melius omnibus partibus, & constitutiuis solum secundum se præcisè, non autem, vt perfectis per alias compartes, & constitutiua, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Ea probationem respondeo per eandem distinctionem. In toto constituto ex partibus se inuicem perficienti bus, qualis est humanitas constituta ex corpore animato, & intrinsece meliorato per animam, & ex anima intrinsecè meliorata, & perfecta per corpus, & materiam, per quam constituitur quodammodo materiata, potest considerari duplex perfectio. Prima est perfectio conueniens partibus ratione sui precisè: secunda est perfectio conueniens intrinsecè partibus non ratione sui præcisè, sed ratione compartium, à quibus intrinsecè perficiuntur. E.g. in mea humanitate potest considerari duplex perfectio materiæ, quę est pars. Prima est perfectio conueniens intrinsecè materiæ ratione sui precisè. Secunda est perfectio cōueniens intrinsecè

ſecè materię non ratione ſui præcisè, ſed ratione animę rationalis vt vnnitę, & intrinſecè perficientis, meliorantis, & actuantis materiam. Similiter poteſt conſiderari duplex perfectio animæ rationalis: altera competit illi ratione ſui præcisè, & hanc retinet etiam poſt mortem hominis; altera competit intrinſecè animę ratione materię intrinſecè perficientis, & complentis animam rationalem, quam perfectionem anima rationalis non retinet poſt mortem hominis. Idem dic de ceteris. Perfectio totius eſt quidem maior perfectione competente partibus vnitis ſimul ſumptis ratione ſui pręcisè, vt efficaciter probatur in argumento: at non eſt maior perfectione competente partibus, non ſolum ratione ſui præcisè, ſed etiam ratione aliarum compartium. E g. perfectio humanitatis eſt maior perfectione ratione ſui pręcisè competente animę, & corpori ratione ſui pręcisè: ſed non eſt maior perfectione competente animę non ſolum ratione ſui, ſed etiam ratione corporis intrinſece perficientis animam, & perfectione competente corpori non ſolum ratione ſui, ſed etiam ratione animę intrinſece perficientis corpus, vt ex ſe patet; ergo totum non diſtinguitur à partibus, prout ſe inuicem perficiunt, &
ſibi

i mutuc communicant intrinsecè suã
rfectionem. In toto constante ex par-
ius se mutuo non perficientibus intrin-
cè, quale videtur aceruus lapidum,
tum non est perfectius partibus simul
mptis, etiam secundum se precisè, cũ
lla partibus conueniat vlterior perfe-
o ratione aliarum compartium. Duo
nt hic digna notatu. Primum est pos-
aliquid magis perfici transitiuè perfe-
one distincta, quam perficiatur in-
ansitiuè perfectione identificata; e. g.
imanitas Christi incomparabiliter ma-
s perficitur transitiuè perfectione di-
incta Verbi Diuini, quam perficiatur
transitiuè perfectione propria identifi-
ata: si enim magis perficeretur, seque-
tur quod humanitas Christi, vt Deifi-
ata, non esset perfectior duabus huma-
tatibus simul sumptis, cum perfectio
ldita non esset maior perfectione huma-
itatis secundum se precisè considerata.
ecundum est, fortasse posse aliquod ac-
dens magis perficere transitiue subie-
um, quam perficiat intransitiue seipsũ:
g. visio beata multo magis perficit trã-
tiue S. Petrum, cum reddat illum Bea-
m, quam perficiat intransitiue seipsam
im ipsa visio non sit beata. Ratio est,
uia, cum accidens sit ens, precipua
ius perfectio est transitiua, qua subie-
ctum

ctum perficit; ergo magna perfectio accidentis est in genere perfectionis transitiuę, licet perfectio in genere perfectionis intransitiuæ sit minima, & minor quacunque substantiali.

Ad 3. Distinguo maiorem partes simul sumptę causant, & constituunt totum secundum perfectionem intransitiuam, nego; causant, & constituunt totum secundum perfectionem transitiuam, & secundum ly *simul*, concedo maiorem, & distinguo minorem; partes simul sumptæ non causant partes simul sumptas secundum perfectionem intransitiuam, cōcedo minorem secundum transitiuam, & secundum ly *simul*, nego minorem: & nego consequentiam. In toto e. g. in humanitate potest considerari duplex esse, & perfectio; transitiua, & intransitiua. Intransitiua, quam habet materia à seipsa, anima à seipsa, & vnio à seipsa non est intrinsecè causata neque constituta à partibus; transitiua, quam materia habet ab anima, per quam constituitur animata, & anima à materia per quam constituitur quodammodo materiata est causata: & constituta à partibus. Causari enim intrinsecè est accipere intrinsecè perfectionem, & esse alterius; causare intrinsecè est intrinsecè dare suam perfectionem alteri; sed anima dat

lat corpori seipsam, & suam perfectio-
nem constituendo corpus animatum; ma-
teria dat seipsam, & suam perfectionē
animę, constituendo illam quodammo-
do materiatam: ergo materia in ratione
animati causatur intrinsecè ab anima;
anima in ratione materiati; seu ipsum
materiatum causatur intrinsecè à mate-
ria; ergo totum, hoc est materia ani-
mata, & anima materiata in ratione, &
perfectione transitiua animati, & mate-
riati causatur à partibus simul sumptis;
partes etiam simul sumptæ causant par-
tes simul sumptas in ratione *simul*, in-
quantum constituunt ly simul, & com
municant inuicem suam perfectio
nem.

Ad 4. Ex eo; quod id, quod per se
generatur, & corrumpitur distingui de-
bet ab eo, quod per se non generatur,
neque corrumpitur; distinguo maiorem;
distingui debet adęquatè, nego; inadæ-
quatè secundum vltimum constitutiuum
potius, concedo; concedo minorem, &
distinguo consequens; ergo homo di-
stinguitur ab anima, & corpore inadę-
quatè, quia superaddit vnionem, con-
cedo consequentiam; adæquatè, nego
consequentiam; sufficit autem distinctio
inadęquata etiam in sententia Aduersa-
riorum dicentium, totum inadęquatè

solum distingui à partibus.

Ad replicam, distinguo maiorem; totus homo generatur, & corrumpitur totaliter, nego maiorem, partialiter, & secundum vltimum constitutiuum hominis, quod est vnio, concedo maiorē; concedo minorem, & distinguo consequens; ergo materia, anima, & vnio simul debent generari, vel corrumpi simpliciter secundum se, nego consequentiam, debent generari, & corrumpi secundum id, secundum quod constituuntur in esse hominis, quod est vnio, qua sibi inuicem communicantur, concedo consequentiam. Anima, & materia simpliciter; non generantur, neque corrumpuntur secundum se, sed solum accipiunt vltimū esse hominis, quod est vnio qua sibi inuicem communicantur.

Ad 5. Concedo quod operationes & proprietates primo, & per se competunt toti, exceptis operationibus intelligendi, & volendi, quę primo, & per se conueniunt animę rationali, vtpotè per se existenti, vt dictum est qu. 10. Ideò bene dicit Aristoteles propriè, non animam irasci, sed hominem, quia passiones sunt operationes, in quibus participat organum corporale, vt explicabitur in lib. de Anima. Ideò passiones primo, &

t per se competunt non animæ nec ccr-
ori sed toti homini; sed nego quod
perationes non conueniant partibus si-
nul sumptis, in quantum se inuicem
erficiunt, & communicant in esse. Ve-
è enim corpus, vt animatum, & ani-
na, vt materiata videt, audit, sentit,
mbulat, cum homo nihil aliud tandem
t quam materia, vt animata, & anima;
t materiata prout se inuicem perficien-
es, & habentes esse commune, & se-
undum illud esse, & perfectionem com-
nunem operantes. Radix æquiuocatio-
nis in hac quæstione oritur ex eo, quod
otum dicit partes simul sumptas non vt-
unque, sed vt se inuicem intrinsecè
perficientes, ideoque dicit partes non
emel tantum, sed bis, nec solum in
recto, sed etiam in obliquo: e.g. homo
est corpus, & anima non vtcunque, sed
corpus, vt animatum, & anima, vt ma-
eriata; ideoque corpus bis dicitur, se-
nel in recto; & vt habens perfectionem
animæ, quæ importatur in obliquo; &
semel in obliquo; & vt habitum ab ani-
ma, quæ importatur in recto. Quod
enim significatur in recto, importatur,
vt habens, quod in obliquo, vt habi-
tum. Anima similiter bis dicitur. Ex
hoc sequitur, quod quædam denomina-
tiones conueniant toti, quæ non conue-
K 2 niunt

niunt partibus ſemel tantum, & in recto ſumptis, ideoque videtur, quod totum diſtinguitur à partibus; ſed quod tales denominationes conueniant toti, non oritur ex eo, quia totum addit aliquid ſupra partes, ſed quia eaſdem partes bis dicit, vt eſt explicatum.

Ad 6. Ex auctoritate Ariſtotelis. Reſpondeo loca adducta non eſſe contra nos, ſed pro nobis. Primus ex eo quod dicat vltrà materiam, & formã dari tertiũ, quod ex his reſaltet, oſtendit dari ſuppoſitum conſtans ex materia, & forma, & addens ſuprà vtramque ſubſiſtentiam diſtinctam vt dicetur Quęſt. 13. Secundus ex eo quod compoſitum non vt cumulus, ſed vt ſyllaba addat aliquid ſupra partes, explicatus eſt in ſolutione primi argumenti. Tertius ex eo quod ſex non ſunt bis tria ſed ſemel ſex, oſtendit, quod numerus ſenarius ſupra duo ternaria, ex quibus; quaſi ex partibus materialibus conſtituitur, addit formãm ſenarij, quæ eſt vna conſtituens ipſum ſex. Eſt autem forma ſenarij relatio, per quam ſingulę vnitates coexiſtunt quinque reliquis, iuxta dicta in logica in tractatu de relationibus; quare hic locus non fauet Aduerſarijs, ſed cõfirmat noſtram ſententiam de relationibus.

Ad

Ad 7. de ſuppoſito reſpondeo, quod angit quæſtionem in alio ſenſu in quo examinanda eſt. Quæſt. 13. In hac enim quæſtione examinauimus ſolum, an totum diſtinguatur ab omnibus constitutinis partialibus ſimul ſumptis, non autem an totum per ſe ſubſiſtens conſtituatur vltimò per aliquod vltimum conſtituuum, diſtinctum à materia forma, & vnione, quod vocatur ſubſiſtentia.

Vtrum ſit bona definitio naturæ. *Quæſtio* XII.

VIdetur non eſſe bona definitio naturæ, quam Ariſtoteles affert 2. Phyſ. tex. 3. *natura eſt principium, & cauſa, vt id moueatur, atque quieſcat in quo eſt primo per ſe, & non per accidens* 1. quia ſequeretur, quod in Deo non eſſet natura. Cum enim Deus ſit immobilis, & immutabilis non eſt in Deo vllum principium, & cauſa, vt moueatur, & mutetur, & cum nihil Diuinum habeat cauſam, non eſt vlla cauſa, vt Deus quieſcat in ſuo eſſe, ac perfectione infinita; ſed in Deo eſt eſſentia, & natura, imo Deus eſt idem quod ſua eſſentia ac natura, vt docet S. Thomas prima parte quęſt. 3. art. 3. quem omnes ſequuntur. Eſt

etiam de fide quod in Christo sit duplex natura, Diuina nimirum, & humana; ergo non est bona definitio naturæ.

2. Sequeretur quod in corporibus cęlestibus non esset natura. Nam licet in illis detur principium, & causa, vt moueantur, non datur principium, & causa, vt quiescant, cum sint irrequieta, & perpetua vertigine circumuoluantur.

3. Est possibile de potentia absoluta aliquod corpus omnino immobile, & immutabile; sed tale corpus esset naturale, & habens naturam, & tamen non daretur in eo principium, & causa, vt moueretur; ergo non est essentia naturę, quod sit principium, & causa, vt id in quo est moueatur.

4. Etiam in accidentibus, & in ipso motu, & quiete datur natura; sed in accidentibus, ac præsertim in motu & quiete non datur principium, vt moueantur, & quiescant, cum motus, & quies neque moueantur, neque quiescant; ergo natura non est principium vt id, in quo est moueatur, & quiescat.

5. Sequeretur quod etiam aliquæ artes, e.g. medicina esset natura hominis; est enim principium, vt homo medicans seipsum ab infirmitate moueatur ad sanita-

nitatem. Si verò dicatur medicinam esse causam per accidens, vt medicus infirmus medicetur seipsum, cum medicina non ordinetur per se ad medicandum medicum, sed ad medicandum infirmum quemcunque, seu sit medicus, seu non, adhuc ars saltatoria esset natura, cum per se ordinetur ad hoc, vt saltet, & moueatur illam habens; habitus etiam virtutum, & vitiorum essent natura, cum sint principium, & causa per se; & non per accidens, vt ij, in quibus sunt moueantur per operationes talium habitum.

6. Vel in definitione naturæ ly principium, & causa intelligitur de solo principio actiuo, vel etiam de passiuo. Si cum Auicenna intelligatur de solo actiuo, sequitur primò Cælum non esse naturam respectu sui motus circularis, cum non moueat actiuè seipsum, sed moueatur ab intelligentia;, ex quo vlterius infertur motum circularem non esse naturalem Cęlo. Motus enim, qui non est secundum naturam moti non est illi naturalis. Secundo sequitur materiam primam non esse naturam, cum, vtpote ens in potentia, non sit principium actiuum vllius motus, sed sit principium merè passiuum, & receptiuum. Si verò dicatur cum alijs communiter naturam

esse principium motus, siue actiuum, siue passiuum, sequitur omnes motus esse naturales, nullos violentos, ac neutros: e.g. motus quo grauia feruntur sursum, leuia deorsum, aqua calefit; similiter motus artificiales, quibus nauis fertur per aquam essent naturales; omnes enim tales motus, essent secundum naturam subiecti, nimirum secundum materiam primam, quę quatenus est principium passiuum est natura.

7. Si natura esset principium, & causa motus posset demonstrari per motum causa enim demonstratur per effectum, & principium per principiatum; sed ex Aristotele 2. Phys. tex. 6. natura non potest demonstrari, imo, vt ipse loquitur *quid sit natura tentare demonstrare ridiculum est*; ergo natura non est principium motus, & quietis.

Respondeo quod nomen naturæ dicitur à nascendo, & multipliciter sumitur, vt docet Aristoteles 5. Metaph. cap.4. Relictis alijs acceptationibus, quę videri possunt apud Aristotelem, tres præcipuæ sunt explicandę. Primo natura dicitur communissimè; secundo communiter; tertio propriè. Natura communissimè sumpta est essentia cuiuscumque rei per definitionem explicata. In hoc sensu etiam accidentia habent naturam;

turam;e.g. natura albedinis eſt, vt ſit color diſgregatiuus viſus. Natura communiter ſumpta eſt ſubſtantia, qua ens ſubſtantiale conſtituitur in ſua ſpecie, vel quaſi ſpecie, & vocatur etiam forma totius. In hoc ſenſu etiam Deus, & Angeli habent naturam: Deitas enim, qua conſtituitur Deus eſt natura Dei; Angeleitas, qua conſtituitur Angelus, eſt natura Angeli. Natura propriè dicta definitur ab Ariſtetele 5. Met: cap.4. per hæc verba: *Prima, & propriè dicta natura eſt ſubſtantia eorum quæ in ſeipſis, vt ipſa ſunt motus principium habent.* Genus igitur, in quo natura propriè dicta conuenit cum natura communiter dicta eſt, quod ſit ſubſtantia, qua ens ſubſtantiale conſtituitur in ſua ſpecie: differentia eſt quod natura propriè dicta ità conſtituit ens ſubſtantiale in ſua ſpecie, vt ſit principium, vt moueatur ſenſibiliter, vt ex Ariſtotele dicetur in reſponſione ad primum. Natura verò communiter dicta non eſt principium, vt moueatur ſenſibiliter, e. g. humanitas, equinitas &c, quæ ſunt naturæ propriè dictæ conueniunt cum Angeleitate, quæ eſt natura ſolum communiter dicta, in hoc, quod ſicut homo conſtituitur in ſpecie hominis per humanitatem, ita Angelus conſtituitur in ſpecie Angeli per Angeleitatem:

tem: ita differunt in hoc, quod humanitas est principium, vt homo moueatur motibus sensibilibus, qui conueniunt homini, cuiusmodi sunt videre, audire. Angeleitas verò non est principium, vt Angelus moueatur vllo motu sensibili. Hinc patet primo quod ens naturale, quod est obiectum Physicę, constituitur per naturam propriè dictam; quæ est principium motus sensibilis, cum è conuerso ens transnaturale, quod est obiectum Metaphysicæ, non constituatur per naturam propriè dictam. Patet secundo, quod definitio allata 5. Metaph. coincidit cum definitione, quam Aristoteles affert 2. ph. dicens quod. *Natura est principium, & causa, vt id moueatur, atque quiescat, in quo est primo per se, & non per accidens* illa particula *in quo est primo* significat quod natura sit substantia eius, in quo est; quod enim primò inest rei est ipsius substantia. Illa particula *principium vt id moueatur*, ęquiualet illis, *quæ in seipsis, vt ipsa sunt motus principium habent*. Tertio patet, quod sicut natura primo, & principaliter dicta est substantia dans enti sensibiliter mobili speciem completam: e.g. natura hominis est humanitas dans homini speciem completam hominis; natura, equi est equinitas &c. sic materia, & forma ex quibus consti-

constituitur species, ac quidditas completa sunt natura incompleta. Hæc natura incompleta hominis est anima, & materia. Quia verò humanitas, quę est natura completa constituitur principalius per formam, quam per materiam, ideò forma magis principaliter dicitur natura quam materia, vt docet Aristoteles 2. ph. tex. 1. demum patet bonam esse allatam definitionem naturæ, cum explicet ipsius genus, & differentiam, & declaret discrimen, quo ens naturale, quod est obiectum Physicæ, differt à trãsnaturali, quod est obiectum Metaphysicæ.

Ad 1. Datur in Deo natura communiter dicta, & ipsa Deitas seu diuina essentia, & substantia tribus personis cõmunis, quę vocatur etiam forma Dei, sicut humanitas vocatur forma hominis, iuxta illud Apostoli de Christo, *qui cum in forma Dei esset*, hoc est cum Deitate quæ est forma Dei esset Deus, accipiens humanitatem, quę est forma hominis factus est homo, vt explicant Sancti Patres probantes ex eo loco Christum, esse Deum per naturam. Dicitur autem Deitas natura Dei, quia sicut homo est homo humanitate, ità Deus est Deus Deitate, imo est ipsa Deitas, cum homo non sit humanitas; ideoque docet S.

Thomas loco citato, quod Deus eſt ſua natura, cum homo no non ſit ſua natura, ſed habeat naturam, ideſt humanitatem. Natura in eodem ſenſu communi datur etiam in Angelis: Natura propriè ſumpta in quantum eſt ſubſtantia, quę eſt primum principium motus, non datur in Deo, quia Deus eſt omnino immobilis, & immutabilis. Licet tamen Diuina ſubſtantia non ſit natura propriè dicta, quia non eſt principium motus in Deo, adhuc habet perfectioné naturæ, in quantum natura eſt principium motus. Tota enim perfectio naturæ, in quantum eſt principium motus, & operationum immanentium conſiſtit in eo, vt habeat à ſe bonitatem motus, & operationum immanentium: e. g. humanitas in quantum eſt principium motus ſenſitiui habet à ſe bonitatem talis motus; ſed natura Diuina cum ſit à ſe, & ſit ipſa ſua operatio immanens intelligendi, & volendi & totum ſuum eſſe eo ipſo habet totam perfectionem intelligendi, & volendi, & abſolutè omnem perfectionem à ſe; ergo habet modo eminentiore totam perfectionem explicatam in definitione naturæ. Imo diuinam perfectionem habendi à ſe operationes immanentes, imitatur, ſed non aſſequitur natura creata, in quantum eſt il-

illarum principium, & causa. Deus enim habet intelligere, & velle adæquatè à seipso, excludendo quodlibet aliud à quo accipiat, & habet per identitatem, qui est perfectissimus modus habendi. At natura caeata solum inadęquatè habet à se, hoc est concurrente alia causa; ità enim homo mouet seipsum, vt etiam moueatur ab alio, saltem à Deo primo motore; & habet motum, & operationes immanentes non per identitatem, sed per inhærentiam, qui est imperfectus modus habendi. Proportionaliter in Angelis datur natura communiter, non propriè, quia datur principium, vt se moueant motu merè intelligibili, non autem sensibili. Aristoteles autem nomine naturę intelligit principium motus sensibilis, ideoque primo de partibus animalium cap. I. docet animam rationalem esse naturam solum in quantum est principium motus vegetatiui, sensitiui, & loco motiui, qui motus, & sunt sensibiles, & recipiuntur in materia; in quantum verò est principium intelligendi non esse naturam.

Ad 2. Dum dicitur, quod natura est principium motus, & quietis non est sensus, quod sit principium motus, & quietis in quocunque subiecto, & in quocunque ente naturali, sed quod in ali-

quibus

quibus est principium vtriusque: in alijs est principium solius motus. In ijs, quæ possunt remoueri ab actu perfecto, & à fine suæ substantiæ, natura est principiũ motus, per quem acquirat actum perfectum, & finem, & cum illum acquisiuerit est principium quietis. Ex. g. quia grauia, & leuia remoueri possunt à perfectione essendi in loco proprio, natura est principium, vt per motum se collocent in loco proprio, e. g. in centro, quod est locus proprius grauium, vel in circumferentia Cæli lunaris, quæ est locus proprius leuium, & in eo quiescant. E conuerso in ijs, quæ non possunt remoueri ab actu perfecto, & à fine suæ substantiæ cuiusmodi est Cęlum, quod nequit remoueri à loco debito, nec à debitis qualitatibus natura est principiũ, vt perpetuo moueatur motu circulari, quo diffundat in corpora inferiora suam perfectionem per actiones, & influentias, ideoque est principium solius motus, & non quietis. In nullo natura est principium solius quietis, quia quies est priuatio motus in subiecto mobili; ergo subiectum incapax quietis propriè dictę. In definitione igitur naturę copula, *&* qua dicitur esse principium motus, & quietis, non sumitur pro particula disiunctiua, *vel*, vt quidam dicũt,

sed

ſed ſumitur copulatiuè, ita tamen, vt natura non in omnibus entibus naturalibus ſit principium motus, & quietis, ſed in corporibus inferioribus ſit principium vtriuſque, in corporibus cæleſtibus ſit principium ſolius motus, vt bene explicat Zabarella.

Ad 3. Primo dico quod, ſi corpus omnino immobile, & immutabile eſſet poſſibile, ac daretur. propriè non eſſet corpus Phyſicum, & naturale, ſed ſolum corpus mathematicum. Corpus enim Phyſicum, & naturale eſt, quod habet in ſe principium motus; corpus mathematicum eſt, quod habet trinam dimenſionem.

Secundo reſpondeo, quod repugnat corpus, & ſubſtantia immobilis, & immutabilis, excepto Deo. Ratio eſt, immutabilitas eſt proprietas entis perfecti, mutabilitas eſt proprietas entis imperfecti. Ens enim eo ipſo quod eſt perfectum, & habet totum eſſe, & totam perfectionem, imo eſt totum eſſe, & tota perfectio, non poteſt moueri, neque motu perfectiuo, quo acquirat eſſe, & perfectionem, qua caret, cum ſit totum eſſe, & tota perfectio, neque motu deterioratiuo, quo amittat perfectionem, quam habet, cum eo ipſo, quod remaneat id quod eſt, ſit totum eſſe, & perfectio,

fectio. Ita Deus cum sit omnis scientia totius scibilis non potest moueri ad sciendum nouum scibile; cum sit immẽsitas existens in omni loco non potest moueri ad nouum locum &c. E conuerso, eo ipso, quod ens sit imperfectum, & habeat esse determinatum, & limitatatum moueri potest ad aliud esse, quo perficiatur, & rursus amittendo illud esse potest deteriorari; eo ipso quod intellectus imperfectus non sit scientia totius scibilis, potest moueri ad sciendum nouum scibile; eo ipso quod corpus non sit in omni loco potest moueri ad locum in quo non est. Ipsa enim imperfectio essendi inclinat, & stimulat ad acquirendam per motum nouam perfectionem. Sed omne ens creatum est imperfectum; ergo omne ens creatum est mobile, & mutabile, & si sit corpus est in loco determinato, & finito, & potest moueri ad alium locum, in quo non est, vel secundum totum, vel secundum partes, vt accidit in motu circulari, quo cælum mouetur in seipso ad acquirendum nouum locum, non quidem secundum totum; sed secundum partes. Pars enim quę erat in oriente, per motum ponitur in occidente.

Ad 4. Dictum est, quod in accidentibus datur natura communissimè sumpta

pro

pro essentia accidentali, non autem propriè sumpta. Accidentia igitur propriè non sunt natura, nec habent naturam, qua constituantur, sed sunt naturalia, vel supernaturalia, vel violenta, vel neutra, vel respectu agentis, vel respectu subiecti, vt explicabitur in responsione ad sextum.

Ad 5. Nego sequelam, quod artes etiam actiuę, ac versantes circa operationes immanentes essent natura. Et primo de medicina patet, quia non est per se principium medicandi medicum, sed solum medicandi infirmum. Quia tamen accidit medicum aliquando esse infirmum, ideo per accidens medicatur medicum. Hinc medicina non est per se ars actiua, quia non per se ordinatur ad medicationem immanentem in medico. Artes etiam per se actiuæ, vt saltatoria non sunt natura, quia non sunt substantia eius; qui habet principium, vt moueatur; sed sunt eius accidentia, neque sunt primo in habente artem tanquam constituentes illum in suo esse, sed adueniunt secundariò subiecto iam constituto in suo primo esse per formam substantialem: & ex eadem ratione etiã habitus virtutum, & vitiorum non sunt natura, sed qualitates, quibus natura benè, vel malè se habet. Dicuntur tamen

men habitus præſertim inueterati tranſire in alteram naturam, quià ità inclinamur ad operandum ſecundum habitus, ſicut inclinamur ad operandum ſecundum naturam. Ponit autem Ariſtoteles 2. Phyſ. quædam diſcrimina ad diſtinguendam formam, quę eſt natura, à forma artis. Primum eſt: Res in quantum conſtituuntur per formam, quæ ſit natura habent impetum, & inclinationẽ, vt moueantur quibuſdam motibus, vel localibus, vel alteratiuis, vel augmentatiuis: at verò in quantum conſtituuntur per formam artis non habent impetum, & inclinationem, vt moueantur vllo motu. E. g. ſtatua marmorea in quantum marmorea, per formam marmoris habet impetum, vt moueatur deorſum, vt ſi caleſiat reducat ſe ad priſtinam frigiditatem &c. At in quantum per formam ſtatuæ eſt ſtatua, non habet impetum, & inclinationem, vt mutetur vlla mutatione. Animal paruum, & imperfectum habet impetum, ad hoc, vt creſcat, & augmentetur, & perueniat ad ſtatum perfectum; domus parua, & imperfecta non habet impetum, vt creſcat, augeatur, & perficiatur, ſed augeri debet ac perfici ab extrinſeco agente. Secundo res in quantum conſtituuntur per formam artificialem non generãt

ſibi

sibi simile; sed solum in quantum constituuntur per formam naturalem. Ità lectus ligneus si defodiatur in terram, ità, vt putrescat, generabit aliud lignũ eiusdem speciei, sed non generabit aliũ lectum. Similiter medicus non generat medicum, sed hominem; habituatus habitu virtutis, aut vitij, non generat habituatum, sed hominem, quia humanitas est natura medici, vel habituati, non autem ars medicandi vel vllus alius habitus.

Ad 6. In definitione naturę ly principium & causa intelligitur de principio siue actiuo siue passiuo, inclinato tamen ad hoc vt moueatur vno potius motu, quam alio, vel à seipso, vel ab alio mouente. Datur igitur in Cęlo, natura, quia Cælum per suam formam est principium inclinatum actuali inclinatione ad hoc, vt moueatur circulariter ab intelligentia, & motus circularis est maximè naturalis Cælo, cum sit secundum eius inclinationem, & nullo pacto est violentus, vtpote perpetuus, nullum vero violentum sit perpetuum. Materia secundum se pręcisè est natura solum in potentia, vt Aristoteles docet, quia secundum se præcisè non est inclinata ad vnum potius motum, quam alium. Quod enim potest constitui, vel non constitui

caro,

caro, est natura carnis solùm potentia nõ actu per formã verò carnis cõstituitur actu natura, quia cõstituitur ad vnũ potius motum quam alium. Non tamen sequitur quod omnes motus sint naturales. Motus enim, qui simpliciter sunt contrà naturam, & contrà inclinationem materię vt actuatę, sunt simpliciter, & actu violenti, licet possit dici quod sint naturales materię in potentia, in quantum possent esse secundum inclinationem materiæ si haberet aliam formam. Sed hoc significat quod sint violenti absolutè, & actu: sint naturales solum conditionatè, & in potentia.

Sed postulat locus, vt explicetur quid sit naturale, supernaturale, violentum, & neutrum. *Possunt* hæc considerari, vel respectu agentis, vel respectu subiecti. Naturale subiecto est, quod est secundum eius naturam, & inclinationem; violentum subiecto est, quod est contra eius naturam, & inclinationem deriuatam à natura, seu vt definitur ex Aristotele tertio Eth. cap. 1. *Violentum est quod procedit ab extrinseco agente nullam vim conferente passo*; intelligendo ly *nullam vim conferente passo*, vt significet *renitente passo per inclinationem contrariam*, vt explicat Scotus, quem alij sequuntur. Violentum agenti non datur, quia eo ipso quod

quod agens agat, actio procedit ab intrinseco, tum quia omne agens agit secundum inclinationem, cum ipsa actio sit inclinatio ad effectum. Neutrum subiecto est, quod neque est secundum naturam, & inclinationem subiecti. Neutrum respectu agentis non datur, quia omnis actio est secundam inclinationem agentis. Supernaturale est, quod est supra naturam omnium subiectorum, & agentium, tum creatorum, tum etiam fortasse creabilium. Quare non sufficit, ad supernaturale, quod sit supra naturã agentium, ideoque definitur à Nazianzeno, *quod est impossibile per naturam, Deo autem volenti possibile*.

Exemplis res explicabitur. Est igni naturale sursum ferri versus Cęli lunatis circumferentiam concauam, quia talis motus est iuxta ignis naturam, & inclinationem. E conuerso est igni violentum moueri deorsum versus centrum, quia est contra eius naturam, & contra inclinationem leuitatis à natura deriuatam. Agenti tamen propellenti ignem deorsum est naturalis talis propulsio, cũ sit secundum eius inclinationem, eo pacto, quo calefactio violenta aquæ patienti, est naturalis, & secundum inclinationem ignis calefacientis. Ad violentum porrò sufficit, vt sit contra inclinatio-

nationem abſolutam naturę, in quantũ eſt natura particularis, licet ſit iuxtà inclinationem quaſi conditionatam eiuſdẽ, in quantum eſt pars naturę vniuerſalis. Hinc Deus poteſt inferre creaturis violentiam, vt docet Durandus in ſecundo diſt. 25. quęſt. 4. alijque communiter cõtra paucos negantes. Ità ſi Deus calefaciat aquam, talis calefactio erit aquæ violenta, quia eſt contra inclinationem abſolutam aquę, in quantum eſt natura particularis, licet ſit aliqualiter iuxta quamdam inclinationem quaſi conditionatam, qua inclinatur ad obediendum Deo, ſi velit illam calefacere, & qua inclinatur ad hoc, vt calefiat, ſi poſtulet id ordo vniuerſi, quę inclinatio cõuenit aquę in quantum eſt pars naturæ vniuerſalis.

Motus neuter in ſententia multorum eſt, quo ignis conſtitutus in circunferentia concaua Cœli lunaris rapitur à Cœlo lunari motu circulari, quia talis eſt motus, nec eſt ſecundum naturam, & leuitatem ignis, cum per illum non aſcendat, nec eſt contra eius naturam, & leuitatem, cum neque deſcendat, ſed feratur in gyrum retinens eandem diſtantiam à centro. Sed ego cenſeo talẽ motum eſſe naturalem igni. Eſt enim iuxta naturam ignis, vt coniungatur corpo-

corpori cælesti tanquam suo fini, & suo perfectiuo, vt sic participet naturam, & motum circularem Cęli. Imò censeo non dari motus neutros, quia omnis motus, vel est perfectiuus, & melioratiuus subiecti, vel deterioratiuus, vel neque perfectiuus, neque deterioratiuus. Si melioratiuus, ac perfectiuus, eo pacto, quo illuminatio est perfectiua aeris, est secundum naturam, & inclinationem subiecti; quia subiectum inclinatur ad omnem perfectionem in quantum potest haberi à naturalibus agentibus; ergo est naturalis. Si deterioratiuus est contra inclinationem subiecti, atque adeo violentus. Si neque melioratiuus, neque deterioratiuus est superfluens, & inutilis subiecto, atque adeò contra inclinationem naturę, quia natura subiecti renititur motibus superfluis, & inutilibus.

Demum exemplum supernaturalis est vnio hypostatica, quæ est supernaturalis humanitati Christi, quia talis vnio licet non sit contra inclinationem humanitatis, vtpotè dans illi summum bonum, & summam perfectionem subsistentiæ Diuinæ, est supra eius inclinationem vtpote illam excedens. Et quia etiam excedit omnem vim actiuam substantiarum creatarum, est simpliciter supernaturalis,

naturalis, hoc est omnino impossibilis per naturam, Deo autem volenti possibilis. Gratia etiam qua constituimur Filij adoptiui Dei; Fides, Spes, Caritas, lumen Gloriæ, visio beata, & alij similes habitus, atque actus sunt supernaturales ex eadem ratione.

Ad 7. Auicennas apud Auerroem, & S. Thomam putauit naturam posse demonstrari, non quidem à Physica, quia nulla scientia demonstrat, sed supponit primum subiectum, sed à Metaphysica, quia potest scientia superior demonstrare primum subiectum, suppositum à sciẽtia inferiori. Sed hęc doctrina est expresse contra Aristotelem dicẽtem, quod ridiculum est tentare demonstrare naturam, quia est per se notum dari naturam, quę ratio ostendit vniuersaliter, quod neque potest demonstrari à Physica, nec à Metaphysica, vel alia scientia. Explicando igitur rationem Aristotelis ostendo naturam demonstrari non posse; quia quę sunt ita nota per se, & per inductionem, vt nemo sanæ mentis sit illis assensurus ex syllogismo, demonstrari non possunt, cum demonstratio sit syllogismus causans assensum conclusionis in homine sanę mentis; e. g. demonstrari non potest, quod detur Sol, Luna, homines, animalia, plantæ &c. quia hęc omnia

omnia dari est ità notum per ſe ex inductione, & experientia, vt nullus ſanæ mentis ſit illis aſſenſurus ex ſyllogiſmo; ſed dari multas naturas, & multa entia naturalia eſt ità notum per ſe, vt nemo ſanę mentis ſit illis aſſenſurus ex ſyllogiſmo; e.g. quis ex ſyllogiſmo credat dari in homine naturam, quę ſit principium, vt moueatur motibus humanis? dari in animalibus, ac plantis naturas, per quas moueantur ſuis motibus? ergo non poteſt demonſtrari natura. Hinc ad argumentum: cauſa poteſt demonſtrari per effectum; diſtinguo maiorem, cauſa quam intellectus cognoſcit dari eo ipſo actu, quo cognoſcit effectum, nego: quā non cognoſcit dari eo ipſo actu, quo cognoſcit effectum tranſeat; diſtinguo eodem pacto minorem, & nego conſequentiam. Cauſa quam intellectus cognoſcit dari eo actu, quo cognoſcit effectum non poteſt demonſtrari per effectū; e.g. quia eo ipſo actu, quo ego cognoſco meos effectus, ac meos motus, cognoſco meam exiſtentiam, non poſſum per meos effectus demōſtrare meam exiſtentiam; quia eo actu, quo intellectus cognoſcit dari motum, cognoſcit dari aliquid, quod mouetur eo motu non poteſt mobile demonſtrari per motum. In caſu noſtro ijs ipſis actibus, quibus co-

gnoſcimus hominem, animalia, & pl tas moueri quibuſdam motibus, cogn ſcimus dari ſubſtantias animalium, plantarum mobiles ipſis motibus; ſed lis ſubſtantia eſt natura; ergo ijs ip actibus cognoſcimus dari naturam; e go non poſſumus naturam demonſtra per motum, cum ſimul innoteſcat cu motu, atque adeò non ſit per ſe ignot ſed nota.

Vtrum ſuppoſitum à parte rei ad dat aliquid ſupra naturam.
Quæſtio XIII.

PRimo videtur vera ſententia Henr ci quodlibeto 4. Durandi in primo diſt.34. quæſt.1. & aliorum, quod ſu poſitum, e.g. homo, equus &c. diſti guatur à ſua quidditate, natura, & e ſentia e.g. ab humanitate, & equinita ſolum ratione, & ex modo concipiend eo quod homo ſignificet humanitatem in concreto, hoc eſt in aliquo eam h bente, quod habens nihil dicat re, ſe ſola ratione diſtinctum ab humanitate habita, cum humanitas ſignificet eand humanitatem in abſtracto, & non in aliquo

aliquo habente; 1. quia ex Ariſtotele 7. Met. textu 20. & 12. in ſubſtantijs idem eſt vnumquodque ac id, quodquid erat eſſe, ſeu quidditas ſua; ſed ſuppoſita, e.g. Homo, Equus &c. ſunt ſubſtantiæ; ergo idem eſt Homo, ac eius humanitas quæ eſt quidditas hominis; idem eſt Equus, ac equinitas, quę eſt quidditas equi. Ratio verò eſt, quia homo conſtituitur homo adęquatè per humanitatem ſecluſo quocunque alio poſitiuo, vel negatiuo; ergo homo nihil addit ſupra humanitatem.

2. Videtur vera ſententia, quam, licet, non omnino aſſertiuè proponit, ac defendit Scotus in 3. diſt.1. quęſt. 1. & alibi, quod ſuppoſitum nihil poſitiuum addat ſupra naturam, ſed ſolum addat duas negationes, primam vnionis actualis, per quam natura non vniatur actu alteri ſuppoſito; ſecundam vnionis aptitudinalis, per quam non exigat vniri alteri ſuppoſito. *Primo* quia ſi natura ſubſtantialis neque eſt in alio ſuppoſito, & toto, neque exigit naturaliter eſſe in alio ſuppoſito, & toto, per hoc ipſum conſtituitur per ſe ſubſiſtens, atque adeò habet rationem ſuppoſiti, quod nihil aliud eſt quam ſubſtantia per ſe ſubſiſtens; e.g. mea humanitas eo ipſo, quod non eſt in ſuppoſito Diuino, ſicut humanitas

Christi, & quod non exigit esse in alio supposito, & toto, sicut anima rationalis exigit esse in homine, qui est suppositum, & totum, eo inquam ipso humanitas mea per se subsistit, & habet rationem suppositi. E conuerso humanitas Christi non habet rationem suppositi, & Personæ, quia actu est vnita supposito Diuino, atque adeò cum habeat actualem vnionem non habet negationem vnionis actualis; anima separata non est suppositum, & Persona, quia licet per se subsistat, & non sit vnita corpori, atque adeò habeat negationem vnionis actualis, tamen exigit esse in supposito hominis, & est apta illi vniri, ideoque non habet negationem vnionis aptitudinalis, sed habet vnionem aptitudinalem; sed natura constituitur non existés actu in alio supposito per negationem vnionis actualis; constituitur non exigens esse in alio supposito per negationem vnionis aptitudinalis; ergo per has duas negationes secluso quocunque positiuo habet rationem suppositi.

2. Si suppositum, & persona adderet aliquid positiuum suprà naturam, vel illud esset substantia, vel accidens; non potest esse accidens, quia substantia non potest constitui in ratione substantiæ per aliquod accidens, nec potest esse substantia,

stantia, tum quia ex Aristotele, substantia vel est materia, vel forma, vel compositum; sed hoc positiuum non esset vllum ex his; ergo non est substantia. Adde Aristotelem 7. Metaph. cap. 11. secundum explicationem S. Thomæ indicare, quod suppositum supra naturam addat acidentia, & proprietates characteristicas materię, quod etiam insinuant plures Sancti Patres, quos citat Vasquez tertia parte disput. 31. cap. 3. ideoque Heruæus, & Iauellus docuerũt suppositum supra naturam addere sola accidentia, & proprietates characteristicas.

3. Sequeretur, quod Verbum non non assumpsisset omnia positiua hominis, cum id quod suppositum addit supra naturam non assumpserit omnia positiua hominis, præsertim substantialia, alioquin non assumpsisset totam substantiã, nec Christus esset homo vniuocè cum alijs. Præterea est regula Damasceni tertio de fide, capite 7. quod *id quod non fuit assumptum non fuit curatum à Verbo*; non fuisset assumpta personalitas positiua; ergo non fuisset curata à morbo peccati. Rursus humanitas Christi Domini careret perfectione substantiali sibi debita, & sic pateretur violentiam. Adde, quod hoc positiuum non posset assumi

à Verbo, quod est inconueniens, cum omnia positiuè ęque subsint potentiæ assumptiuæ Verbi. Demum posset natura poni sine hoc positiuo, atque adeo poni posset in nullo supposito, & dari posset humanitas sine *P*ersona hominis, quæ omnia videntur inconuenientia, & absurda.

4. Hoc positiuum deberet esse modus naturæ; sed est inconueniens, quod personalitas sit modus; alioquin *P*ersona, quæ est res maximè absoluta, constitueretur in ratione Personæ per modum.

5. Modus positiuus subsistentiæ deberet esse terminus substantialis excludens à natura vlteriorem perfectionem substantialem ex dictis in logica de negationibus: sed si esset terminus excludens vlteriorem perfectionem substantialem, mutaretur, quando plantę, & animalia per nutritionem acquirunt perfectionem substantialem nouę materiæ; ergo subsistentia in homine, animalibus, & plantis assiduè mutaretur: sed subsistentia hominis est eiusdem personalitas; ergo personalitas hominis assiduè mutaretur; ergo homo tractu temporis non remaneret eadem persona, cum mutaret personalitatem; plantæ, & animalia non remanerent eadem supposita,

cum

cum mutarent suppositalitatem. Augetur difficultas, quia totaliter mutata personalitate, vel suppositalitate, non potest remanere eadem persona, & idem suppositum; sed cum additur homini noua pars materię, atque adeò noua perfectio substantialis, terminus perfectionis substantialis, qui est personalitas hominis, toialiter mutaretur succedente nouo termino; ergo non potest remanere eadem persona. Similiter addita, vel substracta vna gutta ab Oceano, mutaretur suppositalitas Oceani, & sic non remaneret idem suppositum Oceani: ex quo vlterius infertur suppositalitatem rerum materialium, & quantarum esse modum ita subiectatum in tota re quanta, vt totaliter mutetur quocunque detracto, vel addito.

6. Si subsistentia est aliquid positiuum non potest explicari an sit ipsa existentia, vt docet Capreolus in tertio distinctione quinta articulo tertio, respondens ad arguméta contra secundam conclusionem; an sit aliquid distinctum ab existentia, contrahens naturam ad rationem suppositi, antequam intelligatur aduenire naturæ actualis existentia, vt docet Caietanus 3. parte, quęstione 4. articulo 2. an verò sit modus additus existentię, per quem determinetur ad

existendum per se, vt docet Suarius disputatione 34. Met. sect.4. num.24. Vasquez 3. parte, disp.37. cap.6. Cardinalis Delugo de Incar. 12. sect.4, apud quos videri possint alij authores. Rursus non potest explicari an suppositum dicat in recto naturam, vel subsistentiam, vel vtramque; an subsistentia habeat propriam existentiam, vel existat per existentiam suppositi. Quidquid enim dicatur occurrunt magnæ difficultates; ergo expeditius est constituere suppositalilitatem in aliquo negatiuo.

Respondeo, quod in hac quæstione primò definiendum est suppositum, & Persona: secundo definienda est natura communiter dicta, quæ dat speciem supposito, ac personæ: tertio ad examinandum quid suppositum, & persona addat supra naturam: quarto demum definienda est ipsa suppositalitas, personalitas, ac subsistentia in abstracto.

Quoad primum, notandum, quod Aristoteles 5. Metaph. cap.8. t. 15. docet substantiam sumi dupliciter. Primò substantia est indiuiduum habens naturam substantialem completam, e.g. Petrus, qui est indiuiduum habens completam naturam humanam: Bucephalus, qui est indiuiduum habens completam naturam equinam; Michael qui est indiui-

diuiduum habens completam naturam, Angelicam, sunt substantiæ in hoc sensu. Secundo substantia est natura completa constituens indiuiduum in sua specie, e.g. humanitas Petri est eius substantia; equinitas est substantia Bucephali &c. Substantia primò modo dicta vocatur ab Aristotele in prędicamentis prima substantia, vocatur etiam ab eodem tertia substantia, & tertium ens: à Porphirio dicitur indiuiduum, à SS.PP. Gręcis Hypostasis, à SS. PP. Theologis, ac Philosophis latinis subsistentia, & suppositum. Suppositum igitur, seu prima substantia definitur ex doctrina Boetij lib. de duabus naturis. *naturæ completæ indiuidua substantia*. Et quia indiuiduum, seu substantia indiuidua definitur à S. Thoma, *quod est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio*, ideò clarius vniendo vtramque definitionem describi potest suppositum *ens substantiale totale habens naturam completam, indiuisum in se, & diuisum potentia, vel actu à quolibet alio ente substantiali totali*. Suppositum aliud est habens naturam rationalem, aliud est carens natura rationali. Suppositum habens naturam rationalem completam vocatur etiam Persona, traducto nomine Personæ ab illis, qui quia Personati, in comædijs, aut tragæ lijs

repræsentabant homines in dignitate constitutos, dicti sunt Personæ. Quia igitur magna dignitas est habere naturã rationalem completam, ideò supposita habentia naturam rationalem obtinuerunt nomen Personæ ad exprimendam eorum dignitatem, vt ex Boetio docet S. Thomas 1. parte qu. 29. art. 9. ad secundum. Suppositum carens natura rationali non vocatur Persona ex opposita ratione. Ideò Bucephalus e.g. non est Persona, sed purum suppositum. Hinc colligitur definitio Personæ ex Boetio loco citato. *Est enim rationalis naturæ indiuidua substantia*: seu *ens substantiale totale habens naturam rationalem completam, indiuisum in se, & diuisum actu, vel potentia à quolibet alio ente substantiali totali*.

Ex prima particula definitionis, *ens substantiale totale* colligitur partes actuales totius non esse suppositum: e.g. mea materia, mea anima, meus pes, manus &c. non sunt supposita, sed sunt in supposito, hoc est in me: similiter medietas Oceani non est suppositum. Ratio est, quia partes eo ipso, quod sunt partes, non sunt entia totalia, sed partialia. Ex opposita ratione Verbum diuinum licet sit vnitum humanitati Christi adhuc est suppositum, & Persona, quia adhuc est

ens

ens ſubſtantiale totale, ac nullo pacto eſt pars, vel ens partiale. Pars enim eſt ens incompletum, ac perficitur, & completur alijs compartibus; ſed Verbum Diuinum eſt ens completiſſimum, & non completur, neque perficitur humanitate, ſed illam purè complet, & perficit; ergo licet vniatur humanitati non eſt pars; ſed retinet perfectam rationem entis totalis, ſuppoſiti, & Perſonæ. Ens creatum & defectuoſum non poteſt vniri alteri ſubſtantialiter, ità vt remaneat ſuppoſitum, ſeu ens totale, quia eo ipſo, quod vniatur alteri completur per illud adeoque amittit rationem totius, & ſuppoſiti, & euadit pars.

Ex ſecunda particula *habens naturam completam* colligitur partes continui, quæ ſeparatæ retinent perfectam, & completam ſpeciem, per ſeparationem conſtitui ſuppoſita. E conuerſo partes eſſentiales ſeparatę, quę non retinent perfectam rationem ſpeciei per ſeparationem non conſtituuntur ſuppoſita: e.g. aquæ gutta per ſeparationem ab Oceano euadit ſuppoſitum, quia gutta ſeparata eſt ens ſubſtãtiale, & totale habẽs cõpletã naturã & ſpeciẽ aquæ, cũ ſpecies aquę per definitionem explicata, non minus ſaluetur in vna gutta, quam in toto Oceano. At anima rationalis ſeparata non eſt ſuppo-

tum, neque persona; quia licet sit totum quoddam, non habet completam naturam, & speciem hominis, quæ non saluatur in anima separata.

Ex tertia particula *indiuisum in se* colligitur aceruum, exercitum, & alia tota per accidens non esse supposita, quià constant ex partibus substantialiter diuisis. Quare sunt aggregata suppositorum, seu plura supposita substantiatialiter diuisa, & accidentaliter vnita.

Ex quarta particula *diuisum à quolibet alio ente substantiali totali potentia, vel actu*, colligitur primò naturam Diuinam fesecundum se formaliter non esse suppositum, neque personam, quia licet sit ens totale indiuisum in se, non est tamen diuisum actu, neque potentia à tribus entibus totalibus, Patre, Filio, & Spiritu Sancto, sed illis communicatur ità, vt non possit non communicari: Secundò colligitur humanitatem Christi non esse suppositum, neque personam, quia non est diuisa actu à Verbo diuino, neque est diuisa potentia à quolibet ente substantiali totali, cum non possit esse, quin sit in aliquo supposito, vel puri hominis, vel Personæ diuinæ, quorum vtrumque est ens substantiale totale. Præterea humanitas non est suppositum,

quia

quia non eſt ens totale, ſed partiale. Tertio infertur in Chriſto aggregatum ex Verbo, & humanitate vnita non eſſe ſuppoſitum, neque *Perſonam*, quia licet ſit ens ſubſtantiale totale, non eſt ens diuiſum actu, neque potentia à Verbo Diuino, quod eſt ens ſubſtantiale totale. E conuerſo Verbum Diuinum in Chriſto eſt ſuppoſitum, & Perſona quia licet non ſit actu diuiſum ab aggregato, quod eſt ens totale, eſt diuiſum potentia, cum poſſit eſſe ſine tali aggregato. Ideo in Chriſto ſolum Verbum Diuinum eſt ſuppoſitum, ſeu perſona, atque adeò ſuppoſitum in Chriſto eſt purè increatum.

Quoad ſecundum natura communiter dicta ſeu ſubſtantia, eſſentia, quidditas ſpecies, & forma totius (hæc enim omnia pro eodem ſumuntur) definitur à Boetio libro de duabus naturis *vnumquodque informans ſpecifica differentia*; ſeu *ens ſubſtantiale conſtituens vnumquodque in ſua ſpecie, tanquam forma inſeparabilis à quolibet ente ſubſtantiali totali*: e.g. humanitas eſt mea natura, quia conſtituit me in ſpecie hominis, tanquam forma inſeparabilis à quolibet ente ſubſtantiali, totali potentia, vel actu, cũ nõ poſſit ſeparari ab omni ſuppoſito. Differt igitur natura à ſuppoſito, quod ſuppoſitum poteſt

ſepara-

separari ab omni alio ente substantiali, totali, secus natura, & ex eadem ratione natura non est indiuiduum, quia indiuiduum est diuisum à quolibet alio ente substantiali totali, potentia, vel actu; natura non est diuisa neque potentia, neque actu. Hæc est illa natura, quæ in entibus sensibilibus est principium, vt propriè moueantur ac quiescant motu sensibili; in Angelis est principium, vt moueantur, ac quiescant motu intelligibili, qui est motus late dictus; in Deo est, à qua est Diuina operatio immanens intelligendi, & volendi. Natura alia est completa, quæ nimirum non potest esse pars essentialis, vel integralis alterius naturę, vt humanitas; alia est incõpleta, quę potest esse pars essentialis, aut integralis alterius naturæ, vt materia, & forma, natura capitis, & pedis, &c. Natura creata sẽper est ens partiale, seu pars suppositi. Ratio est, quia pars est ens defectuosum, & incompletum, quod perficitur, & completur ex eo, quod sit in ente completo; sed natura creata est ens defectuosum, & incompletum quod perficitur, & completur ex eo quod sit in supposito; ergo natura creata est essentiáliter pars, & ens partiale. Ex opposita ratione Natura *Diuina* non est pars, nec ens partiale, sed totale, quia ens

ens illimitatum, & includens omne esse, & omnem perfectionem eo ipso est incomplebile, & inperfectibile; & licet sit in supposito, non perficitur, sed illud purè perficit.

Ex mysterijs Trinitatis, & Incarnationis innotuit quędam veritas, quam licet Aristoteles assequi non potuerit, visus est quodammodo indicasse; saltem ità accommodatè locutus est, ac si aliquam de ipsa suspicionem habuerit. Est autem hęc veritas, quod omnis natura etiam singulariter accepta est vniuersalis, & communis pluribus, potentia, vel actu, non logicè, sed metaphysicè, & constitutiuè. E.g. natura diuina logicè est summè singularis, cum non possit prędicari de pluribus naturis, & non solum est vna numero, sed etiam vnica, quia non habet aliam similem in specie; & tamen diuina natura constitutiuè, ac metaphysicè est vniuersalis, & communis actu tribus Personis, quæ per Deitatem constituuntur vnus Deus. Similiter humanitas mea est logicè singularis, & vna numero, quia prædicari nō potest de pluribus humanitatibus, licet sit vnica, quia habet plures humanitates similes; & tamen est metaphysicè, seu constitutiuè communis potentia quatuor personis, mihi, in quo est actu, & tribus

tribus personis Diuinis, à quibus saltem diuisim potuisset assumi, ita vt illas constitueret hominem. Si enim assumpta fuisset à Patre constitueret illum hominem. Idem dic de alijs naturis. Dixi hanc veritatem Aristotelem assequi non potuisse. Cum enim ignorauerit mysterium Trinitatis, nesciuit naturam Diuinam, licet vnam numero, esse communem actu tribus Personis; & cum ignorauerit mysterium Incarnationis, nesciuit naturas creatas singulares easdem numero posse diuisim competere pluribus suppositis saltem quatuor. Adhuc tamen Aristoteles aduertit naturam per definitionem explicatam esse vniuersaliorem, & communiorem supposito. Ideò vocauit illam speciem, quod nomen significat aliquid commune, & vniuersale: dixit substantiam secundo modo dictam, seu substantiam secundam esse vniuersalem; sed hic hæsit, ac penetrare non potuit, quænam communitas, & vniuersalitas conueniat naturis singularibus. Non tamen hęserunt, Sancti Patres Græci, qui olim acutissimè disputarunt de distinctione naturæ à supposito, sed illustrati reuelationibus mysteriorũ Trinitatis, & Incarnationis vnanimiter docuerunt naturam differre à supposito, seu hypostasi, & Persona tanquam speciẽ

ab

ab indiuiduo; commune à proprio; substantiam secundam à prima; vniuersalẽ à particulari; agnoscentes in eadem numero natura communitatem, & vniuersalitatem non logicam, sed constitutiuã modo explicato. Videri possunt eorum testimonia apud Ruiz primo de Trinitate disp.32. sect.6. & Petauium tomo secundo theologicorum dogmatum libro quarto cap.7.

Quoad tertium statuendum est, quid addat suppositum, seu persona supra naturam. Dico primo contra Durandum; suppositum creatum addit aliquid plus, quam ratione distinctum à natura. Probatur, quia si suppositum, & persona creatã non adderet aliquid à parte rei distinctum à natura, natura per per seipsam, & nullo addito esset suppositum, & Persona; sed natura non est suppositum, & Persona per seipsam, nullo addito; ergo &c. Probatur minor: si natura per seipsam esset suppositum, & Persona, quandocunque esset, semper esset suppositum, ac Persona: quandocunque enim res est, semper est; id quod est per seipsam, eo pacto, quo quia homo per seipsum est animal rationale, quandocunque est, semper est animal rationale: è conuerso, quia potest esse homo, quin sit musicus; homo non est musicus

musicus per seipsum, sed per musicam distinctam; sed potest esse natura, quin sit suppositum, & Persona; datur enim in Christo humanitas, & perfecta natura humana, quę non est suppositum, neque Persona; alioquin, cum humanitas à parte rei distinguatur à *Persona* verbi, daretur in Christo Persona distincta à persona verbi; & sic darentur in Christo duo supposita, & duæ personæ, quod est hereticum, & Nestorianum; ergo natura potest esse quin sit suppositum, & persona; ergo constituitur in ratione suppositi; & personę per aliquod distinctum positiuum, vel negatiuum. Ideò Damascenus libro tertio de fide, capite tertio, & alij Patres docent hæreticos ideò errasse, quia non distinxerunt Personam à natura. Quod si dicat *Durandus* humanitatem Christi non esse suppositum, & personam, quia non est per se, sed est in Verbo; ergo iam ad suppositum requirit, vt natura non sit in alio supposito, atque adeò requirit negationem vnionis, & declinat in sententiam Scoti, à quo authores primę sententiæ videntur sola voce differre, in quantum dicunt obscurè quod Scotus clarè explicauit.

Secundo dico: suppositum supra naturam addit cõplementum positiuum substantia-

stantiale & non meram negationem, vt docuit Scotus, nec aliquid merè accidentale, vt docuerunt Heruæus, & Iauellus.

*P*robatur, quia suppositum, ac persona constituuntur vltimo in ratione suppositi, ac *P*ersonę per id, quod datur supra naturam; sed non possunt constitui in ratione suppositi ac personę per negationem, nec per aliquid accidentale; ergo suppositum non addit supra naturam meram negationem, nec aliquid purè accidentale. Probatur minor, quia suppositum in ratione suppositi est substantia totalis, immo est prima substantia, quæ secundum Aristotelem in prędicamentis est principaliter, & maximè substantia, & est magis substantia, quam secunda substantia; sed substantia totalis in ratione substantię totalis non potest constitui per negationem, neque per accidens, & quod est magis substantia non potest constitui magis substantia per nagationem, & per accidens, eo pacto, quo non potest aliquid constitui magis lucidum per negationem, neque per aliquid, quod sit non lux, sed solum per lucem; ergo id, per quod suppositum constituitur in ratione suppositi, est aliquid positiuum substantiale, non autem mera negatio, vel accidés.

Confir-

Confirmatur argumentum, quia ego non constituor ego per negationem, neque per accidens; si enim constituerer ego per negationem, me esse me, esset sicut aliquid esse cæcum; si per accidens, me esse me, esset sicut aliquid esse album; sed ego constituor ego per meam personalitatem, cum ego sim hęc persona; ergo personalitas non est negatio neque accidens, alioquin esset sicut cæcitas, vel albedo.

Ratio à priori est, quia substantia totalis vt totalis est substantialiter perfecta, & pręeminet substantiæ partiali; sed repugnat, quod sit substantialiter perfecta per perfectionem non substantialem; ergo id, quo substantia constituitur totalis, est perfectio substantialis, atque adeò nn est mera negatio, neque merum accidens; sed suppositalitas, personalitas, ac subsistentia sunt id, quo substantia constituitur totalis; ergo suppositalitas, personalitas & subsistentia est perfectio substantialis, & non purè negatio, neque purum accidens. Confirmatur ex paritate Diuinarum personalitatum, & suppositalitatum, quæ non sint negatiuæ, sed positiuæ substantiales, licet non distinguantur à diuina Essentia ex natura rei, sed solum virtualiter intrinsecè, cum suppositalitates createę distinguantur

ex

ex natura rei.

Quoad ad quartum, colligi possunt exactę definitiones suppositalitatis, personalitatis & subsistentię in abstracto. Suppositalitas est actualitas positiua substantialis, per quam ens substantiale totale, habens completam natnram in diuisum in se, constituitur diuisum actu, vel potentia à quolibet alio ente substãtiali totali. Personalitas est, suppositalitas naturę rationalis completæ: e. g. mea personalitas, & suppositalitas est actualitas substantialis addita meæ humanitati, per quam constituor diuisus actu ab omnibus alijs entibus totalibus, & illis non communicatus; idemque valet de cateris personalitatibus & suppositalitatibus creatis, vel increatis. Paternitas enim est suppositalitas Patris ęterni, quia per Paternitatem Pater cunstituitur diuisus, seu non communicatus alijs personis: Filiatio est Personalitas filij ex ex eadem ratione, quia constituit Filium diuisum seu non communicatum à Patre, & Spiritu Sancto, & diuisum potentia ab aggregato ex Verbo, & Humanitate Christi vnitis, quod aggregatum est ens substantiale totale per se vnum. Proportionaliter subsistentia in abstracto in quantum est communior suppositalitate, & Personalitate, est actualitas substantialis

tialis

tialis positiua, per quam ens substantiale habens naturam completam, vel incompletam, indiuissum in se constituitur diuisum à quolibet alio ente totali; e.g. cum anima separata per se subsistit, habet subsistentiam propriam, quia habet actualitatem, per quam diuiditur à quolibet alio ente totali. Talis autem subsistentia non est suppositalitas, neque personalitas, quia non diuidit ens habens naturam completam, sed solum incompletam. Nota tamen, quod licet subsistentia apud scolasticos sumatur pro actualitate, qua substantia per se subsistit, apud SS. PP. sumitur pro ipso concreto, seu substantia per se subsistente, & idem significat, ac suppositum, siue Hypostasis.

Ad 1. *Pro* sententia Durandi; Aristoteles 7. Metaph: tex.20. & 21. dum dicit quod substantię sunt quidditas sua, nomine quidditatis intelligit definitionē obiectiuam, ex.gr. quidditas hominis est esse animal rationale, ac docet; quod idem est esse hominem, & esse animal rationale, contra Platonem, qui dicebat animal rationale esse ideam distinctā ab homine sensibili; at non dicit, quod, homo sit idem, ac humanitas; ergo locus adductus non fauet sententiæ Durādi. Videri potest S. Thomas in commenta-

mentario illorum textuum. Dum ex ratione arguitur, quia homo ſingularis, e.g. Petrus conſtituitur adæquatè per humanitatem, reſpondeo id eſſe falſum, cum ſupra humanitatem communicabilem pluribus ſuppoſitis addat ſuppoſitalitatē, vt explicatum eſt.

Ad 1. Pro ſententia Scoti iam eſt reſponſum, oſtendendo, quod ſuppoſitum addat naturæ actualitatem poſitiuam.

Ad 2. Iam eſt oſtenſum quod ſuppoſitalitas poſitiua non eſt accidens, ſed aliquid ſubſtantiale. Ariſtoteles dum diuidit ſubſtantiam in materiam, formam, & tertium quod ex his. Nomine tertij intelligit ſuppoſitum] conſtitutum in ratione primę ſubſtantiæ per actualitatem ſubſtantialem. Dum 7. Metaph. cap. vltimo indicat, quod ſuppoſitum ſupra naturam addat quadam accidentia, & quaſdam proprietates characteriſticas loquitur de ſuppoſito ſenſibili, & diſcernibili à nobis: ſuppoſita autem, & perſonæ ſunt à nobis diſcernibilia ſolum per proprietates characteriſticas, ideoque etiã Porphirius per tales proprietates deſcripſit indiuiduum, ſeu ſuppoſitum dicens, indiuiduum eſt, quod ex' proprietatibus conſiſtit, quarum aggregatum in nullo alio fiet. In eundem ſenſum loquuntur

SS.

SS.PP. relati à *P.* Vasquez. Addo suppositalitatem esse accidens latè sumptum, in quantum omnia, quæ non spectant ad speciem vocantur accidentia.

Ad 3. Ex eo, quod Verbum non assumpsisset totam nostram substantiam, vt respondeatur notandum ex P. Vasquez prima parte quæst. 124. cap. 1. & sequ. quod licet nomina substantiæ, & Hypostasis, ex prima etymologia idem significent, tamen ad vitandas æquiuocationes restricta est eorum signifieatio, ita vt in materia de Trinitate, & Incarnatione Hypostasis significet non naturam, sed suppositum, substantia significet naturã. Ideò iam non licet dicere, quod in Deo sit vnica Hypostasis, quia sunt tria supposita, quod sint tres substantiæ, quia est vnica natura, nec licet dicere, quod in Christo sint duæ Hypostases, quia est vnicum suppositum, ac persona, nec quod sit vnica substantia sumpta pro natura, qnia sunt duæ naturæ completę, Diuina, & humana. Hoc posito, dum dicitur, quod Verbum assumpserit totam nostram substantiam, sensus est, quod assumpserit totam nostram naturam, non autem, quod assumpserit substantiam sumptam pro hypostasi, vel persona, & pro suppositalitate, vel personalitate: sicut cum dicitur, quod *Pater* æternus com-

communicat Filio totam ſuam ſubſtantiam, ſenſus eſt, quod communicet totam naturam, cum profectò Perſonam Patris, & Paternitatem non communicet Filio. Nec ex hoc ſequitur, quod Chriſtus non ſit homo vniuocè nobiſcū. Nam vt ſit homo vniuocè, & eiuſdem ſpeciei, ſufficit, quod habeat totam naturam, & ſpeciem, non verò requiritur, vt habeat ſuppoſitalitatem, quæ non ſpectat ad ſpeciem, ſed ad indiuiduum, ſeu ſuppoſitum habens ſpeciem.

Dum vrgetur: quod non fuit aſſumptum, non fuit curatum; dico hoc axioma intelligendum de ijs, quę ſpectant ad naturam, quæ erat infirma, & ſananda. Adam enim peccato infecit naturam humanam; & quia nos ab Adam accipimus naturam per carnalem generationem, accipimus naturam infirmam, & Perſonę ſunt infirmæ, quia habent naturam infirmam. Chriſtus aſſumens totam naturam humanam totam curauit, & ſic Perſonę ſunt curatæ, quia eſt curata natura.

Dum vlterius opponitur: humanitas Chriſti careret propria perſonalitate ſibi debita; ergo pateretur violentiam: diſtinguo antecedens, careret carentia perfectè compenſata cum infinito quodā

excessu, concedo: carentia non compensata nego; & nego consequentiam. Humanitas Christi caret quidem personalitate creata, sed cum perfecta compensatione, & infinito excessu, quia loco creatæ personalitatis imperfectę habet personalitatem infinitam, quæ tribuit humanitati totam perfectionem Verbi quam tribuit personalitas creata, cum excessu penè infinito; sed non patitur violentiam illud, cui aufertur bonum debitum cum perfecta compensatione, & maximo excessu; e.g. non pateretur violentiam ille, cui auferretur paruus ager debitus ex paterna hęreditate, compensando illud per imperium totius Mundi; ergo multo minus patitur violentiam humanitas Christi dum aufertur propria subsistentia imperfectissima, & in compensationem datur personalitas verbi; pręsertim cum per Diuinam personalitatem expleatur, & superexpleatur appetitus humanitatis. Humanitas enim appetit propriam personalitatem sub ratione communi personalitatis sibi bonæ in certo gradu, non excludendo meliores, quę continent talem gradum bonitatis, iuxta dicta de appetitu materię: sed personalitas Verbi continet totam bonitatem personalitatis creatę; ergo appetitur ab humanitate secundum rationem

tionem communem personalitatis, in qua conuenit cum personalitate creata; ergo personalitas Verbi eſt secundum appetitum humanitatis, illamque perfectiſſimè satiat, & explet. Quia tamen secundum rationem differentialem infinitè excedit personalitatem creatam, excedit etiam appetitum naturę, ideoque superexplet.

Dum inſtatur, quia personalitas noſtra poſitiua non poſſet aſſumi à Verbo; concedo sequelam. Dum dicitur hoc eſſe absurdum, quia omnia poſitiua æquè subsunt potentiæ aſſumptiuę verbi, diſtinguo: omnia poſitiua spectantia ad naturam substantialem, concedo: spectantia ad suppoſitum, vel accidentia; nego. Eſt communis doctrina, quod Verbum poſſit aſſumere solas naturas subſtantiales, suppoſita verò, personas, & accidentia non poſſit aſſumere; ergo nec poteſt aſſumere suppoſitalitatem, & personalitatem, quæ sunt vltimo conſtitutiua suppoſiti, ac personæ. Si quæratur, cur natura creata poſſit vniri Personis Diuinis, suppoſitum creatum non poſſit: respondeo rationem eſſe, quia suppoſitum eſt subſtantia totalis; ergo dum retinet suppoſitalitatem, retinet totalitatem; sed ſi suppoſitum creatum vniretur subſtantialiter alteri suppoſito,

eo ipso non retineret totalitatem, quia omne imperfectum per vnionem substantialem ad alterum non remanet totũ, sed euadit pars; ergo non retineret suppositalitatem; ergo retinens suppositalitatem non poteſt vniri alteri supposito. Imo ex eadem ratione suppositum creatum non poteſt vniri alteri naturæ, quia eo ipso euaderet pars, & amitteret suam totalitatem. Solum suppositum Diuinum poteſt vniri alteri naturę, quia cum sit imperfectibile, per vnionem non amittit suam totalitatem, & suppositalitatem. Ratio, cur accidens non possit immediatè vniri Verbo eſt, quia accidens eſt entis ens, ideoque immutat subiectum, cui immediatè vnitur; sed Verbum eſt immutabile; ergo nequit vniri immediatè cum accidente,

*D*emum cum opponitur, quia posset humanitas conseruari sine omni personalitate, nego. Ratio eſt, quia non poteſt esse quin vel sit vnita alieno supposito, vel diuisa ab illo, si eſt vnita alieno supposito, eo ipso habet personalitatem talis suppositi; si sit diuisa, habet diuisionem, per quam eſt per se: hoc autem eſt personalitas propria.

Ad 4. Concedo, quod suppositalitas creata sit modus, vel quasi modus naturæ.

ræ. Dum opponitur: entitas absoluta non poteſt conſtitui per modum, eo pacto, quo ſubſtantia non poteſt conſtitui per accidens; diſtinguo maiorem: entitas absoluta non potest constitui per modum alterius entis totalis, concedo; per modum non alterius entis totalis nego; concedo minorem, & nego consequentiam. Entitas absoluta; e.g. homo, equus, constitui non poſſunt per aliquid, quod ſit modus alterius entis, alioquin eo ipso non eſſent entitates absolutæ, sed eſſent entitas alterius entis; at potest constitui per modum suę naturæ totalis, vel partialis, e.g. per vnionem, quæ est modus materiæ, & formæ, & per suppoſitalitatem, quę est modus naturæ completæ; at per accidens non potest constitui substantia, quia accidens dat eſſe non substãtiale, sed accidentale.

Ad 5. Cõcedo, quod in suppoſitis creatis, addita quacunq; perfectione substãtiali, mutatur tota suppoſitalitas, vt docet Vasquez 3. parte disp. 32. & alij. Dum opponitur, ergo non remanet idem suppoſitum, & eadem persona; nego conſequentiã, vt ſit idẽ ſuppoſitũ, & eadẽ perſona nõ requiritur, vt ſit eadẽ Personalitas, sed ſufficit, vt ſit idem habens personalitatem; ſicut vt ſit idem sciens non requiritur, vt ſit eadem scientia, sed

sufficit, vt sit idem habens scientiam; sed remanet idem habens personalitatē; ergo remanet eadem persona, & idem suppositum hominis; & similiter remanet idem supppositum bruti, vel plantæ, quia remanet idem habens suppositalitatem. Sed explicandum, quid sit *habens personalitatem*. Dico, quod habens personalitatem est substantia radicalis, & principalis, essentialiter perfecta, quę vi sua adiungit sibi alia complementa suppositalia, & integralia; & illa continet. Est autem hęc in homine, animalibus, & plantis forma vnita partibus materiæ; in quibus consistit humidum radicale. Hæc enim habent vim adiungendi sibi per nutritionem, & augmentationem alias partes substantiales materię, per quas excrescat in debitam molem, & etiam adiungendi sibi complementa suppositalia, & personalia. Ideò forma vnita partibus materię, in quibus est humidum radicale, habet, & & continet alia complementa substantialia, tum integralia, tum suppositalia: id etiam est præc pnum rectum animalis, ac plantę, & dum remanet, etiamsi mutentur alia substantialia constitutiua, integralia, & suppositalia, remanēt idem suppositum, & eadem Persôna, vt dictum est Quæst. 5. In Christo tamen re-
ctum

ctum vnicum habens naturam humanam, est solum Verbum, quia Verbum est ens vndique perfectissimum, adiungens sibi propria vi humanitatem, & illam habens, & continens, non tanquam partem perfectiuam Verbi, sed tanquam partem purè perfectibilem à Verbo. Ex quo sequitur primo, quod Christus fuit ab æterno, & ante natiuitatem temporalem, iuxta illud: *antequam Abraham fieret, ego sum*, quia Persona Christi, quæ est vnicum rectum importatum nomine Christi, fuit ab æterno, licet Verbum non fuerit homo ab ęterno, sed factum sit homo in tempore, quo naturam humanam assumpsit. Secundo sequitur, quod si humanitas Christi non fuisset assumpta à Verbo, sed haberet propriam personalitatem; non esset eadem persona, & idem homo, qui est nunc, quia non solum non haberet eandem personalitaté, sed non esset idem habens personalitaté, nec idem rectum hominis. Nunc enim rectum huius hominis, qui est Christus, est Verbum Diuinum, tum non esset Verbum Diuinum. Concedo etiam argumento, quod mutata gutta vnica Oceani, mutatur eius suppositalitas, si tamen Oceanus est vnum suppositum per se, non autem aggregatum plurium suppositorũ. Suppositalitas tamen Oceani non est indiuisi-

diuisibilis, hoc est carens partibus, sed habet partes, licet illę partes sint ita connexę, vt vna non possit remanere sine altera ' vt contra Suarez docet Vasquez.

Ad 6. Ex eo quod non possit explicari vtrum subsistentia sit idem cum existentia, an modus existentiæ, an modus naturæ præcedens aliqualiter existentiã. Respondeo hęc explicando. Primo potest dici subsistentiam esse complementũ naturæ diuidens illam ab alio supposito, atque illam determinans ad esse separatum ab esse alterius suppositi. Cum enim humanitas mea e.g possit existere, vel in Verbo, vel separata à Verbo, sicut vnio cum Verbo determinaret illam ad existendum in Verbo, & fortasse ad existendum per existentiam Verbi, vt S. Thomas docet, sic personalitas mea separat meam humanitatem à Verbo, & quocunque alio supposito, & determinat ad existentiam separatam à Verbo, vel fortasse ad existentiam propriam debitã formæ. Probari potest hęc sententia, quia suppositum, & persona propriè existunt; ergo suppositum debet intelligi constitutum in ratione suppositi ante esse, & ante actualem existentiam; ergo id, quo suppositum constituitur in ratione suppositi, nec est ipsa existentia actualis

actualis , nec modus conſequens illam , vt Suarius , & Vaſquez volunt , ſed eſt motus naturæ exiſtentiam aliqualiter præcedens , vt docet Caietanus allegans S- Thomam .

Hinc reſpondetur ad ſecundum quæſitum an modus ſuppoſitalitatis habeat exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia totius . Reſpondeo negatiuè , cum ſit vltima determinatio ad habendam exiſtentiã ſeparatam .

Ad tertium quæſitum , an ſubſiſtentia importetur in recto , vel in obliquo, reſponſum eſt in ſolutione quinti argumẽti , quod ſaltem non eſt principale rectũ in ſuppoſitis creatis.

Secundo quia doctrina allata videtur ſupponere , quod humanitas Chriſti exiſtat per exiſtentiam Verbi . à quo hic prȩſcindo , & quia habet quaſdam alias difficultates , dici poteſt cum ſententia Suarij , & Vaſquez ſubſiſtentiam eſſe modum exiſtentiæ , quo determinatur ad hoc , vt ſit exiſtentia per ſe , & prima , non autem ſecunda ſupponens aliam exiſtentiam . Si enim mea humanitas aſſumeretur à Verbo , & haberet propriam exiſtentiam creatam , illa non eſſet exiſtentia per ſe , & prima, cum ſupponeret in Verbo aliam exiſtentiam priorem ; ergo ſeparatio à Verbo conſtituit exi-

ſtentiam creatam exiſtentiam per ſe, & primam, & conſtituit humanitatem primo, & per ſe exiſtentem. Hinc ſaluatur quo pacto ſubſiſtentia non ſit accidēs, cum eo ipſo quod ſit modus exiſtentię adueniat enti iam exiſtenti, quod eſt proprium accidentis. Dico, quod accidens eſt quod aduenit eſſe primo, & primæ exiſtentiæ iam conſtitutę in ratione primę exiſtentiæ; at quod aduenit exiſtentię indifferenti, vt ſit prima, vel non prima tanquam primitas determinans ad hoc, vt ſit prima, non eſt accidens, ſed modus ſubſtantialis, & ſubſtantia vt quo; ſed ſubſiſtentia eſt primitas qua exiſtentia humanitatis conſtituitur prima exiſtentia; ergo ſubſiſtentia non eſt accidens, ſed modus ſubſtantialis.

Hinc ad quæſitum, an ſubſiſtentia habeat propriam exiſtentiam, dico quod habet, vt quo, hoc eſt habet exiſtentiam, non qua ſuppoſitum exiſtat, ſed qua ſuppoſitum exiſtat exiſtentia prima, & per ſe, cum ſit ipſa primitas, qua exiſtentia ſuppoſiti conſtituitur formaliter prima.

Utrum

QVAESTIONES

De causis.

Ordo disputandorum.

POst tractationem de principijs intrinsecis, agendum est de causis etiam extrinsecis rerum naturalium. Primo disputamus de definitione causæ, & eius diuisione in quatuor genera. Secundo de causa materiali, & formali, earum effectibus, & causalitate. Tertio de causa finali, eius causalitate, & effectibus. Quarto de causis fortuitis, & casualibus. Quinto de causa ideali. Sexto aggredientes tractationem de causa efficiente disputamus de virtute causatiua, efficiẽtis. Septimo de actione, quę est causalitas efficientis, & eius distinctione ab agente, termino &c. Octauo de subiecto receptiuo actionis, atque eius distinctione à passione. Nono de prioritate naturæ, & vtrum consistat in actione. His pertractatis, reijcientes in libros de generatione cæteras quæstiones

de causa efficiente, & de conditionibus requisitis ad agendum, comparamus causas inter se, & decimoquærimus an duæ causę possint se mutuo causare. Vndecimo an possint ad eundem effectum concurrere plures causæ totales, & concludimus tractationem de causis.

Vtrum conuenienter assignentur quatuor genera causarum.
Quæstio XIV.

VIdetur, quod non 1. quia non conuenienter assignantur in aliqua sciētia ea quorum consideratio non spectat ad talem scientiam, sed consideratio causarum non spectat ad Physicam, nec ad Mathematicam; sed ad Metaphysicam; ergo non conuenienter causæ assignantur in Physica, sicut nec in Mathematica, sed sunt assignandę in Metaphysica. Minor probatur; quia consideratio rationum communium, quę possunt inueniri extra materiam sensibilem, non spectat ad Physicam, & Mathematicam, sed ad Metaphysicam; sed ratio causæ potest inueniri etiam extra materiam sensibilem, cum Deus; & Angeli sint causę; ergo &c.

2. Sal-

2. Saltem ad *Physicam* non spectat; consideratio omnium causarum, sed solius causæ materialis, ideoque antiqui Philosophi omnia reduxerunt ad causam materialem, dicentes cunctos naturales effectus oriri ex necessitate materię, vt ait Aristoteles 2. Phys. tex. 74. *Si aliam causam dixerint hic quidam concordiam, & discordiam ille mentem tangunt illam duntaxat; deinde valere sinunt.*

3. Inconuenienter assignantur species causarum non pręmissa definitione communi omnibus causis; sed nullam communem definitionem præmisit Aristoteles; ergo inconuenienter assignauit genera causarum.

4 Ex assignatis causis, materiali nimirum, formali, efficiente, & finali, sola causa efficiens est vera, & propria causa, e.g. causa statuæ marmoreæ est artifex, marmor autem, & figura sunt quidem materia, & forma statuæ, sed non sunt causæ statuæ, nisi valdè impropriè, & æquiuocè, pręsertim; quia vera causa debet totaliter distingui à suo effectu; sed marmor, & figura & vniuersim materia, & forma non distinguitur totaliter à suo effectu cum sint partes ipsius; ergo marmor, & figura, materia, & forma non sunt veræ causæ, & propriæ compositi; finis etiam, propter

quem

quem efficitur statua, non est causa statuæ; causa enim est principium; sed finis non est principium; ergo non est causa. Rursus causa non potest poni post effectum; sed cum aliquis efficit statuam ex fine lucri, lucrum ponitur post statuam; ergo lucrum licet sit finis non est causa statuæ.

5. Sunt aliquæ causæ, quę non reducuntur ad vllam ex quatuor assignatis. Fortuna enim est causa rerum fortuitarum: casus est causa rerum casualium; idea etiam est causa rerum artificialiũ; sed istæ causę non reducuntur ad vllam ex 4. assignatis; ergo insufficiens est assignatio 4. causarum.

Respondeo optimam esse diuisionem causę in quatuor genera, materialem, formalem, efficientem, & finalem, quarum duæ primæ sunt intrinsecè, quia causant per hoc, quod intrinsecè componant effectum; duę posteriores sunt extrinsecę, quia non causant per hoc quod intrinsecè componant effectum. Causa materialis est ex qua fit aliquid, vt inſit; hoc est ex qua aliquid fit, & intrinsecè componitur tamquam ex aliquo determinabili. Causa formalis est per quam aliquid intrinsecè constituitur, tamquam per actum determinatiuum: e.g. marmor est causa materialis statuæ, figura

gura est causa formalis, quia statua componitur intrinsecè ex marmore, tamquam ex aliquo per figuram determinabili ad esse statuę, & ex figura tamquam ex actu determinatiuo. Causa efficiens est principium vnde est mutatio: e.g. artifex est causa efficiens statuæ, quia ab artifice marmor mutatur in statuam. Causa finalis est bonum cuius gratia res fit: e.g. si statua fiat propter lucrum, causa finalis statuæ est lucrum.

Quod bona sit hæc assignatio causarum probat 1. Aristoteles 2. Physicorum t.31. inductione. Nam omnia quæ cōmuniter dicuntur causę reducuntur ad aliquod ex quatuor generibus assignatis; ergo bona, & adęquata est assignatio quatuor generum. Probat antecedens: nam ad causam materialem reducuntur elementa, seu litterę, quæ dicuntur causæ syllabarum; materia artefactorū, quę dicitur eorum causa; quatuor corpora simplicia, terra nimirum, aqua &c, quę dicuntur causæ, & elementa corporum mixtorum; partes, quæ dicuntur causa totius; suppositiones, aut pręmissæ sumptæ secundum terminos, vt explicat Sanctus Thomas, quę dicuntur causæ conclusionis, in quantum conclusio constat ex terminis præmissarum. Ad causam formalem reducitur quidditas,

seu

ſeu forma totius, totalitas, ipſa compoſitio, & forma partis, e. g. cauſa formalis hominis eſt humanitas, quæ eſt quidditas, & forma totius; anima, quę eſt forma partis; totalitas etiam, ſeu ſuppoſitalitas eſt cauſa formalis ſuppoſiti, & ipſa compoſitio animę cum corpore, ſiue vnio reduci poteſt ad cauſam formalem. Compoſitio verò partium eſt cauſa formalis præſertim artificiatorum, e.g. cauſa formalis, & forma domus eſt compoſitio, & diſpoſitio lapidum, lignorum, &c. Ad efficientem reducitur ſemen quod e. g. eſt cauſa efficiens lactucæ; medicus qui eſt cauſa efficiens ſanitatis; conſiliarius, qui eſt cauſa efficiens eius ad quod conſilium dat, & alia ſimilia. Cauſa finalis eſt bonum, cuius gratia cętera fiunt, quod ſolet eſſe optimum, ac melius ijs, quę fiunt gratia talis boni, e.g. ſanitas eſt melior omnibus ijs, quę fiunt ad ſanitatem conſequendam Confirmat Ariſtoteles 1. Met. tex. 10. & 50. bonam eſſe diuiſionem aſſignatam cauſarum, quia antiqui cauſas quærentes nunquam potuerunt tangere cauſam, quę non reducatur ad aliquam ex quatuor; ergo omnes reducuntur ad quatuor aſſignatas.

Secundo probat Ariſtoteles bonitatem diuiſionis ratione. Tot enim ſunt cauſæ, quot ſunt ea per quæ reſpondetur

ad

ad quęstionem, qua quæritur propter quid est res? hęc enim manifestè est quęstio causę; sed ad quęstionem, propter quid respondetur per aliquam solum ex quatuor assignatis; ergo causę sunt solum 4. assignatæ. Probatur minor, quia vel quæritur propter quid rerum immobilium, seu sint immobiles à parte rei, vt Deus; seu sint immobiles per solam abstractionem intellectus, vt res mathematicę, & tunc respondetur solum per definitionem, & quidditatem, quæ est causa formalis, vel quasi formalis; e. g. si quæratur in Mathematica, cur aliquis angulus sit rectus? respondetur per definitionem anguli recti dicendo, *quia hic angulus constituitur ex linea recta cadente super aliam rectam, & faciente duos angulos æquales ex vtraque parte.* Similiter si quęratur cur Deo coueniat hoc vel illud prędicatum? respondetur per Diuinam essentiam, quę est causa quasi formalis. Si verò quæratur causa mobilium in quantum sunt mobilia, hoc est in quantum procedunt ex potentia in actum, tum ultra causam formalem requiruntur aliæ tres causæ; materialis nimirum, quę est potentia mobilis; formalis, quæ est actus; & quia non potest aliquid ex potentia reduci in actum, nisi ab aliquo ente in actu, quod sit principium, motus; e g.

quod

quod potest esse, & non esse, non potest transire à non esse ad esse, nisi per actionem alicuius effectus, à quo fiat, ideò prima causa mobilium est causa efficiēs; & quia actio agentis sicut procedit à principio determinato, ità tendit ad aliquem finem determinatum, ideò datur quarta causa mobilium, quæ est finis, propter quem efficiens operatur, & mouet. Cum ergo queritur propter quid rerum naturalium, responderi potest per omnes causas: e. g. si queratur, cur homo sit mortalis, & corruptibilis respōderi potest per causam materialem dicendo *quia compositus est est ex contrarijs, calidis nimirum, ac frigidis*; &c. Si queratur cur bellum est gestum? responderi potest per primum mouens dicendo, quia *iniuriæ illatæ concitauerunt animos ad vindictam*, vel per causam finalem dicendo, *bellum est gestum ad imperium propagandum*.

Ad 1. Transeat maior, & nego minorem, quod nimirum consideratio causarum spectet ad solam Metaphysicam. Vt enim Aristoteles docet tex septimo, & sequentibus, Physica contēplatur omnes causas, & per omnes demonstrat. Quare tum Metaphysica, tum Physica considerat omnes causas, sed modo diuerso. Metaphysica considerat causas in quantum ratio-

rationes communes causarum possunt etiam inueniri in entibus separatis à materia sensibili, e. g. considerat causam materialem, in quantum subiectum etiam spirituale, vt Angelus est causa sustentatiua, & quasi materialis suorum accidentium, idemque dic de reliquis causis. Physica verò considerat causas magis limitatè, in quantum sunt causæ naturales effectuum naturalium, At Mathematica cum abstrahat à motu, contemplatur præcipuè causam formalem, hoc est definitionem, ideoque in Mathematica non est agendum de causis, sed sufficit premittere definitiones, per quas omnia demonstrantur. Non est tamen negandum Mathematicam aliqualiter demonstrare per causam materialem, vt cum ex æqualitate partium, quæ sunt causæ quasi materiales totius, demonstrat totum esse æquale alteri toti. Præfertim verò mathematica non demonstrat per causam finalem, & rationem boni. Si enim sicut Phifica assignat rationem cur dentes anteriores sint acuti, maxillares lati, per causam finalem, quia sic est melius ad cibum incidendum per dentes anteriores, conterendum per max illares, ita mathematicus rationem daret cur triangulum habeat tres angulos æquales duobus rectis, quià sic est melius, esset plane deridendus.

dendus. Hinc, vt Aristoteles refert tertio Met. tex. 3. Aristippus quidam Sophista contemnebat demonstrationes ex fine, & ex eo, quod sic est melius; dicebat enim tales rationes assignari in artibus etiam illiberalibus, & vilissimis. Sutor e. g. dat rationem cur crepida sit ita facta, quià sic est melius ad finem calceandi, idemque dic de alijs artificibus. At in Mathematicis, quę sunt scientiæ præstantissimæ nunquam afferuntur tales rationes. Sed exemplum artificum ostendit rationes ex fine esse pręstantissimas. Ideo enim artifices ductu naturæ afferunt rationem operum suorum ex fine, quia operantur ex fine; sed etiam natura operatur ex fine; ergo etiam ratio rerum naturalium afferri debet ex fine. Imò etiam rerum mathematicarum ratio afferri potest ex fine non à Mathematica, sed à Metaphysica. Prima enim ratio, cur res Mathematicæ sint tales, est, quià tales debebant esse ad suum finem representandi diuinas Perfectiones.

Ad 2. Iam est ostensum ad Physicam non spectare solam considerationem causæ materialis, sed etiam aliarum. Antiqui quia considerarunt ex professo solam causam materialem, ideò valdè imperfectè Physicam tradiderunt.

Ad 3. ex eo quod Aristoteles non præ-

præmiserit definitionem cōmunem causæ, primo dico, quod sicut non omnium quęrenda est demonstratio: prima enim principia sunt per se nota, ideoque demonstratione non indigent; ità non omnium quærenda est definitio: quædam enim rationes e. g. ratio entis, vt dictum est in logica, sunt primo notæ, ideoque definitione non indigent. Iam ratio communis causæ est primo omnibus nota; & probatur, quia etiam pueri sunt curiosi; curiositas autem est appetitus sciendi causam, & dicitur curiositas, quia quærit *cur*; sed non possent appetere scire causam, nisi haberent notionem causæ; ergo etiam pueris naturaliter est ingenita notio causæ. Secundo omnis quæstio, est quæstio causæ, vt dictum est in logica qu. prima; ergo ante omnem quæstionem] est naturaliter omnibus indita notio causæ, ac proinde qui non perciperet quid sit causa, non posset mouere vllam quæstionem, adeoque neque posset mouere hanc questionem *quid est causa*, cum per illam quæratur definitio, quę est causa formalis.

Secundo respondeo Aristotelem hoc lib. 1. tex. 68. supponere descriptionem causæ in communi esse hanc. *Causa est quam quærimus per quæstionem, quam omnes naturaliter mouemus, cum dicimus propter quid est res?* Ter-

Tertio dico asserri posse aliquam accuratiorem definitionem causæ in communi, quæ habeat tres conditiones. Prima est, vt conueniat omnibus 4. generibus causarum; secunda, vt non conueniat puris conditionibus, qualis est propinquitas agentis ad passum; tertia est, vt distinguat causas à principio purè productiuo, quod non est causa; e. g. *Pater* æternus est principium productiuum Filij, & tamen non est causa Filij, alioquin Filius esset effectus *Patris*, & esset factus à Patre, quod est contrà Symbolum fidei, in quo confitemur Filium esse genitum, non factum, idem dic de Spiritu Sancto, qui est productus, & procedens, sed non est causatus, neque factus à Patre, & Filio. Et licet Ss. PP. Græci aliquando vocent Patrem æternum causam Filij; tamen vocabulum græcum habet ampliorem significationem, quam nomen latinum causæ, ideoque iuxta significationem nominis latini Pater non potest dici causa Filij.

Quarto dico descriptionem causæ in communi habentem tres conditiones dictas esse hanc. *Causa est, quæ saltem sustentatiuè concurrit ad dandum esse alteri, quod nec identicè quidem est à se.* Hæc descriptio habet primam conditionem, vt conueniat omnibus quatuor generibus causa-

causarum. Primo conuenit duabus causis extrinsecis, efficienti, & finali; nam de efficiente, patet, quod dum producit effectum dat illi esse; finalis etiam dum mouet efficientem, dat esse suo modo effectui, & est id propter quod effectus accipit esse. Duæ etiam causę intrinsecæ materialis, & formalis dant effectui, seu composito esse, dum dant illi seipsas, & suum esse; & per hoc differunt à causis extrinsecis, quę non dant effectui seipsas, & suum esse, sed solum dant aliud esse. Causa materialis extrinseca sustentatiuè concurrit ad dandum esse formæ, quam recipit. Habet etiam hæc descriptio secundam conditionem, vt non conueniat conditionibus, quia conditiones non dant esse effectui, sed purè determinant causas, vt effectui dent esse; e. g. propinquitas ignis non dat esse calefactioni, sed purè determinat ignem ad calefaciendum, Demum habet tertiam conditionem, vt non conueniat principio purè productiuo. Pater enim æternus licet Filio det esse, ac Deitatem, tamen dat esse Filio, qui identicè est à se, cum sit idem cum Deitate, quæ est à se, imo est ipsum esse à se.

Hinc patet primo, quę sit imperfectio effectus, propter quam Filius æternus non est effectus, *Est enim nec identice esse*

à se.

à se. Secundo patet, quid sit dependere & cur Filius non dependet à Patre æterno. Dependere est *quod vnum ita accipiat esse ab altero, vt nec identicè sit à se, nec sibi sufficiat ad essendum*. Tertio patet quid sit indigere, & cur Flius non indigeat patre, licet non possit esse sine Patre. *Indigere est non esse sibi sufficientem ad essendum*; sed Filius est Deitas, quę est sibi sufficientissima ad essendum, imo est ipsa sufficientia ad essendum toti Trinitati; ergo Filius non indiget, sed est purè connexus cum Patre. Quarto patet, cur non sit admittenda definitio causæ, qua dicitur *causa esse quæ dat esse rei contingenti*. Dico quod saltem hęc definitio non est conformis doctrinæ Aristotelis. Putauit enim Aristoteles Mundum Cęlum, & Inteligentias esse entia non contingentia, sed necessaria, & æterna, & tamen causata à Deo primo motore; ergo putauit ad rationem causæ non requiri, vt det esse rei contingenti: adhuc tamen agnouit causam dare esse alteri, quod non sibi sufficit ad essendum, nec est à se, sed indiget causa, & dependet à causa; ergo Aristotiles admisisset nostram definitionem. Quinto demum patet cur in sola Trinitate dari possit aliquod esse productum simul, & incausatum, genitum, & non factum. Ratio est

est quia in sola Trinitate aliquid productum potest identicè esse à se,& sibi sufficere ad essendum.

Ad 4. Nego solum primum mouens, seu causam efficientem esse verè, & propriè causam. Nam etiam materia, & forma sunt verè, & propriè causę intrinsecę compositi, & vtraque compositum causat, in quantum dat suum esse composito, quod nec identicè est à se, nec sibi sufficit ad essendum, vt explicatum est in responsione ad tertium. Nego etiam ad veras intrinsecas causas requiri, vt totaliter distinguantur ab effectu, cum sufficiat, vt distinguantur partialiter,& inadequatè, ita vt effectus causatus addat aliquid supra entitatem causę. Finis etiam est vera, & propria causa, tum quia per finem respondetur quæstioni propter quid, tum quia finis suo modo dat esse effectui, in quantum est id, propter quod ponitur effectus. Dum opponitur: causa est principium; finis non est principium: ergo finis non est causa: distinguo minorem, finis in quantum est in seipso non est principium, concedo minorem; finis in quantum est intentionaliter in cognitione, & intentione non est principipinm, nego minorem, & nego consequentiam. Sanitas in quantum est in seipsa non est princi-

tate, & vnitur intrinsecè humanitati, & tamen non est causa materialis, neque formalis talis aggregati, cum vtraque causa dicat imperfectionem; ergo non sufficit ad causalitatem istarum causarum inexistentia vel vnio.

2. Videtur, quod non conuenienter explicetur, vtrum materia sit causa formarum, quas recipit, & vtrum vniuersim omne receptiuum sit causa materialis recepti. Si enim dicatur, quod omne recipiens est causa materialis recepti, sequitur, quod materia, quæ recipit animam rationalem, sit causa materialis, & passiua animæ rationalis, quod est absurdum; eo enim ipso anima rationalis propriè non crearetur. Illud enim propriè non creatur, quod producitur, concurrente causa materiali. Rursus sequitur, quod substantiæ spirituales sint causæ materiales accidentium: essentia sit causa materialis existentiæ, quam recipit, quę videntur absurda. Si vero dicatur, quod materia non est causa materialis vllius formæ substantialis, sed pura conditio, vt docet Lessius lib. 3 de sum bono num. 9. & sequentibus, sequitur, quod omnes formæ substantiales creantur, non minus, quam anima rationalis Ideò enim anima rationalis creatur, quia licet recipiatur in materia, tamen materia non influit

influit in animā, sed purè illam recipit, ac solum se habet, vt conditio; sed materia non influit in animam equi, sed purè illam recipit, & se habet, vt mera conditio; ergo etiam anima equi, & cęterę formę materiales creantur. Si tertio dicatur subiectum, quod recipit sustentando, esse causam materialem recepti, quod verò recipit non sustentando, esse puram conditionem, ideoque materiam non esse causam, sed puram conditionem respectu animæ rationalis, quia purè illam recipit, & non sustentat; è conuerso esse causam aliarum formarum, quia illas sustentat; contra est, primo, quia non explicatur, quid sit sustentare, quid purè recipere. Secundo contra est, quia sustentare est exercere aliquam virtutem, & influentiam; sed virtus, & influentia non exercetur nisi per existentiam; ergo materia sustentat formam substantialem per existentiam, ac proinde habet propriam existentiam. Tertio contra est, quia si materia prima haberet virtutem influendi in omnes formas substantiales materiales, esset valdè perfecta, cum virtus influendi in formas innumeras perfectissimas magnam indicet perfectionem, vt patet in Cęlo, quod censetur valde perfectum, quia virtutem habet influendi in omnia inferiora.

dendus. Hinc, vt Aristoteles refert tertio Met. tex. 3. Aristippus quidam Sophista contemnebat demonstrationes ex fine, & ex eo, quod sic est melius; dicebat enim tales rationes assignari in artibus etiam illiberalibus, & vilissimis. Sutor e. g. dat rationem cur crepida sit ita facta, quià sic est melius ad finem calceandi, idemque dic de alijs artificibus. At in Mathematicis, quę sunt scientiæ præstantissimæ nunquam afferuntur tales rationes. Sed exemplum artificum ostendit rationes ex fine esse pręstantissimas. Ideo enim artifices ductu naturæ afferunt rationem operum suorum ex fine, quia operantur ex fine; sed etiam natura operatur ex fine; ergò etiam ratio rerum naturalium afferri debet ex fine. Imò etiam rerum mathematicarum ratio afferri potest ex fine non à Mathematica, sed à Metaphysica. Prima enim ratio, cur res Mathematicæ sint tales, est, quià tales debebant esse ad suum finem representandi diuinas Perfectiones.

Ad 2. Iam est ostensum ad Physicam non spectare solam considerationem causæ materialis, sed etiam aliarum. Antiqui quia considerarunt ex professo solam causam materialem, ideò valdè imperfectè Physicam tradiderunt.

Ad 3. ex eo quod Aristoteles non

præ-

præmiserit definitionem cōmunem causæ, primo dico, quod sicut non omnium quęrenda est demonstratio: prima enim principia sunt per se nota, ideoque demonstratione non indigent; ità non omnium quærenda est definitio: quædam enim rationes e. g. ratio entis, vt dictum est in logica, sunt primo notæ, ideoque definitione non indigent. Iam ratio communis causæ est primo omnibus nota; & probatur, quia etiam pueri sunt curiosi; curiositas autem est appetitus sciendi causam, & dicitur curiositas, quia quærit *cur*; sed non possent appetere scire causam, nisi haberent notionem causæ; ergo etiam pueris naturaliter est ingenita notio causæ. Secundo omnis quæstio, est quæstio causæ, vt dictum est logica qu. prima; ergo ante omnem quæstionem] est naturaliter omnibus innata notio causæ, ac proinde qui non perciperet quid sit causa, non posset mouere vllam quæstionem, adeoque neque posset mouere hanc questionem *quid est causa,* cum per illam quæratur definitio, quę est causa formalis.

Secundo respondeo Aristotelem hoc ... 1. tex. 68. supponere descriptionem causæ in communi esse hanc. *Causa est ... quam quærimus per quæstionem, quam omnes naturaliter mouemus, cum dicimus propter ... quid est res?* Ter-

Tertio dico asserri posse aliquam accuratiorem definitionem causæ in communi, quæ habeat tres conditiones. Prima est, vt conueniat omnibus 4. generibus causarum; secunda, vt non conueniat puris conditionibus, qualis est propinquitas agentis ad passum; tertia est, vt distinguat causas à principio purè productiuo, quod non est causa; e. g. *Pater* æternus est principium productiuum Filij, & tamen non est causa Filij, alioquin Filius esset effectus *Patris*, & esset factus à Patre, quod est contrà Symbolum fidei, in quo confitemur Filium esse genitum, non factum, idem dic de Spiritu Sancto, qui est productus, & procedens, sed non est causatus, neque factus à Patre, & Filio. Et licet Ss. PP. Græci aliquando vocent Patrem æternum causam Filij; tamen vocabulum græcum habet ampliorem significationem, quam nomen latinum causæ, ideoque iuxta significationem nominis latini Pater non potest dici causa Filij.

Quarto dico descriptionem causæ in communi habentem tres conditiones dictas esse hanc. *Causa est, quæ saltem sustentatiuè concurrit ad dandum esse alteri, quod nec identicè quidem est à se*. Hæc descriptio habet primam conditionem, vt conueniat omnibus quatuor generibus causa-

causarum. Primo conuenit duabus causis extrinsecis, efficienti, & finali; nam de efficiente, patet, quod dum producit effectum dat illi esse; finalis etiam dum mouet efficientem, dat esse suo modo effectui, & est id propter quod effectus accipit esse. Duæ etiam causę intrinsecæ materialis, & formalis dant effectui, en composito esse, dum dant illi seipsas, & suum esse; & per hoc differunt à causis extrinsecis, quę non dant effectui seipsas,& suum esse, sed solum dant aliud esse. Causa materialis extrinseca sustentatiuè concurrit ad dandum esse formæ, quam recipit. Habet etiam hæc descritio secundam conditionem, vt non conueniat conditionibus, quia conditiones non dant esse effectui, sed purè determinant causas, vt effectui dent esse; v. g. propinquitas ignis non dat esse calefactioni, sed purè determinat ignem ad calefaciendum, Demum habet tertiam conditionem, vt non conueniat principio purè productiuo. *Pater* enim æternus licet Filio det esse, ac Deitatem, tamen dat esse Filio, qui identicè est à se, cum sit idem cum Deitate, quæ est à se, quo est ipsum esse à se.

Hinc patet primo, quę sit imperfectio effectus, propter quam Filius æternus non est effectus, *Est enim nec identice esse à se.*

à se. Secundo patet, quid sit dependere & cur Filius non dependet à Patre æterno. Dependere est *quod vnum ita accipiat esse ab altero, vt nec identicè sit à se, nec sibi sufficiat ad essendum*. Tertio patet quid sit indigere, & cur Flius non indigeat patre, licet non possit esse sine Patre. *Indigere est non esse sibi sufficientem ad essendum*; sed Filius est Deitas, quę est sibi sufficientissima ad essendum, imo est ipsa sufficientia ad essendum toti Trinitati; ergo Filius non indiget, sed est purè connexus cum Patre. Quarto patet, cur non sit admittenda definitio causæ, qua dicitur *causa esse quæ dat esse rei contingenti*. Dico quod saltem hęc definitio non est conformis doctrinæ Aristotelis. Putauit enim Aristoteles Mundum Cęlum, & Inteligentias esse entia non contingentia, sed necessaria, & æterna, & tamen causata à Deo primo motore; ergo putauit ad rationem causæ non requiri, vt det esse rei contingenti: adhuc tamen agnouit causam dare ęsse alteri, quod non sibi sufficit ad essendum, nec est à se, sed indiget causa, & dependet à causa; ergo Aristotiles admisisset nostram definitionem. Quinto denum patet cur in sola Trinitate dar possit aliquod esse productum simul, & incausatum, genitum, & non factum. Ratio est

est quia in sola Trinitate aliquid productum potest identicè esse à se,& sibi sufficere ad essendum.

Ad 4. Nego solum primum mouens, seu causam efficientem esse verè, & propriè causam. Nam etiam materia, & forma sunt verè, & propriè causę intrinsecę compositi, & vtraque compositum causat, in quantum dat suum esse composito, quod nec identicè est à se, nec sibi sufficit ad essendum, vt explicatum est in responsione ad tertium. Nego etiam ad veras intrinsecas causas requiri, vt totaliter distinguantur ab effectu, cum sufficiat, vt distinguantur partialiter,& inadequatè, ita vt effectus causatus addat aliquid supra entitatem causę. Finis etiam est vera, & propria causa, tum quia per finem respondetur quæstioni propter quid, tum quia finis suo modo dat esse effectui, in quantum est id, propter quod ponitur effectus. Dum opponitur: causa est principium; finis non est principium: ergo finis non est causa: distinguo minorem, finis in quantum est in seipso non est principium, concedo minorem; finis in quantum est intentionaliter in cognitione, & intentione non est principinm, nego minorem, & nego consequentiam. Sanitas in quantum est in seipsa non est princi-

pium mouens ad se curandum, sed mouet ad cessandum à curatione, ideoque est finis curationis, & operationis medicatiuæ. At sanitas in quantum cognoscitur ab ægroto vt recuperabilis, ideoque est in cognitione ęgroti, est principium mouens ęgrotum ad amorem sanitatis, & ad intentionem, qua vult recuperare sanitatem, & in quantum est in tali intentione est principium mouens ad ponenda media, quibus sanitatem recuperet, & ad se curandum, vt melius explicabitur inferius. Hinc respondeo ad alteram instantiam: causa non potest poni post effectum; finis ponitur post media; ergo non est causa mediorum: distinguo maiorem; causa non potest poni post effectum secundum illud esse, per quod causat, concedo maiorem; secundum illud esse, per quod non causat, sed causatur, nego maiorem; & distinguo minorem: finis ponitur post media secundum esse, quod habet in se, per quod non causat, concedo minorem; ponitur post media secundum esse intentionale, per quod causat, nego minorem, & nego consequentiam. Sanitas non causat curationem secundum esse reale, quod habet in seipsa, sed secundum esse intentionale, quod habet in intentione, & cognitione, secundum quod esse præcedit

esse-

effectum, quia prius cognoscimus, & intendimus finem, deinde operamur propter finem.

Ad 5. Ex eo, quod fortuna, casus, & ideæ sint causæ, & non reducantur ad assignata genera respondeo omnia hæc reduci ad genus causæ efficientis, aut formalis, vt patebit inferius.

QVAESTIO XV.

Vtrum conuenienter assignentur causalitas, & effectus causæ materialis, & formalis.

PRimo videtur, quod non conuenienter explicetur causalitas per quam duę causę intrinsecæ, materialis nimirum, & formalis causant intrinsecè compositum. Vel enim causalitas per quam materia, & forma, e. g. corpus, & anima causant hominem est inexistentia, per quam existunt in homine, vt quidam dixerunt, vel est vnio, qua vniuntur ad inuicem, vt docet Suar. disp. 15. Met. sect. 9. neutrum dici potest: nam Verbum Diuinum, inexistit aggregato ex Verbo, & humani-

tate, & vnitur intrinſecè humanitati, & tamen non eſt cauſa materialis, neque formalis talis aggregati, cum vtraque cauſa dicat imperfectionem; ergo non ſufficit ad cauſalitatem iſtarum cauſarum inexiſtentia vel vnio.

2. Videtur, quod non conuenienter explicetur, vtrum materia ſit cauſa formarum, quas recipit, & vtrum vniuerſim omne receptiuum ſit cauſa materialis recepti. Si enim dicatur, quod omne recipiens eſt cauſa materialis recepti, ſequitur, quod materia, quæ recipit animam rationalem, ſit cauſa materialis, & paſſiua animæ rationalis, quod eſt abſurdum; eo enim ipſo anima rationalis propriè non crearetur. *Illud* enim propriè non creatur, quod producitur, concurrente cauſa materiali. Rurſus ſequitur, quod ſubſtantiæ ſpirituales ſint cauſæ materiales accidentium: eſſentia ſit cauſa materialis exiſtentiæ, quam recipit, quę videntur abſurda. Si vero dicatur, quod materia non eſt cauſa materialis vllius formæ ſubſtantialis, ſed pura conditio, vt docet Leſſius lib. 3 de ſum. bono num. 9. & ſequentibus, ſequitur, quod omnes formæ ſubſtantiales creantur, non minus, quam anima rationalis Ideò enim anima rationalis creatur, quia licet recipiatur in materia, tamen materia non influit

influit in animā, sed purè illam recipit, ac solum se habet, vt conditio; sed materia non influit in animam equi, sed purè illam recipit, & se habet, vt mera conditio; ergo etiam anima equi, & cęterę formę materiales creantur. Si tertio dicatur subiectum, quod recipit sustentando, esse causam materialem recepti, quod verò recipit non sustentando, esse puram conditionem, ideoque materiam non esse causam, sed puram conditionem respectu animæ rationalis, quia purè illam recipit, & non sustentat; è conuerso esse causam aliarum formarum, quia illas sustentat; contra est, primo, quia non explicatur, quid sit sustentare, quid purè recipere. Secundo contra est, quia sustentare est exercere aliquam virtutem, & influentiam; sed virtus, & influentia non exercetur nisi per existentiam; ergo materia sustentat formam substantialem per existentiam, ac proinde habet propriam existentiam. Tertio contra est, quia si materia prima haberet virtutem influendi in omnes formas substantiales materiales, esset valdè perfecta, cum virtus influendi in formas innumeras perfectissimas magnam indicet perfectionem, vt patet in Cęlo, quod censetur valde perfectum, quia virtutem habet influendi in omnia inferiora.

Neque dicas materiam influere per influxum purè passiuum, qui paruam indicat, perfectionem. Nam primo debet explicari quid sit influxus purè passiuus, & quomodo differat ab actiuo. Secundo debet reddi ratio, propter quam solus influxus actiuus indicet magnam perfectionem, non autem passiuus.

3. Videtur, quod neque conuenienter explicetur vtrum forma presertim substantialis sit causa materiæ. Ex vna enim parte videtur, quod sit causa: cum enim dat esse materiæ eo ipso causat materiam. Ex alia parte videtur impossibile, quod sit causa: alioqnin materia, & forma se mutuo causarent. Rursus non explicatur an, & quomodo causa formalis distinguatur à suo effectu formali; ergo causalitas, & effectus causę materialis, ac formalis non conuenienter explicantur.

Respondeo in hac questione tria esse explicanda. *Primo* est explicanda causalitas, qua materia, & forma causant, & constituuunt intrinsecè compositum, & vniuersim partes, & partialia constitutiua causant totum. Secundo explicanda est causalitas, qua materia causat formas, & vniuersim subiectum recipiens causat receptum, vel saltem est conditio ad illud. Tertio est explicanda causalitas,

ſalitas, qua formę cauſant materiam, & vniuerſim quod recipitur, & informat cauſat ſubiectum recipiens.

Quo ad primum, dico primo cauſalitas, qua materia, & forma cauſant compoſitum, & vniuerſim partes, & conſtitutiua partialia cauſant totum, eſt communicatio, per quam dant ſeipſa, & ſuum eſſe partiale compoſito, ac toti, ſeu talis communicatio includat vnionem diſtinctam, ſeu non, e. g. cauſalitas, qua materia, & anima rationalis cauſant hominem, eſt communicatio, qua dant homini ſeipſas, & ſuum eſſe partiale, perficiendo ſe inuicem. Similiter etiam hoc genus cauſalitatis exercet ſuppoſitalitas, ſeu perſonalitas hominis, & eiuſdem exiſtentia, quià etiam hęc dant toti homini ſeipſas, & ſuum eſſe partiale, ideoque omnia partialia conſtitutiua poſſunt aliqualiter dici cauſę intrinſecę totius, quod ex illis conſtituitur.

Secundo: dico cauſalitas propria materię, & ſubiecti eſt communicatio qua materia dat compoſito ſeipſam tanquam ſubiectum, & tanquam potentiam receptiuam, perfectibilem, ac determinabilem ad eſſe ſpecificum ſubſtantiale, vel accidentale: e conuerſo cauſalitas propria formę eſt communicatio, per quam dat compoſito ſeipſam tanquam partem,

& actum receptum, perfectiuum, ac determinatiuum, ad esse specificum substantiale, vel accidentale. Causalitas aliorum, quę propriè neque sunt materia, neque forma, est communicatio, qua dant seipsa tanquam complementa suppositi, vel tanquam vltimas actualitates & reducuntur ad causas formales. Exēplis res explicabitur. Causalitas, qua materia causat hominem, est communicatio, qua materia dat homini seipsam tanquam potentiam pefectibilem, ac determinabilem ad esse specificum hominis. E conuerso causalitas, qua forma & anima rationalis causat hominem, est communicatio, qua dat homini seipsam tanquam partem, & actum determinatiuum ad esse specificum hominis. Personalitas etiam dat seipsam homini tanquam complementum suppositi; existentia dat seipsam homini, tanquam actualitatem, qua homo actu existit, ideoque reducuntur ad causas formales, licet propriè non sint causę formales, quia non sunt formę determinantes ad esse specificum, sed sunt quasi causę formales. Quod exemplificauimus in materia prima, & in forma substantiali potest etiam exemplificari in materia secunda, & forma accidentali, e. g. subiectum est causa materialis albi; albedo, quæ est forma est causa formalis albi. Quo

Quo ad ad secundum dico: subiectum recipiens tum est causa materialis, ac passiua recepti, cum recipit illud sustentando in esse; cum verò recipit non sustentando, sed est purum requisitum ad hoc, vt receptum primo ponatur, ac sit, est mera conditio.

Probatur, & explicatur ex descriptione causę actiuæ, seu efficientis, & causę passinæ, siue subiectiuæ, & materialis. Causa actiua est, à qua aliquid dependet tanquam à principio continēte actu perfectionem illius, & potente illam communicare, atque effundere: Causa passiua est, à qua aliquid dependet tanquam à subiecto potente recipere perfectionem illius, & illam recipiente. e.g. cum aqua calefit ab igne ignis est causa actiua caloris, quiā calor aquæ dependet ab igne, tanquam à principio habente actu perfectionem caloris, & potente illam communicare, atque effundere calefaciendo: aqua è conuerso est causa passiua caloris, quià calor aquæ dependet ab aqua tanquam à subiecto non continente perfectionem caloris actu, sed potente recipere calorem ab agente, & illum recipiente.

Causalitas actiua, quæ vocatur actio, & productio, est dependentia, qua aliquid dependet ab altero tanquam a prin-

cipio continente actu perfectionem illius, & potente ipsam effundere, ac communicare. Causalitas passiua, quæ vocatur sustentatio, est dependentia, per quam aliquid dependet ab altero tanquam à subiecto potente recipere perfectionem illius, atque illam recipiente. E. G. dependentia, qua calor aquæ dependet ab igne est causalitas actiua caloris; dependentia qua calor aquæ dependet ab aqua, est causalitas passiua, ac sustentatio eiusdem caloris. Cum verò aliquid est tale, vt aliud ab ipso dependeat tanquam à principio continente partialiter in actu perfectionem illius, & potente illam communicare, & effundere, & præterea simul est tale, vt ab illo dependeat aliud tanquam à subiecto potente recipere perfectionem illius ab alio agente partiali, tum est simul causa actiua, & passiua, materialis, & efficiens, & exercet vtramque causalitatem, producendo simul, ac sustentando. E. G. intellectus in multorum sententia est causa passiua simul, & actiua intellectionis, quia intellectio pendet ab intellectu, tanquam à principio continente actu, licet partialiter perfectionem intellectionis, & potente illam communicare intellectioni, & eadem intellectio pendet ab intellectu tanquam à subiecto potente recipere

cipere perfectionẽ intellectionis ab obiecto tanquam à cõcausa partiali. Similiter sensus est causa actiua simul, & passiua sẽsationis, idemque dic de pluribus alijs.

Hinc iam probatur conclusio; nam causa passiua est, à qua aliquid dependet tanquam à subiecto potente illud recipere, & illud recipiente, sed eo ipso quod subiectum recipit aliquam formam sustentando, talis forma dependet à subiecto tanquam potente illam recipere, cum sustentari nihil aliud sit, quam dependere à subiecto recipiente; ergo eo ipso, quod subiectum recipit aliquam formam sustentando, est causa materialis, & passiua respectu illius. E conuerso eo ipso, quod recipit non sustentando, non est causa passiua, cum causalitas passiua sit sustentatio, ac pendentia à subiecto, sed est pura conditio.

Hinc Infertur primò materiam esse causam passiuam, & materialem omnium formarum, excepta anima rationali. Ratio est, quia materia recipit omnes formas sustentando, excepta anima rationali; omnes enim formæ materiales dependent à materia tanquam à subiecto sustentante, cum esse quod formæ materales habent in materia, sit essentialiter commune materiæ, & primo competens: composito, inseparabile à ma-

teria, atque adeò pendens essentialiter à materia, tanquam à subiecto, vt dictum est agendo de vnione Qu. 10. E conuerso materia non est causa passiua animæ rationalis, quia illam recipit non sustentando, cum anima vtpote forma per se subsistens habeat esse propriũ separabile à materia, atque adeò sit independens à materia quo ad esse. Materia igitur est pura conditio ad primam positionem animæ rationaliis, quia Deus naturaliter non creat animam rationalem, nisi in materia dispolita. Respectu tamen vnionis cum anima rationali materia est causa passiua, & susteutatur, cum vnio vtpote materalis dependeat à materia tanquam à subiecto sustentante.

Infertur secundo sustentationem, & dependentiam, qua formæ materiales dependent, & sustentantur à materia esse ipsarum existentiam. Ratio est, quia sustentatio, ac dependentia à materia est id, quo formæ dependent à materia, & sunt in illa dependendo; sed formæ dependent, & sustentantur per existentiam, quæ cum primo, & necessariò sit existentia compositi communis materiæ, necessariò pendet à materia tanquam à subiecto: ergo dependentia, & sustentatio est ipsa existentia formarum materialium. Actio tamen, qua fiunt, & de-

pen-

pendent ab agente distinguitur ab existentia, vt dicetur inferius suo loco.

Quoad ad tertium dico: causalitas cōpletiua, qua formæ causant materiam, & vniuersim, quo, quod recipitur causat recipiens est informatio, qua determinant illud ad aliquod esse specificum substantiale, vel accidentale, e. g anima equi, causat completiuè materiam per informationem, qua determinat materiam ad habendum primum esse specificum equi; causalitas completiua, quà figura causat ceram, est informatio qua ceram determinat ad esse figurati.

Ad 1. Causalitas causę intrinsecæ non est inexistentia, & vnio vtcumque, sed inexistentia, & vnio communicatiua, per quam dant seipsa, & suum esse partiale composito, ac toti; sed Verbum Diuinum non dat aggregato suum esse partiale, cum Verbum non sit pars, sed totum completissimum continens in se quodlibet esse; ergo Verbum non est, nec potest esse causa intrinseca materiatis, aut formalis vllius compositi, cum causa intrinseca ex sua ratione dicat imperfectionem partis. Ideò ad congruè loquendum in hac materia dicendum est quod Verbum non est causa formalis, quia non est forma cum forma sit essentialiter pars, sed est quasi causa forma-

lis;

lis, in quantum actuat, perficit, ac deificat humanitatem, sicut forma perficit subiectum seclusa imperfectione formæ, quę consistit in hoc, vt perficiat per suam entitatem partialem.

Hinc potest responderi ad quęsitum, an sicut Deus potest supplere defectum efficientis, e.g. potest supplere defectum ignis calefaciendo me loco ignis, ità possit supplere defectum causę materialis, ac formalis, e.g. defectum corporis, ita vt vniatur animę loco corporis, & constituat hominem, & defectum animę, ita, vt vniatur corpori loco animę, & cōstituat illud animatum, & hominem. Communiter respondetur negatiuè. Ratio est, quia, vt fiat homo non ęquiuocè debet habere naturam, & quidditatē hominis eiusdem speciei; sed si non habeat corpus, sed loco corporis Verbum Diuinum, quidditas, & natura profecto non erit eiusdem speciei nobiscum. Secunda ratio est, quia vt Verbum constitueret hominem loco corporis, aut animę, deberet constituere cum corpore, aut anima vnam naturam humanam, hoc est vnum principium agendi ac patiendi; sed verbum non potest constituere cum vlla creatura vnam naturam, & vnum principium agendi ac patiendi, cum nihil pssit recipere ac pati; ergo non potest sup-

supplere defectum materię, vel formę, neque potest vniri in ratione naturę, vt docent SS. PP. & Theologi. E conuerso potest persona Diuina supplere ęquiualenter effectum formalem suppositalitatis createę constituendo naturam creatam subsistentem, & supplet hunc defectum in Christo; quià costituere naturam subsistentem non est vniri in ratione naturę, constituendo vnum principium passiuum, vel actiuum vllius operationis, sed est purè terminare naturam, quod non repugnat Verbo. Dixi, quod Verbum supplet æquiualenter, non formaliter, quia effectus formalis subsistentię createę est constituere naturam subsistentem subsistentia creata, finita, & limitata; hunc autem effectum non tribuit Verbum humanitati Christi formaliter, sed solum æquiualéter, in quantum constituit humanitatem subsistentem subsistentia Diuina, & dat illi perfectionem quam daret subsistentia creata seclusis imperfectionibus.

Ad 2. Iam dictum est, quod materia non est causa passiua omnium formarum quas recipit, cum non sit causa, sed pura conditio animę rationalis. Dictum est etiam quod materia respectu aliarum formarum est causa passiua, & non pura conditio, cum cęterę formę dependeant

in suo esse à materia tanquam à subiecto sustentante; ideò sola anima rationalis creatur, aliæ formę non creantur, immò nec propriè sunt, vt dictum est Quęstione 10. sed solum educuntur ex potentia materę.

Dum opponitur, ergo etiam substantię spirituales sunt causę materiales suorum accidentium, distinguo; sunt causę materiales, in quantum materiale opponitur efficienti, concedo, in quantum materiale opponitur spirituali, nego. Causa materialis sumitur prout opponitur efficienti, & est subiectum recipiens sustentando. In hoc sensu Angeli, & Anima rationalis sunt causę materiales suorum accidentium, etiam supernaturalium; e. g. anima est subiectum sustentatiuum gratię, & virtutum infusarum, cum gratia, & virtutes infusę licet supernaturales habeant esse dependens ab anima rationali, tanquam à subiecto. Hinc est vt gratia, & habitus infusi propriè non creentur, sed infundantur à Deo, & aliqualiter educantur de potentia subiecti. Concedo etiam, quod formæ sint causę materiales, & sustentatiuę accidentium, quę in ipsis recipiuntur; quod essentia sit aliqualiter causa materialis ac sustentatiua suę existentię.

Dum vlterius opponitur, quod non expli-

explicatur, quid sit recipere, quid sustentare; dico iam hæc esse explicata. Et sane vnusquisque experitur se recipere suos actus intelligendi, & volendi, adeòque est manifestum experientia, quid sit recipere.

Dum vrgetur: sustentare est exercere virtutem; virtus non exercetur nisi per existentiam; ergo materia prima sustentat formas substantiales materiales per existentiam; ergo habet propriam existentiam; distinguo maiorem: sustentare est exercere virtutem actiuam, nego; purè passiuam, concedo; distinguo minorem; virtus actiua non potest exerceri, nisi per existentiam, concedo; virtus passiua, nego; & nego consequentiam. Virtus actiua non potest agere nisi per existentiam, quia vnumquodque agit in quantum est actu, calefacit in quantum est actu calidum, dat esse in quantum habet esse. Et ratio est, quia virtus actiua supponit, quod agens habeat esse, quod dat effectui, cum agens, vt agens contineat actu perfectionem effectus. At virtus passiua, & sustentatiua non supponit existentiam, sed solum est virtus recipiendi ab agente formam dantem esse essentialiter pendens à recipiente. Ratio est quia vnumquoque patitur, & recipit, non in quantnm est actu, sed in quantum est

in-

in potentia; e.g. calefactibile calefit, non in quantum est actu calidum, sed in quantum, est calidum solum in potentia; sed materia est potentia recipiendi formas substantiales materiales pendentes ab ipsa secundum esse quod dant; ergo materia recipit formas substantiales, non in quantum existit actu, sed in quantum existit solum in potentia. Discrimen assignatum inter potentiam actiuam, & passiuam clarè exprimit Aristoteles pluribus locis, ac præsertim 2. de generatione animalium cap. 1. non multum ante finem per hæc Verba. *Omnia quæcunque natura, aut arte efficiuntur ab eo quod actu est fiunt, ex eo quod potentia tale est.* Ex Aristotele S. Thom. desumpsit suum axioma *vnum quodque potest agere in quantum est ens actu*; quod repetit innumeris locis, ac præsertim in comp. Theol. cap. 116.

Dum demum opponitur, quia si materia prima causaret passiuè omnes formas, esset valde perfecta, sicut Celum est valde perfectum, quià causat actiuè omnia inferiora: respondeo virtutem actiuam magnam arguere perfectionem virtutem passiuam arguere perfectionem valde paruam. Ratio, est quia virtus actiua fundatur in cõtinentia, qua agens cõtinet actu perfectionẽ effectus; ergo agẽs debet

debet continere perfectionem effectus, atque adeò cum potest producere plures effectus, valdè perfectos est valde perfectum E conuerso virtus passiua est potentia recipiendi effectum dependentem à recipiente; potentia autem recipiendi effectum dependentem in suo esse à recipiente non arguit magnam, sed paruam perfectionem. Cum ergo materia prima sit potentia recipiendi formas materiales ab ipsa dependentes, à quibus determinatur ad esse specificum, & actuale, est valdè imperfecta, vtpotè ens, & substantia solum in potentia non in actu. Explicatur exemplis. Virtus dandi alteri millionem aureorum arguit magnas diuitias in habente talem virtutem; at virtus recipiendi ab altero centum milliones aureorum datur in quocunque mendico, atque adeò nullas arguit diuitias actuales in potente recipere.

Ad 3. Concedo, quod forma sit causa completiua materię, vt docet S. Thom. Neque hæc mutua causalitas qua materia causat formam sustentando, forma causat materiam informando ac determinando ad esse specificum repugnat, vt dicetur, cum agemus de mutua causalitate.

Dum quæritur, vtrum anima rationa-

lis

lis sustẽtet vnionem: respondeo affirmatiuè, quia recipit vnionem, ita vt vnio essentialiter dependeat à materia simul, & anima rationali; hoc autem est sustentare.

Demum dum queritur, quo pacto causa formalis distinguatur à suo effectu formali, dico quod causa formalis alia est physica, alia logica causa formalis physica est forma intrinsecè efficiens subiectum, quod denominat e. g. calor est causa formalis physica, calidi, quia est forma intrinsecè efficiens subiectum, quod denominat calidum. Causa formalis logica est forma denominans subiectum purè extrinsecè: e.g. cognitio Antichristi, vel hircocerui, est causa formalis logica Antichristi, & hircocerui, vt cogniti, quià denominat Antichristum, & hircoceruum purè extrinsecè. Effectus etiam formalis potest sumi dupliciter. *Primo* effectus formalis, est ipsum concretum denominatum à forma physica, vel logica; e. g. effectus formalis cognitionis de Antichristo, vel hircoceruo est cognitum, vt cognitum. Secundo effectus formalis est ipsa denominatio, quæ à forma tribuitur subiecto; e.g. effectus formalis caloris est ipsum esse ac denominatio calidi; effectus formalis cognitionis est ipsum esse, ac denominatio

tio cogniti competens subiecto ratione cognitionis.

His positis ad quęsitum respondeo, quod si effectus formalis sumatur pro ipso concreto denominato physicè, vel logicè, causa formalis distinguitur ab effectu formali inadequatè in quantum concretum, quod dicitur effectus formalis, vltrà causam formalē includit etiam subiectum. Si verò sumatur effectus formalis pro ipsa denomiuatione, quæ tribuitur subiecto logicè, vel phisicè, à causa formali, tum causa formalis est idem cum effectu formali omnino e. g. denominatio, qua Antichristus constituitur cognitus, nihil addit suprà cognitionem.

Vltimo duo debent aduerti quoadmodum loquendi. Primum est quod causa materialis, & formalis, in quantum comparantur cum effectibus non contradistinctis, dici solent intrinsecæ, e.g. materia prima solet dici causa materialis intrinseca compositi. At verò inqantum comparantur cum effectibus contradistinctis dici solent causæ extrinsecæ; e. g. materia vocari solet causa materialis extrinseca formarum, quas recipit. Secundum est: constitutiua totius, quorum neutrum recipit alterum vel in altero recipitur reducuntur ad causas ma-

materiales e. g. duo semipalmi dicuntur causæ materiales palmi, quia ita illum constituunt, vt neuter semipalmus recipiatur in altero.

QVAESTIO XVI.

Vtrum conuenienter assignetur causalitas, & effectus causæ finalis.

VIdetur, quod non 1. quia finis est cuius gratia cætera fiunt; sed non explicatur, quid sit id cuius gratia cætera fiunt ex vna enim parte, videtur, quod id, cuius gratia omnia facimus, simus nos ipsi tantum & amici, quia omnia operamur gratia nostri, & amicorum, ideoquę amicus est alter ego; ex alia parte videtur, quod omnia faciamus non propter nos, sed propter bonum, & felicitatem nostram, & amicorum; immò videtur, quod omnia faciamus non propter bona, sed propter possessionem bonorum; auarus e. g. operatur, non vt dentur diuitię, sed vt ipse possideat diuitias; ergo non sufficienter explicatur finis.

2. Non

2. Non explicatur vtrum causa finalis sit solum bonum existens, an etiam bonum purè possibile, imò, & impossibile. Ex vna parte videtur quod etiam bonum impossibile possit causare finaliter. Nam aliquando ex errore operamur gratia boni impossibilis, vt cum quis petit à Deo, vt faciat illum Angelum, quod est impossibile. Ex alia parte causa finalis est causa vera, & realis sed impossibile cum non sit ens reale, non potest esse causa vera realis; ergo impossibile non potest esse causa finalis.

3. Non explicatur, vtrum sola natura intellectiua creata operetur propter finem, & propter causam finalem, an etiam Deus Ex vna parte videtur, quod Deus non operetur propter causam finalem. In operante enim propter causam finalem, volitio operandi causatur à causa finali; sed in Deo volitio operandi non causatur à fine, cum volitio Dei sit incausata in omni genere; ergo Deus non operatur propter causam finalem. Ex alia parte videtur, quod Deus operetur propter causam finalem, vt enim docet Scriptura omnia propter semetipsum operatus est Deus. Et confirmatur quia operari non propter finem, & bonum est operari imperfectè; Deus operatur perfectissimè; ergo.

4. Non

4 Non explicatur, quo pacto bru
& res insensatæ operétur propter fin
Quod enim non cognoscit finem,
mutuam proportionem, quam finis
media habent ad inuicem, non po
operari propter finem; sed res insen
nullo pacto cognoscunt finem; Bru
cognoscunt finem solum materiali
proportionem verò mutuam inter fi
& media non cognoscunt; ergo bru
& naturę insensatæ non operantur p
pter finem.

5. Vel virtus causatiua finis est ip
bonum cognitum, cognitio verò est
ra conditio, e. g. cum quis sumit m
cinam propter sanitatem, virtus ca
tiua talis sumptionis est bonitas san
tis, cognitio verò est mera conditio
cognitio non est mera conditio, se
virtus causatiua finaliter. Ex vna pa
videtur, quod virtus causatiua finis
bonum, cognitio verò sit mera cond
tio, quià virtus causatiua est id, cuius
gratia operamur; sed operamur gratia
recuperandæ sanitatis e.g. non verò gra-
tia cognitionis de sanitate; ergo virtus
causatiua non est cognitio, sed sanitas.
Ex alia parte videtur, quod virtus cau-
satiua non sit bonum, sed cognitio boni.
Nam virtus causatiua debet esse cum
effectus producitur; sed ipsum bonum

ſepè non est, nec potest eſſe, cum effe-ctus producitur; ergo virtus cauſatiua non est ipſum bonum, ſed cognitio.

6. Videtur; quod neque poſſit explicari cauſalitas, qua finis cauſat in actu ſecundo ſuos effectus, e. g. non potest explicari cauſalitas, qua ſanitas mouet ad sumendam medicinam. Vel enim talis cauſalitas est aliquid antecedens amorem finis, vt docet Soncinas 3. Metaph. quæſt. 2. vel eſt ipſe amor finis, vt docet Ocam in 2. quæſt. 3. art. 2. vel est aliquid conſequens amorem ſanitatis, & finis, vt docent communiter alij auctores. Non poteſt eſſe amor finis, vel aliquid antecedens talem amorem: cauſalitas enim actualis qua finis cauſat poſitionem mediorum, neque diuinitus poteſt dari ſine tali poſitione, eo pacto quo actualis calefactio, neque diuinitus poteſt dari ſine calore; ſed amor finis, & ea, quæ præcedunt talem amorem, poſſunt ſaltem diuinitus poni ſine medijs, e. g. amor ſanitatis poteſt diuinitus poni ſine poſitione medicinæ; ergo nec amor finis, nec aliquid antecedens amorem eſt actualis cauſalitas finis. Neque poteſt cauſalitas actualis eſſe aliquid conſequens amorem finis, cum non poſſit aſſignari, quid tandem ſit.

7. Videtur, quod neque conuenien-

ter assignetur effectus causæ finalis . E
vna enim parte videtur , quod effec
causę finalis sint omnia , illa quæ cau
finis , & bonum, vt cognitum, e. g. qu
effectus sanitatis , & finis sint omnia, e
quæ causat bonum sanitatis, vt cognitu
ab ægroto. Ex alia parte videtur id im
possibile , quia finis , vt cognitus cau
ipsam adeptionem, & positionem sui; se
finis non potest causare adeptionem ,
positionem sui , alioquin causaret se i
sum ; ergo effectus finis non sunt ea o
nia : quæ causat finis , & bonum , vt co
gnitum .

Respondeo , quod in hac quæstion
explicanda sunt quinque, primo bonu
quod est finis , & causa finalis ; secund
virtus , per quam causat : tertio causal
tas actualis , qua causat : quarto effectu
quos causat: quinto agentia,quæ operan
tur propter finem .

Quoad primum ex Aristotele pri
mo Ethicorum cap. 1. & alibi, Bonum
est , *quod omnia appetunt* , & quia appete-
re est moueri intentionaliter ad obie-
ctum , ideo bonum est terminus motus
intentionalis appetitiui , & est id , quod
mouet appetitum ad amorem sui . Iam ,
vt S. Thomas docet 1. parte quæst. 5. art.
6. in corpore sicuti triplex est terminus
motus localis , ita triplex est terminus
motus

motus appetitui, atque adeò triplex est bonum, honestum, vtile, & delectabile. Primo terminus motus localis est locus naturalis, ad quem mobile mouetur, vt in eo quiescat, & cesset à motu; e.g. centrum, seu medium mundi est terminus motus grauium, quia centrum est locus, ad quem grauia mouentur, vt in eo quiescant, & cessent à motu. Secundo terminus motus est ipsa quies in loco, e. g. ipsa quies in centro est terminus motus grauium. Tertio loca etiam intermedia, ad quę mobile mouetur; tanquam ad media, per quæ transeat ad vltimum terminum, in quo quiescat, dicuntur termini secundum quid motus, in quantum terminat aliquam partem motus; e. g. cum grauia mouentur ad centrum, omnia loca, per, quæ transeunt sunt termini secundum quid motus, quia terminant aliquam partem motus.

Proportionaliter triplex est terminus motus appetitiui. *Primus* terminus est id, quod appetimus tanquam aliquid, in quo proportionaliter propter eius præstantiam cognitam rationaliter quiescamus, quià nos simpliciter perficit, ac reddit meliores, & hoc est bonum honestum. Secundus terminus est id, quod appetimus tanquam quietem qualemcunque perfectam, vel imperfectam, in ali-

quo, quod nos perficit, vel ſimplicite vel ſecundum quid, & hoc eſt bonum iucundum. Iucunditas enim, ſeu del ctatio eſt quies in bono poſſeſſo perf cto, ideòque iucunditas terminat motu appetitus, ſicut quies in centro termin motum lapidis: Tertius terminus eſt i quod appetimus, tanquam medium, p quod perueniamus ad vltimum term num, & hoc eſt bonum vtile e. g. ægro tus appetit ſumere medicinam, vt me dium, per quod perueniat ad ſanitatem in qua quieſcat, tanquam in bono pe ſe expetibili. Sicut autem medium, pe quod tranſit mobile, eſt terminus motu ſecundnm quid, quia terminans motum tanquam medium, per quod tranſitur a vlteriorem terminum; ita bonum vtile eſt terminus appetitus ſolum ſecundum quid, atque adeò eſt bonum ſecundum quid, quia terminat appetitum tanquam medium, per quod acquiratur vlteriu bonum, in quo quieſcamus.

Quoad ſecundum de virtute cauſatiu finis dico: virtus cauſatiua *vt quod* e ipſum bonum; virtus cauſatiua *vt quo* e cognitio boni. Probatur, nam virtu cauſatiua *vt quod* eſt id, quod mouet a amorem ſui, & ad poſitionem mediorum virtus cauſatiua (*vt quo*) eſt illud eſſe per quod bonum mouet ad amorem ſui

& ad

& ad positionem mediorum ; sed bonum est id , quod mouet : illud esse per quod mouet est esse intentionale cognitionis ; ergo bonum est virtus causatiua *vt quod* , cognitio est virtus causatiua , *ũt quo* . Probatur minor : quando ęgrotus cognoscens bonum sanitatis mouetur ad sanitatem amandam, & procurandam, sanitas cognita mouet ægrotum ad amorem sui, & ad electionem , ac positionem mediorum; at non mouet sanitas nisi per esse intentionale cogniti , cum moueat ad amorem , in quantum cognoscitur ; ergo sanitas est virtus , quæ mouet , cognitio est virtus, per quam mouet .

Quoad tertium de causalitate actuali , qua finis causat , dico quod cum bonum causare nihil sit aliud , quàm bonum cognitum mouere ad amorem sui , ad electionem, & positionem mediorum, & aliorum effectuum, causalitas finis, ac boni est illa motio metaphorica , qua bonum cognitum mouet ad amorem sui, & ad electionem , ac positionem mediorum , e. g. cum sanitas cognita mouet ægrotum ad amorem sui illa motio , qua sanitas cognita mouet est causalitas, qua finis causat amorem sui . Præterea cum amor sanitatis mouet ægrotum ad sumẽdam medicinam , illa motio , qua sanitas amata mouet ad medicinam sumendam ,

est causalitas, qua causat sumptionem medicinę. Dicitur autem motio metaphorica, quia non est motio propriè (cum non sit in vlla specie motus, quæ species sunt generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & secundum locum mutatio. Licet autem causalitas realis, eo pacto, quo, licet amænitas prati sit risus metaphoricus, est amęnitas realis propria. Si verò quæratur, quid tandem sit à parte rei) motio, qua bonitas mouet ægrotum ad amorem sui, dico, quod est ipsa causalitas, qua efficiens cognoscens finem efficit amorem illius. Hæc actio in quantum comparatur cum efficiente est causalitas, qua efficiens efficit amorem, in quantum comparatur cum bono, & fine, est causalitas, qua bonum, & finis cognitus mouet ad amorem sui.

Hinc infertur cum Aristotele Bonum ac causam finalem esse simpliciter primam omnium causam. Ratio est, quia cum plures causæ comparantur inuicem sicut mouentes, & motę &c. illæ, quæ se habent vt mouentes, sunt priores illis; quæ se habent, vt motæ; sed quando efficiens mouet materiam ad formam propter finem, e. g. quando ædificator mouet materiam domus ad formam propter finem commodæ habitationis, finis

com-

comparatur ad efficientem sicut mouens ad motum; finis enim mouet ædificantem ad edificandum: efficiens, e. g. ædificator comparatur ad materiam, sicut mouens ad motum, cum moueat materiam ad formam domus; idem efficiens comparatur ad formam, sicut ad terminum motus; ergo in toto hoc negotio finis est primum mouens efficientem ad mouendam materiam ad formam, quę est terminus motus, ac proinde finis non solum est causa, sed est prima causa: secunda causa est efficiens: tertia est materia: quarta est forma, prout ponitur à parte rei.

Quo ad quartum de effectibus causæ finalis, dico quod effectus causæ finalis sunt omnia ea, ad quæ mouet finis cognitus.

Vt probetur conclusio explicanda sunt ea, ad quæ mouet ordinatim finis cognitus. Bonum sanitatis cognitum ab ægroto mouet primo ad amorem sui ineficacem, & ad quandam velleitatem, quæ vocatur simplex complacentia. Secundo mouet ad amorem efficacem quo dicat *volo sanari*, qui vocatur intentio. Est autem intentio *amor finis mouens ad ponenda media, quibus consequamur finem*. Tertio finis intentus mouet ad consultationem de medijs, quibus illum conse-

quamur ; & siquidem in consultatione concluditur media necessaria ad finem consequendum non esse in nostra potestate, vel nimis esse difficilia, sequitur desperatio de fine ; e. g. si ægrotus concludat morbum esse incurabilem, vel posse quidem curari, sed remedijs, ita difficilibus, vt nolit illa adhibere, desperat de sanitate, ac desistit ab intentione sanitatis ; si verò concludatur media ad finem consequendum esse in nostra potestate, tum eliguntur media : Quarto medijs electis imperatur eorum executio potentijs executiuis, incipiendo à primo medio, quod sit immediatè in nostra potestate. Quinto ex medijs sufficientibus sequitur consecutio finis, e. g. ex sufficiente curatione sequitur recuperatio sanitatis ; Sexto obtento fine, sequitur gaudium, & fruitio finis, ac quies, & cessatio à medijs. Dicitur autem fruitio, eo quod fruendo decerpamus vltimum fructum boni.

In toto hoc negotio considerari debent duo ordines quodammodo contrarij. *Primus* est ordo intentionis; secundus est ordo executionis. Ordo intentionis est ordo actuum voluntatis primo versantium circa finem, & media antequam executioni mandentur. In hoc ordine primus est finis, tum quæ fini sunt

pro-

propinquiora, deinde remotiora; & remotissimum à fine est vltimum, e.g. ægrotus primo intendit recuperationem sanitatis tanquam finem, deinde eligit media vsque ad primum medium remotissimum à fine quod debet ponere hic, & nunc. Ordo executionis est ordo actuũ, quibus media, & finis executioni mandantur. In hoc ordine finis est vltimus, medium remotissimum à fine est primum; e. g. ægrotus incipit à medio distantissimo à fine, quod est aduocatio medici, deinde ponit ordinatim alia, & alia media vsque ad vltimum, quod causat recuperationem sanitatis, qua posita cessat à medijs, & fruitur, ac gaudet sanitate recuperata. Hinc est axioma commune, *quod est primum in intentione est vltimum in executione;* & , *quod est vltimum in intentione est primum in executione.*

Hoc posito, dico quod omnia, ad quæ mouet ordinatim finis cognitus, incipiendo à complacentia, & intentione finis vsque ad gaudium, & fruitionem de fine iam possesso, sunt effectus causæ finalis.

Probatur primo, quia causalitas finis est motio; ergo omne, ad quæ finis mouet, causantur à fine; sed finis cognitus mouet ad totam seriem ordinatam actuũ inclusorum in duplici ordine executio-

 nis,

nis, & intentionis; ergo omnes tales actus sunt, effectus finis. Secundo probatur, quia finis est cuius gratia, hoc est propter cuius bonitatem cognitam cætera fiunt; sed omnia hæc fiunt propter bonitatem suam, & propter bonitatem finis eligimus media; propter eandem finem ipsum ponimus executiuè per media, & gaudemus de fine obtento; ergo omnia ista sunt effectus causę finalis. Videri possunt Suarius disp. 23. met. sect. 3. & Vasquez 1. 2. disp. 3. cap. 2.

Quo ad quintum de agentibus, quæ operantur propter finem, dico cum Aristotele 2. Phys. tex. 75. & seqq. & cum S. Thoma 1. 2. quæst. 1. art. 2. omnia agentia agunt propter finem. Ratio est quia, si actio agentis non derigeretur ad aliquem finem, & effectum determinatum, agentia non magis producerent vnum effectum, quam alium e. g. si grauitas lapidis non dirigeretur ad aliquem locum, & finem determinatum, non magis lapis moueretur deorsum, quam sursum. Dupliciter tamen potest aliquid tendere, ac dirigi ad finem. Primo, vt se ipsum ordinans, & dirigens ad bonum, & finem præcognitum. Ita homo tendit ad bonum, & finem tanquam ordinans, ac dirigens se ipsum ad bonum, & finem, cum cognoscat, & finem ipsum, & media, quæ

ad

ad finem conducunt, & mutuam proportionem inter finem, & media, ideoque dirigit se per media proportionata ad finem. Secundo potest aliquid tendere ad finem, sicut motum, ac directum ad finem ab alio, eo pacto quo sagitta mouetur ad scopum, vt directa à sagittario. Hoc pacto ratione carentia mouentur ad bonum, & finem, tanquam mota, ac directa à Deo per inclinationes naturales: e. g. lapis mouetur deorsum vt directus ad centrum per inclinationem naturalem suæ grauitatis. Bruta etiam mouentur ad bonum sensibile apprehensum per naturales instinctus; quia cum non cognoscant proportionem mediorum ad finem, non possunt se ipsa per electioné mediorum ad finem dirigere, & ordinare. Deus non solum operatur propter finem, sed operatur vt dirigens omnia ad suos fines particulares, per inclinationes rebus impressas, & etiam ad finem vniuersalem, & bonum commune omnium rerum, quod bonum est ipse Deus, cum omnia propter se ipsum, tanquam propter vltimum finem Deus operetur. Hinc est, vt operatio Diuina sit quodammodo circularis. Motus enim circularis est, in quo idem est principium, & finis, eo quod ita egrediatur à principio, vt egrediendo, & progre-

diendo semper moueatur versus idem principium; sed Deus est principium, & finis Alpha, & Omega omnium operum suorum, cum omnia ità procedant à Deo; sicut à principio, vt ad Deum tendant, tanquam ad vltimum finem; ergo omnis operatio Diuina est quodammodo circularis, ideoque est operatio perfecta, quia solus motus circularis est perfectus.

Ad 1. Finis, cuius gratia operamur, ex doctrina Aristotelis secundo de anima, tex. 35. & S. Thomæ secundæ in primis quæst. triplex est finis *cui*, finis *qui*, & finis *quo*. Finis *cui* est id, cui finaliter volumus bonum; finis *qui* est bonum, quod volumus; finis *quo* est possessio boni; e.g. cum operamur propter beatitudinem finis *cui*, sumus nos, quia nobis volumus bonum beatitudinis; finis, *qui* est Deus, quia Deus est nostra beatitudo, seu bonum potens nos beatificare, & satiare; finis *quo* est ipsa possessio Dei summi boni, quæ possessio est visio Dei, vel amor, iuxta varias sententias Theologorum. Verum igitur est, quod omnia facimus propter nos ipsos, & amicos vt finem *cui*; verum est etiam, quod omnia facimus propter bonum, & felicitatem vt finem *qui*; & verum est quod omnia operamur propter possessionem boni; vt finem

nem *quo*. Sicut autem, vt diximus agentes de vnione licet anima persiciat corpus, vt vnita vnione distincta, tamen corpus præcipuè persicitur per animam vnione communicatam; sic licet Deus beatificet vt visus, tamen præcipuè beatificans, & satians beatum Deus est; non visio, ita vt beatus beatificetur vt *quod* per Deum tanquam per bonum possessum, & per visionem solum, tanquam per possessionem boni, & vt quo. Rursus appetitus finis, e. g. beatitudinis fertur indiuisibiliter in finem *cui*, *qui*, & *quo*, Cum enim volumus beatitudinem, volumus illam vt nos beatificantem; sed beatitudo beatificat, vt bonum possessum à nobis tanquam à fine *cui*: ergo tendimus indiuisibiliter in nos vt finem cui, in beatitudinem vt *finem qui*, & in possessionem, vt *finem quo*. Præcipuus inter fines est finis *cui*, qui terminat amorem amicitiæ. Secundus est finis *qui*, quia licet ametur, vt bonum alterius, atque adeò per amorem concupiscentiæ, tamen amatur vt pręcipuuum bonum alterius. Tertius est finis *quo*, possessio enim boni est bona in quantum id quod possidetur est bonum.

Ad 2. finis cui potest esse, & cognosci vt existens, sicut cum quis appetit felicitatem sibi, & amicis existentibus: potest cogno-

tuendi finem cui, est bonitas hominis, & Angeli, quæ est realis, licet quia imaginatur vt possibilem aliquem, qui simul sit homo, & Angelus, constituat sibi pro fine hominem Angelum impossibilem. Similiter cum aliquis habet pro fine *qui*, vel *quo* cognitionem comprehensiuam Dei, motiuum illam desiderandi est bonitas cognitionis compræhensiuæ, quam Deus habet de se ipso, quæ est realis, licet quia imaginatur cognitionem creatam posse esse comprehensiuam Dei, appetat illam. Ratio est, quia impossibile semper est quædam simultas, vel identitas prędicatorum incompossibilium, & est aliquid relatiuum; sed simultas, & identitas vtpotè relatiua non est amabilis, nisi propter bonitatem absolutam rerum, quarum est simultas, & identitas, quæ bonitas absoluta est possibilis, & realis; ergo impossibile nō est amabile nisi propter bonitatem absolutam, & realem, quam imaginamur in impossibili. Hinc ad argumentum: causa finalis est causa realis; impossibile non est causa realis; ergo impossibile non est causa finalis; distinguo maiorem; causa finalis semper est causa realis secundum bonitatem apprehensam, & primo mouentem concedo; secundum id in quo apprehenditur bonitas, nego; distingno minorem; impossi-

possibile non est causa realis secundum bonitatem apprehensam, & primo mouentem; nego; secundum id, in quo apprehenditur bonitas; cōcedo minorem, & distinguo consequens; ergo impossibile non est causa finalis per bonitatem apprehensam, nego consequentiam; per id, in quo apprehenditur bonitas, concedo consequentiam. Cum al quis amat hominem Angelum bonitas realis hominis, & Angeli apprehensa in homine Angelo est causa finalis mouens ad amādum hominem Angelum impossibilem, & constituendum finem *cui*.

Ad 3. Iam dictum est etiam Deum operari propter finem. Et quidem omnia operatur propter se ipsum tanquam propter vltimum finem *cui* totius gloriæ & propter creaturas rationales tanquam propter finem *cui* receptiuum totius vtilitatis. Cum enim Deus sit perfectissimus, operatur non vt ex suis operationibus acquirat vllum emolumentum, sed solum, vt creaturis rationalibus manifastet suam perfectionem. Hæc autem manifestatio est summa gloria Dei, & summa perfectio, & vtilitas nostra, ita vt idem sit Deum summè glorificari, ac creaturas rationales summè beatificari, quia summa glorificatio Dei est quod videatur Diuina perfectio. Videri autem diui-

diuinam perfectionem est summa beatitudo videntis. Dum opponitur: in operante propter finem volitio operādi causatur à fine; ergo &c. distinguo maiorem; in operante propter finem, vt moto, concedo; vt purè mouente, & agente, nego; concedo minorem, & nego consequentiam. Dupliciter aliquid agit propter finem: primo ita, vt non solum moueat, sed moueatur ad finem: secundo, vt purè moueat, & purè agat propter finem. Ens perfectissimum, & continens in se omnem perfectionem non potest operari propter finem ita vt moueatur ad finem, quia cum ipsum sit suus finis vtpotè summum bonum, non potest vllo pacto moueri ad Finem. Solum igitur operatur propter finem vt mouens alia ad finem. At creaturæ vtpotè imperfectę operantur propter finem, tanquam motę ad finem. Hinc est, vt in creaturis volitio operandi propter finem causetur à causa finali, quia dum volunt operari mouentur à bono, & fine ad volendum operari, ideoque causatur volitio operandi. E conuerso primus motor immobilis ita operatur propter finem, vt non moueatur à fine ad volendum operari, alioquin moueret motus, & non esset immobilis; ergo volitio operandi non causatur à fine sed sicut est à se, & non causa-

causatur ab alio in genere causæ efficientis, ita est propter se, & non causatur ab alio bono, & fine in genere causæ finalis, sed est causata in omni genere. Deus igitur efficit motum, vt operationes externas, quibus moueat creaturas ad finem, ideoque efficit operationes externas causatas à fine, quia finis non est causa actus volendi, sed est causa solum operandi.

Ad 4. Iam explicatum est, quo pacto bruta, & res insensatæ ità operentur propter finem, vt moueantur ad finem à primo motore, non autem vt se moueant, & agant ad finem.

Ad 5. Dictum est, quod virtus causatiua *vt quod* est bonum cognitum virtus causatiua *vt quo* est cognitio. Illud enim esse, per quod bonum mouet, non est pura conditio, sed est virtus *vt quo*; sed bonum mouet per esse intentionale; ergo cognitio, & esse intentionale non est pura conditio, sed est virtus *vt quo*. Ideò cognitio boni non se habet, sicut propinquitas ignis ad passum, quia esse, per quod ignis calefacit, non est propinquitas, sed esse calidi; ergo propinquitas est pura conditio, non autem virtus *vt quo*; at esse, per quod mouet bonum, est esse inintentionale cognitionis; ergo cognitio est virtus *vt quo*, non autem pura cõditio.

Ad


Ad 6. Iam dictum est, quod causalitas, qua finis causat effectum quemcumque, est motio, qua mouet ad illum. Causalitas igitur qua finis causat amorem, est motio, qua mouet ad amorem, seu talis motio sit actio distincta ab ipso actu amoris, seu non, adeoque causalitas, qua finis causat primum effectum, hoc est amorem sui, pręcedit aliqualiter amorem præcedentia reali, vel rationis, vt docet Soncinas; at causalitas, quà finis causat effectus consequentes amorem; est motio consequens amorem; e. g. causalitas, qua finis causat electionem mediorum, est motio, qua finis amatus mouet ad electionem mediorum, & per hoc conciliatur sententia communis cum opinione Soncinatis.

Ad 7. Concedo, quod effectus causę finalis sint omnia ea, ad quæ mouet finis cognitus. Dum opponitur; ergo finis secundum esse intentionale causat seipsum secundum esse reale; concedo; finis causat se ipsum secundum idem esse, nego. Finis vt existens intentionaliter in cognitione, & amore causat se ipsum secundum esse reale, e. g. sanitas vt cognita ab ęgroto causat existentiam realem sanitatis in ægroto: neque in hoc est vllum absurdum. Dum verò dicitur causam finalem esse, cuius gratia cætera fiunt,

fiunt, sensus est, propter cuius bonitatem cognitam fiunt cætera distincta ab esse intentionali, quod habet in cognitione, & quia esse reale finis dictinguitur ab esse intentionali, quod habet in cognitione, ideò potest finis secundum esse reale comprehendi in effectibus expressis per ly *cætera*.

QVAESTIO XVII.

Vtrum conuenienter explicetur causalitas, & effectus casus, fortunæ, & fati.


PRimo videtur, quod in rebus nullo pacto detur fortuna, & casus, vt quidam dixerũt citati ab Alberto 2. phys. tex. 10. Nam si daretur fortuna aut casus, darentur aliqui effectus casuales, ac fortuiti; sed nõ dãtur, neq; dari possunt; ergo &c. Probatur minor: nam quod euenit secũdum præordinationẽ alicuius gubernantis, non est fortuitum, neque casuale; sed omnes effectus eueniunt secundũ præordinationem Dei supremi gubernanti; ergo. Et confirmatur, quia ex Aristotele vbi est multum intel-

intellectus, ibi est parum fortunæ, & vbi multum est fortunæ parum est intellectus; sed in mundo datur diuinus intellectus omnia disponens, præuidens, & præordinans; ergo in mundo nihil est fortunæ, vel casus, cum, nihil possit effugere præuisionem, & præordinationem intellectus infiniti.

2. Neque etiam potest dici dari effectus fortuitos, ac casuales, non quidem respectu Dei, sed respectu causarum secundarum, ità vt respectu fodientis in agro sit fortuita inuentio thesauri, respectu tegulæ decidentis ex tecto sit casualis occisio hominis transeuntis per viam. Nam effectus, qui non est fortuitus, neque casualis respectu principalis ordinantis, neque potest esse fortuitus ac casualis respectu ordinati; e. g. quando sagittarius, dirigit sagittam ad hominem occidendum, quià occisio hominis non est fortuita respectu sagittarij, nec est fortuita respectu sagittæ, sed Deus præordinauit fossionem agri ad inuentionem thesauri, casum tegulę ad occisionem transeuntis, ergo sicut isti effectus non sunt fortuiti neque casuales respectu Dei ordinantis, ita non possunt esse fortuiti, neque casuales respectu causarum secundarum, quæ ordinantur.

3. Effectus, qui oriuntur necessario ex

ex combinatione ſuarum cauſarum, non ſunt fortuiti, neque caſuales; ſed omnes effectus, exceptis actibus formaliter liberis, oriuntur neceſſario ex combinatione ſuarum cauſarum proximarum; e. g. ex eo, quod tegula cadat, & Petrus tranſeat, ſequitur neceſſario, quod Petrus occidatur à tegula; ergo nullus effectus poteſt eſſe caſualis. Ad ſummum igitur poſſunt eſſe effectus fortuiti, ac caſuales ſecundum opinionem, cum eueniunt ea, quæ præuideri non poterant à nobis, vtpotè non penetrantibus combinationem, & virtutem cauſarum.

4. Fortuna, & caſus ſi darentur eſſent cauſæ per accidens effectuum, qui ſequūtur non ſemper, neque vt plurimum; ſed raro, & præter intentionem agentium; ſed neque hoc videtur ſubſiſtere: nam ludenti aleis ex fine victoriæ, victoria accidit ſecundum intentionem, & tamen eſt effectus fortuitus; ergo non ſufficienter explicatur fortuna, & caſus, & ipſorum cauſalitas.

5. Fortuna, & caſus debent verſari circa contingentia; ſed non poteſt explicari quæ nam contingentia detur in rebus, an ſolum in ijs, quæ pendent ex libero arbitrio, an etiam in effectibus naturalibus; ergo non poteſt explicari fortuna, & caſus.

6. Ne-

6. Neque etiam poteſt explicari, an monſtra ſint effectus caſuales. Ex vna parte videntur caſuales, quia naſcuntur præter intentionem naturæ. Ex alia parte videntur effectus naturales ſicut alij effectus, cum dentur cauſę certæ, ac determinatę, propter quas naſcuntur monſtra.

7. Videtur quod ex vna parte fatum ſit ponendum. Nam dicit Sanctus Auguſtinus lib. quinto de Ciuitate *fatum à fando dictum intelligimus, id eſt à loquendo, vt ea fato fieri dicantur, quæ ab aliquo determinante ſunt* ante præloquuta; ſed omnia, quæ eueniunt ita eueniunt, vt ſint à Deo determinante ab æterno præloquuta, ac dicta ſibi ipſi; ergo datur fatum, & omnia fato eueniunt, fatoque ſubdũtur: ideoque fatum definitur à Boetio lib. 4. de conſolatione: *inhærens rebus mobilibus diſpoſitio per quam prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus*. Ex alia parte videtur non dari fatum 1. quia S. Gregorius dicit, *abſit à fidelium mentibus, vt fatum eſſe aliquid dicant*. 2. quia ſi daretur fatum omnia euenirent ex neceſſitate fatali; ergo nihil eſſet fortuitum, caſuale, contingens, aut liberum. 3. fatum neque poteſt eſſe in craturis, neque in Deo Non in Deo, quia definitur *diſpoſitio inhærens rebus mobilibus*. Non in creaturis,

1. quia

1. quia ex S. Augustino lib. 5. de ciuitate cap. 8. & 9. *ipsa Dei voluntas, & potestas fati nomine appellatur*; sed voluntas, & potestas Dei non est in creaturis; ergo fatum non est in creaturis. 2. quia fatum ex suo cōceptu est causa vniuersalis omnium, quæ eueniunt; sed nihil existens in creatura est causa vniuersalis omniū, quę eueniunt; ergo fatum non existit in creaturis. 3. quia fatum debet esse aliquid immobile; sed quæ dantur in creaturis cuncta sunt mobilia, & mouentur cum ipsis creaturis, vt 2. top. cap. 3. docet Aristoteles; ergo fatum non existit in creaturis. Demum datur vnicum fatum; sed si fatum esset in creaturis, darentur tot fata, quot creaturæ; ergo fatum non datur in creaturis.

Respondeo, ac dico primo: dantur fortuna, & casus, & sunt causæ per accidens effectuum, qui sequuntur rarò, & præter præuisionem atque intentionem fundatam in probabili præuisione, ex ipsarum operationibus, habentibus alium finem e. g. cum quis occiditur à tegula decidente ex tecto, casu est causa mortis, quia tegula decidens per accidens atque adeo casualiter, causat mortem, quæ raro sequitur ex tegula decidente, & præter intentionem, & præuisionem, cum talis descensus non habeat pro fine

occi-

occiſionem tranſeuntis, ſed habeat pro fine centrum. Cum quis fodiens agrum inuenit theſaurum cauſa inuentionis dicitur fortuna. Ex eadem ratione, cum quis ludens aleis conſequitur victoriam, fortuna eſt cauſa victoriæ, quia illa ſequitur per accidens, & ita, vt non poſſit intendi ex probabili prçuiſione. Idem dic de pluribus alijs. Quià verò conſtat inductione multos effectus raró ſequi e x cauſis per accidens modo explicato, & vocari fortuitos, ac caſuales, conſtat dari fortunam, & caſum, & benè eſſe definita. Et confirmari poteſt ex Scriptura Eccleſiaſtis nono, vbi habetur. *Vidi nec velocium eſſe curſum*, &c. ſed *tempus, caſumque in omnibus*. Confirmatur etiam, quia ex tradita definitione benè explicantur, quæ commnniter dicuntur de fortuna, & caſu. Dicuntur eſſe cauſæ cęcæ, & ſine ratione, quia effectus earum, vtpotè raro ſequentes non præuidentur per diſcurſum rationis. Dicuntur inſtabiles in cauſando, quia cum producant effectus raró, quo pacto ſint ſtabiles in producendo ſimiles effectus? Dicuntur cauſę fallaces propter ſuam inſtabilitatem. Dicuntur indeterminatæ, quia eadem cauſa, quę per accidens producit vnum effectum, poteſt etiam producere effectum contrarium: idem ludus,

qui per accidens causat victoriam, paulò post per accidens causat iacturam.

Dico secundo: fortuna propriè dicta differt à casu tanquam species à genere, inferius à superiore. Fortuna quippe est *causa per accidens effectuum spectantium ad agentia, quæ operantur ex electione, & propriè possunt esse fortunata, vel infortunata.* Casus est *causa per accidens effectuum vtcunque.* Probatur ex sensu communi. Nam sola agentia electiua dicuntur fortunata, vel infortunata; ergo fortuna propriè est causa per accidens effectuum, vt spectantium ad agentia electiua.

Dico tertio: omnes effectus, qui sunt fortuiti, & casuales respectu causarum inferiorum, reducuntur ad aliquam causam superiorem, præuidentem, ordinantem, & intendentem, vel permittentem tales effectus, respectu cuius non sunt fortuiti, neque casuales, sed quodammodo fatales, tanquam, fati, ac præloquuti à tali causa.

Probatur, quia quod est fortuitum respectu alicuius causæ inferioris, sæpè non est fortuitum respectu causæ superioris, sed est ab illa præordinatum e. g. si quis mittat seruũ ad agrum fodiendũ in loco, in quo scit thesaurum latere, nõ manifestans seruo, quod thesaurus lateat in eo loco, inuentio thesauri erit fortuita res-

spe-

pectu serui, sed respectu Domini non erit fortuita, sed præordinata & intenta; sed Diuina prouidentia condens, ordinans, ac disponens mundum præuidit, ordinauit, intendit, vel permisit omnes effectus, qui sequuntur; ergo omnes effectus, qui sunt fortuiti, & casuales respectu causarum inferiorum, respectu Diuinæ prouidentiæ non sunt fortuiti, neque casuales, sed quodammodo fatales, tanquam à Deo fati, ac præloquuti. Licet autem nihil sit præter Diuinam præuisionem, tamen quędam sunt præter Diuinam intentionem, & respectu eorũ Deus est causa solum per accidens. Huiusmodi sunt peccata, quorum Deus non est causa per se, vt constat ex Concilio Tridentino, quia peccata non intendit, licet peccata nõ sequãtur casualiter, ac fortuito respectu Dei, quià Deus pręuidit peccata sequutura ex libero arbitrio. Respectu aliorum effectuum Deus est causa per se, quia omnes alios effectus vtpotè bonos Deus intendit, ita tamen, vt aliquos intendat primo, & nulla facta suppositione, alios intendat solum secundario, & ex suppositione peccati: e. g. Deus diuerso modo intendit salutem S. Petri, ac damnationem Iudæ; nam salutem S. Petri intendit primo, & per se, & dedit S. Petro gratiam, & auxilia, vt per

illa saluaretur; at damnationem Iudę non intendit primo, ac per se, immo potius primo, & per se intendit salutem Iudæ, ideoque dedit illi auxilia sufficientia, vt saluaretur, sed ex suppositione peccati, & impęnitentiæ finalis Iudæ voluit eius damnationem.

Dico quarto: plures effectus sunt fortuiti, & casuales etiam respectu Cæli, & Angelorum, ideòque causa quasi fatalis omnium effectuum non est Cælum, nec dispositio syderum, neque Angeli custodientes inferiora, sed sola Diuina prouidentia.

Probatur, quia Dæmon e. g. dum instigauit Iudæos ad mortem Christi, ex qua contra eius intentionem sequuta est redemptio generis humani, ac destructio diabolici regni, fuit causa fortuita redemptionis, ideòque facta redemptione, serò agnouit infortunium suum; similiter dum primos parentes impulit ad peccatum, fuit causa fortuita Incarnationis; & vniuersim tentans prædestinatos est ipsis causa fortuita coronæ, quam consequuntur ex victoria tentationum, Diuina prouidentia ità res ordinante, vt Dæmon respectu Christi, & prędestinatorum sit semper infortunatissimus, dum ex fine nocendi per accidens maximè illis prodest, & causat maxima bona, quæ propter

pter inuidiam sunt maxima Dæmonis infortunia. E conuerso Angeli boni possunt dici infortunati in custodia sibi commissorum, dum ex fine iuuandi per accidens nocent, & per custodiam, & per illuminationem, qua illis suadent, vt vitent malum, & faciant bonum, causant illis per accidens, & fortuito malum non præuisum grauioris damnationis, & pœnę maioris, quam merentur per contemptum, & abusum Angelicarum illuminationum. Cęlum etiam cum tonat, e. g. potest casualiter causare salutem ęternam alicuius, si salubri terrore concussus confiteatur peccata sua, & paulò post moriens consequatur salutem: potest etiam per accidens causare alios effectus bonos, aut malos.

Addit optimè S. Thomas 3. contra gentes cap. 92. & prima parte quæst. 116. art. 1. quod hæc est differentia inter intellectum, & causas naturales, quod actio naturæ ordinatur ad vnum, ideoque nullum principium naturale potest esse causa per se alicuius effectus, qui sit vnum merè per accidens: e. g. non potest dari causa naturalis per se, vt quis fodiens sepulcrum inueniat thesaurum, vel quod ambulante Socrate, coruscet, quià tales effectus sunt vnum merè per accidens. E conuerso intellectus potest per cogni-

tionem ordinare ea, quæ sunt vnum per accidens, e. g. potest ordinare fossionem sepulcri, & inuentionem thesauri, ambulationem Socratis, & coruscationem Cœli, & sicut potest hęc simul cognoscere, sic potest hæc intendere, & causare per se, eo pacto, quo quis potest fodere sepulcrum ad inueniendum thesaurum; ergo effectus fortuiti, & casuales, qui sunt solum vnum per accidens, non possunt reduci tanquam in causam per se in Cœlum, quod est agens merè naturale, sed debent reduci ad aliquem intellectum: & quia intellectus perfectior essentialiter est magis ordinatiuus, quam minus perfectus, ideò quidam effectus, qui sunt fortuiti respectu causarum, & intellectuum inferiorum, reducuntur tanquam in causam per se, & quasi fatalem ad Diuinum intellectum; ergo sola Diuina prouidentia est causa quasi fatalis intendens, vel permittens ex perfectissima preuisione omnes effectus.

Colligit S. Thomas, quod potest aliquis esse fortunatus, vel infortunatus ex actione causæ superioris, cum à tali causa inclinatur ad actionem, ex qua fortuito consequitur aliquod bonum: e. g. si quis iter faciens ex actione solis nimis calefacientis inclinatur ad ingrediendam speluncam, vt vitet æstum, & ibi inuenit the-

thesaurum, est fortunatus ex impressione corporis cœlestis. Si ab Angelo, vel à Deo inclinetur ad eligendum vtile, cuius causam ignorat, est fortunatus ex illuminatione Angelica, vel inspiratione Diuina. Diuerso tamen modo inclinatur nostra voluntas ad electiones à Cœlo, Angelis, ac Deo. Nam à Cœlo inclinatur solum indirectè alterando corpus, cum Cœlum vtpotè materiale, non possit directè agere in animam spiritualem, illam inclinando ad electionem. Ab Angelo inclinatur per solam illuminationem, quia Angelus potest quidem instruere, & illuminare intellectum, non autem immediatè mouere voluntatem. A solo Deo inclinatur mouendo voluntatem, quia solus Deus vt potè Dominus potest mouere volutatem prout voluerit.

Dico quinto: datur fatum in sensu, in quo definitur à Boetio lib. 4. de consolatione *inherens rebus mobilibus dispositio, per quam prouidentia suis queque nectit ordinibus*. Probatur, quia fatum, vt nomen sonat, est dispositio omnium rerum ab æterno dicta, & præloquuta ab aliquo supremo intellectu; sed verè datur dispositio certa omnium rerum ab ęterno dicta, & præloquuta à Diuino intellectu, & à Diuina prouidentia cuncta dispo-

nente, & conectente certis ordinibus; ergo datur fatum, & bene definitur definitione Boetij: & qui negat fatum in hoc sensu, negat Diuinam prouidẽtiam, vt de Tullio refert S. Augustinus lib. 5. de Ciuitate cap. 9. Quia tamen Hęretici Priscillianistæ, & alij nomine fati intellexerũt dispositionem omnium rerum, & euentum necessario consequentem ad impressionem Cœli, & dispositionem stellarum, sub qua quisque natus est, ideo Doctores Sacri vti recusarunt hoc nomine. Vnde S. Gregorius dixit, *absit à fidelium mentibus, vt fatum esse aliquid credant*. Et S. Augustinus lib. 5. de Ciuitate ca. 9. *Si propterea quisquam res humanas fato tribuerit, quia ipsam Dei voluntatem, vel potentiam fati nomine appellat; sententiam teneat, & linguam corrigat*. Videri potest S. Thomas 3. contra gentes cap. 74. & 93. & prima parte disp. 106.

Ad 1. Dictum est, quod nihil est fortuitũ, vel casuale respectu Dei, sed multa sunt fortuita, & casualia respectu causarum secundarum, etiam respectu Cœli, & Angelorum. Verum igitur est Aristotelis dictum: *vbi multum fortunæ parum est intellectus*. Ideo diuinus intellectus quia est perfectissimus, & omnia pręuidet, nihil operatur ex fortuna, sed omnia ex prouidentia; intellectus Ange-

gelicus in quantum deficit à perfectione, non prǫuidendo quosdam euentus, potest quędam operari ex fortuna; multo plura operatur ex fortuna intellectus humanus, quia plura accidunt illi impręuisa, & ex hominibus, qui minus sunt intelligentes, ac pręuidentes, plura agunt ex fortuna.

Ad 2. Distinguo maiorem, quod non est fortuitum respectu ordinantis, neque est fortuitum respectu ordinati habentis alium finem manifestum, nego; non habentis alium finem manifestum, transeat; distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Sagitta dum mouetur non habet alium finem manifestum, quam finem sagittarij, ideo finis sagittarij non potest esse fortuitus sagittę. At tegula decidens deorsum ex tecto, & occidens hominem, habet alium finem manifestum, quam occisionem, qui finis est centrum, ideo occisio est fortuita, & casualis respectu tegulę. Explicatur exemplo. Si quis mittat seruum ad fodiendum in loco, vbi scit thesaurum latere, non manifestans seruo, quod thesaurus lateat, si talis fossio facta à seruo sit facta ad alium finem manefestum, quam inuentionem thesauri, e. g. ad plantationem arboris, inuentio thesauri esset fortuita respectu serui; at si non habeat alium fi-

nem manifestum, sed solum appareat, quod fodit propter finem, quem dominus intendit, non erit fortuita inuentio thesauri. Sic in casu nostro.

Ad 3. Distinguo maiorem; effectus, qui oriuntur necessario ex combinatione causarum combinatarum per se, non sunt fortuiti, concedo maiorem; combinatarum merè per accidens, sed rarò, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ista combinatio, quod nunc tegula decidat, & Petrus transeat, est combinatio merè per accidens, quæ non potest per se intendi ab alia causa, quam ab intellectu. Ideò, licet ex hac combinatione necessariò sequatur mors *Petri*, tamen talis mors est fortuita, & casualis, non quidem respectu combinationis, sed respectu tegulę decidentis. Tegula enim sicut per accidens coniungitur cum transitu Petri, ita per accidens, & casualiter causat mortem Petri. Non solum igitur effectus sunt fortuiti, & casuales, secundum opinionem, in quantum nos illos præuidere non possumus, sed etiam secundum veritatem, in quantum oriuntur per accidens, & rarò ex combinationibus accidentalibus. Idem dic ad alias similes instantias.

Ad 4. Dictum est in definitione fortunę,

tunæ, quod eſt cauſa effectus non intenti cum probabili præuiſione. Victoria igitur in ludo alearum eſt fortuita, quia licet intendatur, tamen non intenditur cum, probabili præuiſione: & vniuerſim effectus eo magis eſt fortuitus, quo minus eſt præuiſus.

Ad 5. Fortuna verſatur circa contingentia. Dico autem, quod datur duplex contingentia. Prima fundatur in cauſæ perfectione: ſecunda in cauſæ imperfectione. Contingentia fundata in cauſæ imperfectione eſt, per quam effectus ideò poteſt eſſe, quia cauſa poteſt liberè ſe determinare ad effectum ponendum, vel nõ ponendum, prout voluerit. Contingentia fundata in cauſæ imperfectione eſt, per quam effectus ideò poteſt eſſe, & non eſſe, quia licet cauſa illum intendat, conetur producere, & faciat quantum poteſt ad producendum, tamen poteſt ab eius productione in aliquo caſu raro impediri. E. g. eſt contingens, quod homo non generet hominem, ſed monſtrum, quià poteſt homo in aliquo caſu impediri rarò à generatione hominis, ac determinari ad generationem monſtri, licet intendat producere hominem. Contingentia primi generis datur ſolum in effectibus liberis, & ſolet vocari contingentia ad vtrumlibet, quià cauſa poteſt eli-

 gere

ere effectum, vel eius negationem prout ibuerit. Contingentia secundi generis latur etiam in effectibus naturalibus respectu causarum naturalium, & non liberarum. E g. licet Cœlum naturaliter moueatur circulariter, & ignis naturaliter moueatur sursum, tamen quod Cœlum moueatur circulariter, non est contingens, sed necessarium, quià Cælum est causa ita perfecta, vt non possit naturaliter impediri, nè circulariter moueatur; at quod ignis sursum ascendat est contingens, quia ignis est causa ascendendi ita imperfectà, vt possit impediri ab ascensu. Fortuna, & casus versantur circa contingentia, & sunt causa eorum, quæ rarò contingunt.

Ad 6. De monstris dico, quod monstra solent esse effectus casuales, quia causæ naturales dum impediuntur per accidens ab effectibus per se, producunt monstra non plerumque, sed raro. Dum opponitur: dantur causæ certæ, & determinatæ monstrorum; ergo monstra sunt effectus naturales; distinguo antecedens; dantur causæ certæ, quæ consistunt in accidentali combinatione, concedo antecedens: dantur causæ certæ, quæ sunt entia per se, nego antecedens; & nego consequentiam. Causæ monstrorum solent esse combinationes per accidens, ideoque

quę monstra raro nascuntur, & sunt casualia. Potest autem monstrum definiri ex Aristotele 2. phys. tex. 162. *Peccatum naturæ agentis propter aliquem finem, quo frustratur, aliquo principio corrupto, vel confuso*, seu *vitium naturæ deficientis à fine suo ob aliquod impedimentum, raró contingens*: & ex eodē Aristotele lib. de generatione animalium; *Oblęsio rei præter eius naturam, in ijs, quæ non semper, sed vt plurimum agunt eodem modo.* Causę monstrorum solent esse primo materiæ redundantia, vel defectus. Ita aliquando nascitur homo cum tribus brachijs ex redundantia materiæ; alius cum vnico brachio propter materiæ defectum. Secunda confusio, & permixtio seminum. Tertia vitium virtutis formatiuæ, vt cum ex parente claudo nascitur filius claudus. Quarta excessus, aut defectus caloris, vel frigoris, & incongruum temperamentum. Quinto peruersitas loci, in quo fœtus concipitur, & alia huiusmodi.

Ad 7. Iam dictum est, quod quia Hęretici abusi sunt nomine fati ad significandam necessitatem inductam in euentus à syderum dispositione, ideo secundum doctrinam Sanctorum Augustini, & Gregorij fatum non est absolutè concedendum, sed cum addito exprimente, quod admittitur, in quantum est series,

&

& dispositio rerum à diuina prouidentia inducta, & per hoc patet ad primam obiectionem ex Auctoritate S. Gregorij. Ad secundam ex eo, quod omnia eueniunt necessitate fatali, adeoque nihil est contingens, vel liberum, neque fortuitum, distinguo antecedens; omnia eueniunt necessitate fatali, quæ sit necessitas consequens, ex suppositione, & impedibilis, concedo; ex necessitate fatali antecedenti, & inimpedibili, nego; & nego consequentiam. Sicut dictum est in logica in Quæst. de futuris contingentibus, Diuina scientia, & prouidentia non tollit libertatem, & contingentiam effectuum, quia non inducit necessitatem antecedentem, sed consequentem, & impedibilem à causis secundis. Ex eadem ratione non tollit fortunam, & casum: e. g. contingens est, & casuale, quod homo aliquando generet monstrum, quia Diuina prouidentia disponit, vt homo ità generet hominem plerumque, vt aliquando possit impediri à generatione hominis, ac determinari ad generandum monstrum. Dum opponitur, quia fatum neque potest esse in craturis, neque in Deo, dico, quod fatum potest sumi dupliciter, passiuè, & actiuè. Fatum passiuè est dispositio, ac series rerum dicta, & præloquuta, à Diuina prouidentia:

fa-

fatum actiuè est ipsa præloquutio, qua prouidentia dicit, ac decernit dispositionem rerum. Fatum passiuè est in creaturis, vt patet, ideòque definitur à Boetio *dispositio inhærens rebus mobilibus*; talis autem dispositio aliquo pacto est immobilis, in quantum non potest dimoueri ab ordine dicto à Diuina prouidentia, iuxta illud, *Verba mea non præteribunt*, licet sit mobilis, in quantum hoc ipsum est dictum, & prædefinitum à prouidentia, quod res se habeant nunc vno modo, nunc altero, adeoque moueantur. Fatum actiuè est in Deo, cum sit ipsa prçloquutio, ac prçdefinitio, vel permissio, qua Diuina Prouidentia cuncta disponit ab çterno; & de hoc fato actiuo loquitur Augustinus dicens, fatum posse vocari Dei voluntatem, ac potentiam. Hoc fatum actiuum est vnicum, & est vniuersalis causa omnium rerum. Fatum verò passiuum est multiplex, & causatum, cum dispositio inhçrens rebus mobilibus sit multiplex, & causata; ideoque dixit Poeta, *te tua fata trahunt*, loquens de multiplici fato passiuo.



QVAE-

QVAESTIO XVIII.

Vtrum Ideæ dentur, & sint causæ.

VIdetur quod Ideę non dentur, vel si dantur, dentur solum in artifice creato, & imperfecto, non autem in Deo, 1. quia Idea est similitudo, quam respiciens artifex imitatur; sed solus artifex imperfectus indiget his similitudinibus, atque exemplaribus ad imitandum; e. g. qui adhuc est imperfectus in arte scribendi, & discit scribere, indiget exemplari magistri, ad quod respiciens operetur, illud imitando; Pictores etiam imperfecti imitantur exemplaria pictorum perfectorum, idemque dic de cęteris; qui vero sunt perfecti in artibus, nullis indigent exemplaribus, quæ imitentur, sed potius ipsi constituunt exemplaria imitanda ab artificibus imperfectis; ergo Deus, qui est artifex pręstantissimus, & perfectissimus, nullam in opere suo imitatur Ideam, sed ipse condit Ideam, & exemplar absolutissimum, quod imitentur alij artifices.

2. Ideę ponuntur solum ad hoc, vt per ipsas,

ipsas, tanquam per imagines, & simili tudines cognoscantur ab artifice res fa ciendę: e. g. Idea domus, aut templi quę vocatur *modulus*, ponitur solum a hoc, vt per ipsam tanquam per imagi nem, & similitudinem Architectus co gnoscat, & habeat ob oculos domum aut templum faciendum; sed Deus co gnoscit omnes res faciendas in se ipsis & non per imagines, ac similitudines ergo respectu Dei non dantur Ideæ.

3. Si Deus operaretur ex Idea, sicu facit res diuersas, deberet habere diuer sas Ideas rerum; e.g. sicut homo differt a equo, sic Idea hominis differre debere ab Idea equi; sed repugnat diuinę sim plicitati, ac perfectioni, quod Deus ha beat diuersas Ideas, sicut repugnat, quo habeat diuersas artes, ac diuersas scien tias; ergo Deus non operatur ex Idea

4. Non potest explicari vtrum Ide sit obiectum ipsum prout cognitum, v docet Scotus cum Scotistis, quos sequi tur Arriaga disp. 8. phy. sect. 8. an po tius idea sit cognitio, vt cum Thomisti allegantibus S. Thomam docet Suariu disp. 25 Metaphy. sect. 5. Ex vna part videtur, quod Idea sit obiectum, e. g quod cum artifex facit domum imitan illam domum idealem, quam habet in mente, ipsa domus cognita sit Idea. E

alia

tionem ordinare ea, quæ sunt vnum per accidens, e. g. potest ordinare fossionem sepulcri, & inuentionem thesauri, ambulationem Socratis, & coruscationem Cœli, & sicut potest hęc simul cognoscere, sic potest hæc intendere, & causare per se, eo pacto, quo quis potest fodere sepulcrum ad inueniendum thesaurum; ergo effectus fortuiti, & casuales, qui sunt solum vnum per accidens, non possunt reduci tanquam in causam per se in Cœlum, quod est agens merè naturale, sed debent reduci ad aliquem intellectum: & quia intellectus perfectior essentialiter est magis ordinatiuus, quam minus perfectus, ideò quidam effectus, qui sunt fortuiti respectu causarum, & intellectuum inferiorum, reducuntur tanquam in causam per se, & quasi fatalem ad Diuinum intellectum; ergo sola Diuina prouidentia est causa quasi fatalis intendens, vel permittens ex perfectissima preuisione omnes effectus.

Colligit S. Thomas, quod potest aliquis esse fortunatus, vel infortunatus ex actione causæ superioris, cum à tali causa inclinatur ad actionem, ex qua fortuito consequitur aliquod bonum: e. g. si quis iter faciens ex actione solis nimis calefacientis inclinatur ad ingrediendam speluncam, vt vitet æstum, & ibi inuenit the-

theſaurum, eſt fortunatus ex impreſſione corporis cœleſtis. Si ab Angelo, vel à Deo inclinetur ad eligendum vtile, cuius cauſam ignorat, eſt fortunatus ex illuminatione Angelica, vel inſpiratione Diuina. Diuerſo tamen modo inclinatur noſtra voluntas ad electiones à Cœlo, Angelis, ac Deo. Nam à Cœlo inclinatur ſolum indirectè alterando corpus, cum Cœlum vtpotè materiale, non poſſit directè agere in animam ſpiritualem, illam inclinando ad electionem. Ab Angelo inclinatur per ſolam illuminationem, quia Angelus poteſt quidem inſtruere, & illuminare intellectum, non autem immediatè mouere voluntatem. A ſolo Deo inclinatur mouendo voluntatem, quia ſolus Deus vt potè Dominus poteſt mouere volutatem prout voluerit.

Dico quinto: datur fatum in ſenſu, in quo definitur à Boetio lib. 4. de conſolatione *inherens rebus mobilibus diſpoſitio, per quam prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus*. Probatur, quia fatum, vt nomen ſonat, eſt diſpoſitio omnium rerum ab æterno dicta, & præloquuta ab aliquo ſupremo intellectu; ſed verè datur diſpoſitio certa omnium rerum ab ęterno dicta, & præloquuta à Diuino intellectu, & à Diuina prouidentia cuncta diſpo-

nente, & conectente certis ordinibus; ergo datur fatum, & bene definitur definitione Boetij: & qui negat fatum in hoc sensu, negat Diuinam prouidētiam, vt de Tullio refert S. Augustinus lib. 5. de Ciuitate cap. 9. Quia tamen Hęretici Priscillianistæ, & alij nomine fati intellexerūt dispositionem omnium rerum, & euentum necessario consequentem ad impressionem Cœli, & dispositionem stellarum, sub qua quisque natus est, ideo Doctores Sacri vti recusarunt hoc nomine. Vnde S. Gregorius dixit, *absit à fidelium mentibus, vt fatum esse aliquid credant*. Et S. Augustinus lib. 5. de Ciuitate ca. 9. *Si propterea quisquam res humanas fato tribuerit, quia ipsam Dei voluntatem, vel potentiam fati nomine appellat; sententiam teneat, & linguam corrigat*. Videri potest S. Thomas 3. contra gentes cap. 74. & 93. & prima parte disp. 106.

Ad 1. Dictum est, quod nihil est fortuitū, vel casuale respectu Dei, sed multa sunt fortuita, & casualia respectu causarum secundarum, etiam respectu Cœli, & Angelorum. Verum igitur est Aristotelis dictum: *vbi multum fortunæ parum est intellectus*. Ideo diuinus intellectus quia est perfectissimus, & omnia pręuidet, nihil operatur ex fortuna, sed omnia ex prouidentia; intellectus Ange-

gelicus in quantum deficit à perfectione, non prçuidendo quosdam euentus potest quçdam operari ex fortuna; multo plura operatur ex fortuna intellectus humanus, quia plura accidunt illi imprçuisa, & ex hominibus, qui minus sunt intelligentes, ac prçuidentes, plura agunt ex fortuna.

Ad 2. Distinguo maiorem, quod non est fortuitum respectu ordinantis, neque est fortuitum respectu ordinati habentis alium finem manifestum, nego; non habentis alium finem manifestum, transeat: distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Sagitta dum mouetur non habet alium finem manifestum, quam finem sagittarij, ideo finis sagittarij non potest esse fortuitus sagittç. At tegula decidens deorsum ex tecto, & occidens hominem, habet alium finem manifestum, quam occisionem, qui finis est centrum, ideo occisio est fortuita, & casualis respectu tegulç. Explicatur exemplo. *Si* quis mittat seruum ad fodiendum in loco, vbi scit thesaurum latere, non manifestans seruo, quod thesaurus lateat si talis fossio facta à seruo sit facta ad alium finem manefestum, quam inuentionem thesauri, e. g. ad plantationem arboris, inuentio thesauri esset fortuita respectu serui; at si non habeat alium fi-

nem manifestum;, sed solum appareat, quod fodit propter finem, quem dominus intendit, non erit fortuita inuentio thesauri. Sic in casu nostro.

Ad 3. Distinguo maiorem; effectus, qui oriuntur necessario ex combinatione causarum combinatarum per se, non sunt fortuiti, concedo maiorem; combinatarum merè per accidens, sed raró, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ista combinatio, quod nunc tegula decidat, & Petrus transeat, est combinatio merè per accidens, quæ non potest per se intendi ab alia causa, quam ab intellectu. Ideò, licet ex hac combinatione necessariò sequatur mors *Petri*, tamen talis mors est fortuita, & casualis, non quidem respectu combinationis, sed respectu tegulę decidentis. Tegula enim sicut per accidens coniungitur cum transitu Petri, ita per accidens, & casualiter causat mortem Petri. Non solum igitur effectus sunt fortuiti, & casuales, secundum opinionem, in quantum nos illos præuidere non possumus, sed etiam secundum veritatem, in quantum oriuntur per accidens, & raró ex combinationibus accidentalibus. Idem dic ad alias similes instantias.

Ad 4. Dictum est in definitione fortune,

tunæ, quod eſt cauſa effectus non intenti cum probabili præuiſione. Victoria igitur in ludo alearum eſt fortuita, quia licet intendatur, tamen non intenditur cum, probabili præuiſione: & vniuerſim effectus eo magis eſt fortuitus, quo minus eſt præuiſus.

Ad 5. Fortuna verſatur circa contingentia. Dico autem, quod datur duplex contingentia. Prima fundatur in cauſæ perfectione: ſecunda in cauſæ imperfectione. Contingentia fundata in cauſæ imperfectione eſt, per quam effectus ideò poteſt eſſe, quia cauſa poteſt liberè ſe determinare ad effectum ponendum, vel nō ponendum, prout voluerit. Contingentia fundata in cauſæ imperfectione eſt, per quam effectus ideò poteſt eſſe, & non eſſe, quia licet cauſa illum intendat, conetur producere, & faciat quantum poteſt ad producendum, tamen poteſt ab eius productione in aliquo caſu raro impediri. E. g. eſt contingens, quod homo non generet hominem, ſed monſtrum, quià poteſt homo in aliquo caſu impediri rarò à generatione hominis, ac determinari ad generationem monſtri, licet intendat producere hominem. Contingentia primi generis datur ſolum in effectibus liberis, & ſolet vocari contingentia ad vtrumlibet, quià cauſa poteſt eli-

ere effectum, vel eius negationem prout ibuerit. Contingentia secundi generis latur etiam in effectibus naturalibus respectu causarum naturalium, & non liberarum. E g. licet Cœlum naturaliter moueatur circulariter, & ignis naturaliter moueatur sursum, tamen quod Cœlum moueatur circulariter, non est contingens, sed necessarium, quià Cælum est causa ita perfecta, vt non possit naturaliter impediri, nè circulariter moueatur; at quod ignis sursum ascendat est contingens, quia ignis est causa ascendendi ita imperfectà, vt possit impediri ab ascensu. Fortuna, & casus versantur circa contingentia, & sunt causa eorum, quæ raro contingunt.

Ad 6. De monstris dico, quod monstra solent esse effectus casuales, quia causæ naturales dum impediuntur per accidens ab effectibus per se, producunt monstra non plerumque, sed raro. Dum opponitur: dantur causæ certæ, & determinatæ monstrorum; ergo monstra sunt effectus naturales; distinguo antecedens; dantur causæ certæ, quæ consistunt in accidentali combinatione, concedo antecedens: dantur causæ certæ, quæ sunt entia per se, nego antecedens; & nego consequentiam. Causæ monstrorum solent esse combinationes per accidens, ideoque

que monstra raro nascuntur, & sunt casualia. Potest autem monstrum definiri ex Aristotele 2. phys. tex. 162. *Peccatum naturæ agentis propter aliquem finem, quo frustratur, aliquo principio corrupto, vel confuso,* seu *vitium naturæ deficientis à fine suo ob aliquod impedimentum, raro contingens*: & ex eodẽ Aristotele lib. de generatione animalium; *Oblæsio rei præter eius naturam, in ijs, quæ non semper, sed vt plurimum agunt eodem modo.* Causę monstrorum solent esse primo materiæ redundantia, vel defectus. Ita aliquando nascitur homo cum tribus brachijs ex redundantia materiæ; alius cum vnico brachio propter materiæ defectum. Secunda confusio, & permixtio seminum. Tertia vitium virtutis formatiuæ, vt cum ex parente claudo nascitur filius claudus. Quarta excessus, aut defectus caloris, vel frigoris, & incongruum temperamentum. Quinto peruersitas loci, in quo fœtus concipitur, & alia huiusmodi.

Ad 7. Iam dictum est, quod quia Hęretici abusi sunt nomine fati ad significandam necessitatem inductam in euentus à syderum dispositione, ideo secundum doctrinam Sanctorum Augustini, & Gregorij fatum non est absolutè concedendum, sed cum addito exprimente, quod admittitur, in quantum est series,

&

& diſpoſitio rerum à diuina prouidentia inducta, & per hoc patet ad primam obiectionem ex Auctoritate S. Gregorij. Ad ſecundam ex eo, quod omnia eueniunt neceſſitate fatali, adeoque nihil eſt contingens, vel liberum, neque fortuitum, diſtinguo antecedens; omnia eueniunt neceſſitate fatali, quæ ſit neceſſitas conſequens, ex ſuppoſitione, & impedibilis, concedo; ex neceſſitate fatali antecedenti, & inimpedibili, nego; & nego conſequentiam. Sicut dictum eſt in logica in Quæſt. de futuris contingentibus, Diuina ſcientia, & prouidentia non tollit libertatem, & contingentiam effectuum, quia non inducit neceſſitatem antecedentem, ſed conſequentem, & impedibilem à cauſis ſecundis. Ex eadem ratione non tollit fortunam, & caſum: e. g. contingens eſt, & caſuale, quod homo aliquando generet monſtrum, quia Diuina prouidentia diſponit, vt homo ità generet hominem plerumque, vt aliquando poſſit impediri à generatione hominis, ac determinari ad generandum monſtrum. Dum opponitur, quia fatum neque poteſt eſſe in craturis, neque in Deo, dico, quod fatum poteſt ſumi dupliciter, paſſiuè, & actiuè. Fatum paſſiuè eſt diſpoſitio, ac ſeries rerum dicta, & præloquuta, à Diuina prouidentia:
fa-

fatum actiuè est ipsa præloquutio, quā prouidentia dicit, ac decernit dispositionem rerum. Fatum passiuè est in creaturis, vt patet, ideòque definitur à Boetio *dispositio inhærens rebus mobilibus*; talis autem dispositio aliquo pacto est immobilis, in quantum non potest dimoueri ab ordine dicto à Diuina prouidentia, iuxta illud, *Verba mea non præteribunt*, licet sit mobilis, in quantum hoc ipsum est dictum, & prædefinitum à prouidentiā, quod res se habeant nunc vno modo, nunc altero, adeoque moueantur. Fatum actiuè est in Deo, cum sit ipsa præloquutio, ac prędefinitio, vel permissio, quā Diuina Prouidentia cuncta disponit ab ęterno; & de hoc fato actiuo loquitur Augustinus dicens, fatum posse vocari Dei voluntatem, ac potentiam. Hoc fatum actiuum est vnicum, & est vniuersalis causa omnium rerum. Fatum verò passiuum est multiplex, & causatum, cum dispositio inhęrens rebus mobilibus sit multiplex, & causata; ideoque dixit Poeta, *te tua fata trahunt*, loquens de multiplici fato passiuo.



QVAE-

ipsas, tanquam per imagines, & simili tudines cognoscantur ab artifice res fa ciendę: e. g. Idea domus, aut templi quę vocatur *modulus*, ponitur solum a hoc, vt per ipsam tanquam per imagi nem, & similitudinem Architectus co gnoscat, & habeat ob oculos domum aut templum faciendum; sed Deus co gnoscit omnes res faciendas in se ipsis & non per imagines, ac similitudines ergo respectu Dei non dantur Ideæ.

3. Si Deus operaretur ex Idea, sicu facit res diuersas, deberet habere diuer sas Ideas rerum; e.g. sicut homo differt a equo, sic Idea hominis differre debere ab Idea equi; sed repugnat diuinę sim plicitati, ac perfectioni, quod Deus ha beat diuersas Ideas, sicut repugnat, quo habeat diuersas artes, ac diuersas scien tias; ergo Deus non operatur ex Idea

4. Non potest explicari vtrum Ide sit obiectum ipsum prout cognitum, v docet Scotus cum Scotistis, quos sequi tur Arriaga disp. 8. phy. sect. 8. an po tius idea sit cognitio, vt cum Thomisti allegantibus S. Thomam docet Suariu disp. 25. Metaphy. sect. 5. Ex vna part videtur, quod Idea sit obiectum, e. g quod cum artifex facit domum imitan illam domum idealem, quam habet in mente, ipsa domus cognita sit Idea. E

alia

alia parte videtur, quod Idea non possit esse obiectum, alioquin domus facta imitaretur se ipsam, quæ cognoscebatur; ergo videtur, quod Idea potius sit cognitio.

5 Si detur Idea, deberet esse causa; sed non potest reduci ad vllam ex quatuor generibus causarum numeratarum ab Aristotele; ergo ponendum esset quintum genus causæ.

6. Si Idea esset causa, deberet causare per propriam causalitatem; sed non potest explicari causalitas Ideę; ergo Idea non est causa.

Respondeo Ideam gręcè idem significare, ac formam latinè. Triplex autem est forma, vt docet S Thomas in quęstionibus de veritate quęst. 3. art. 1. Prima est forma, à qua aliquid formatur; e. g. forma agentis, à qua formatur effectus, cum agens per suam formam format effectum, eo pacto, quo sól per suam lucem illuminat aerem, atque adeò format aerem lucidum. Secunda est forma, per quam aliquid intrinsecè formatur; ita anima est forma hominis, figura est forma cerę; quia & homo formatur intrinsecè per animam, & cera formatur intrinsecè per figuram. Tertia est forma ad cuius imitationem aliquid formatur, & hæc sola est forma exemplaris, & simpli-

pliciter dicitur Idea. Porrò ad Idea[m] non sufficit, quod sit id, ad cuius simili tudinem aliud formatur per accidens casualiter, & pręter intentionem agen tis, sed requiritur, vt sit id, ad cuius si mi litudinem aliud formatur per se, & ex intentione agentis; e. g si *Pictor* ex primat Petrum non intendens illum ex primere, Petrus non erit exemplar, & idea talis picturę. Pręterea non suffici ad Ideam, quod sit id, ad cuius similitu dinem aliud fit ab agente non determi nante sibi talem finem, sed solum dire cto, & ordinato ad finem à superiore or dinante; e. g. licet equus producat aliun equum sibi similẽ in specie, adhuc equu generans non est Idea equi geniti, qui equus generans non determinat sibi fi nem, sed dirigitur ad finem à Deo su premo ordinante, vt dictum est Qu. 16.

Hinc primo colligitur integra defini tio exemplaris, & Ideę. Idea enim e[st] *forma, ad cuius imitationẽ aliquid fit per se, & ex intentione ab agente sibi determinãte finẽ* E. g. cum Pictor facit imaginem Petri Petrus est Idea, & exemplar talis ima ginis, quia talis imago fit ad imitatio nem Petri ex intentione à *Pictore* de terminante sibi hunc finem Petrum ex primendi.

Secũdo colligitur dari, & esse necessa

rias

rias ideas in quolibet artifice tum creato, tum increato. Ratio est, quia omnis artifex dum facit opus suum non casualiter, sed ex arte, habet pro fine ipsum opus artificiatum, & formam ipsius: E. g. cum architectus facit domum ex arte habet pro fine domum, & formam eius; sed non potest habere pro fine domum, nisi intelligibiliter habeat in mente domum, & eius formam, quam imitetur, conformans domum exteriorem domui Ideali pręcognitę: domus autem existens intelligibiliter in mēte artificis est idea; ergo dantur, & sunt necessariæ ideę in quolibet artifice, ac proinde Deus, sicut est artifex perfectissimus, & produxit mundum, & omnes creaturas ex intētione, ita habet intelligibiliter in mente ideas perfectissimas omnium creaturarum.

Tertio colligitur differentia inter agentia purè naturalia, & agentia artificialia. Agentia purè naturalia sunt, quę operantur secundum formam, quam habent in se ipsis purè naturaliter, & physicè. Agentia artificialia, quatenus artificialia operantur ex forma, quam habent in se ipsis intelligibiliter in mente. E. g. cum sol illuminat, illuminat ex luce, quam habet in se ipso purè naturaliter, & physicè: at cum Architectus facit

cit templum, facit illud ex templo, quod habet in se ipso, & in sua mente intelligibiliter, ideoque conformat templum reale templo intelligibili, quod habet in intellectu.

Ad 1. Agens imperfectum quia non potest formare ideam internam operis, nisi iuuetur ab aliquo exteriori, ideo indiget aliqua idea exteriori. E. g. scriptor imperfectus quia non potest formare ideam internam litterarum formandarum exterius, nisi iuuetur litteris externis positis ob oculos, idcircò indiget exemplari externo, quo iuuetur, & quod imitetur. Idem dic de Pictore imperfecto, de Architecto imperfecto, ac de alijs artificibus imperfectis. At artifex perfectus, quià potest ex se, & ex vi sui intellectus sine exteriori auxilio formare ideam operis, ideò non indiget vllo exéplari, vel modulo exteriori. Deus quia est perfectissimus intellectus, & perfectissimus artifex vi sua sine vllo externo auxilio habet perfectissimas ideas omnium rerum, & tales ideas existentes in mente diuina imitatur per opera exteriora. Quod verò non possit operari, nisi respiciat Ideas ab ipso vi sua habitas, non spectat ad imperfectionem, sed ad perfectionem, per quam non potest operari, nisi vt artifex perfectissimus.

Ad

Ad 2. Concedo maiorem, quod Ideæ ponantur, vt per ipsas tanquam per similitudines habentes rationem obiecti formalis cognoscantur res faciendæ; & nego minorem, quod Deus cognoscat res faciendas per res ipsas tanquam per obiectum formale. Obiectum enim formale est ratio aliquid cognoscendi; sed Deus non habet rationem cognoscendi creatam, sed vnica ratio, cur omnia cognoscat est diuina essentia; ergo Diuina essentia est vnicum obiectum formale, per quod Deus omnia cognoscit, & tam est absurdum, quod Deus habeat creatam rationem cognoscendi, quam quod creaturæ sint obiectum formale Diuinæ cognitionis. Diuina igitur essentia est prima, & vniuersalis ratio, ac primum obiectum formale cognoscendi omnes veritates, & prima, & vniuersalis similitudo omnium rerum, ideoque Diuinus intellectus cognoscit omnes res faciendas per Diuinam essentiam, tanquam per similitudinem ipsarum. Dum opponitur: perfectius res cognoscitur in se ipsa tanquam in obiecto formali, quam in obiecto formali distincto; Deus cognosceret res faciendas in obiecto formali distincto à rebus; ergo cognosceret imperfectè: distinguo maiorem; perfectius res cognoscitur in se ipsa, quam in obiecto

for-

formali distincto, in quo non continetur adæquatè, transeat; in quo continetur adequatè, nego; distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Cum res continetur in aliquo distincto adæquatissimè tunc potest in illo perfectissimè cognosci; & quia res omnes continentur perfectissimè in essentia Diuina, ideò res omnes possunt perfectissimè cognosci in Diuina essentia. Immo quia res sunt in essentia Diuina modo quodam excellentiori, & eminentiori, quam in se ipsis, ideò per essentiam Diuinam cognoscuntur excellentius, & perfectius, quam per se ipsas. E conuerso quia nulla creatura perfectissimè continetur in alia creatura, ideo nulla creatura potest perfectissimè cognosci per aliam creaturam tanquam per obiectum formale.

Ad 3. Deus cognoscit plura opera facienda per ideas, quæ terminantur ad plura, ideoque per plures Ideas terminatiuè, & repræsentatiuè; at. similitudo, quæ terminatur ad plura, est vnica essentia Diuina; ergo Idea est formaliter vnica. Non autem repugnat quod aliquid perfectissimè vnicum, & simplex sit repræsentatiuum plurium, immò hoc spectat ad summam simplicitatem, per quam plura coadunantur in vno simplicissimo.

Ad

Ad 4. Dico, quod idea materialiter, &, *vt quod* est ipsum obiectum cognitum, idea verò formaliter, & *vt quo* est ipsa cognitio. Ratio est, quia idea materaliter, & denominatiuè est id, quod denominatur idea, quam artifex imitatur; sed obiectum est id, quod denominatur idea, quam artifex imitatur, e. g. domus cognita est exẽplar, quod Architectus imitatur, & cui conatur conformare domum exteriorem; ergo idea materialiter, & *vt quod* est ipsum obiectum cognitum. E conuerso idea formaliter, & *vt quo* est id, per quod obiectum constituitur formaliter in ratione ideæ imitabilis ab agente faciente suum opus; sed obiectum per cognitionem constituitur idea imitabilis ab artifice faciente suum opus; ergo cognitio est idea formaliter, & *vt quo*. Addo, quod cum cognitio continet totam perfectionem operis faciendi non solum intelligibiliter, sed realiter, & substantialiter, tum cognitio est idea non solum formaliter, & *vt quo*, sed etiam materialiter, & *vt quod*. Ita quia cognitio Diuina, quæ identificatur cum diuina essentia, & substantia, continet opera facienda à Deo continentia non solum intelligibili, sed etiam reali, & substantiali, ideò est idea omnium operum diuinorũ non solum formaliter,

&

& vt quo, ſed etiam materialiter, & vt quod, cum Deus in productione creaturarum ſemper illas aſſimilet ſecundum varios gradus Diuinæ eſſentiæ, vtpotè exemplari continenti in omni genere perfectionem omnium rerum.

Ad 5. In quo quæritur ad quod genus cauſæ reducatur Idea: reſpondeo, quod expreſſe ab Ariſtotele 2. *Phyſ.* tex. 28. reducitur ad cauſam formalem. Duplex igitur eſt forma, ſeu cauſa formalis; intrinſeca nimirum, & extrinſeca. Intrinſeca eſt, per quam res intrinſecè conſtituitur in ſuo eſſe ſpecifico; extrinſeca eſt forma, ad cuius imitationem res conſtituitur in ſuo eſſe ſpecifico; hæc autem forma eſt idea, & exemplar. Hinc ſaluat S. Thomas in diſputationibus de veritate quæſt. 3. art. 1. in 3. argumento pro parte affirmatiua, quo pacto etiam in Deo verificetur doctrina Ariſtotelis 2. phyſ. tex. 70. quod tres cauſæ, nimirum efficiens, finalis, & formalis, coincidunt in vnam. Eſſentia enim Diuina eſt ſimul cauſa finalis, efficiens, & formalis non intrinſeca, ſed extrinſeca, & exemplaris omnium rerum.

Ad 6. Cauſalitas Ideæ eſt actio efficiẽtis, per quam producit effectum ad imitationem exemplaris, quod habet in mente. Eadem enim actio, in quantum

comparatur cum efficiente, est effectio, in quantum comparatur cum exemplari, & ab ipso procedit exemplariter, est imitatio, seu causalitas ideæ.

QVAESTIO XIX.

Vtrum virtus causatiua efficientis sit actus, seu continentia perfectionis.

VIdetur, quod virtus causatiua, qua efficiens potest causare suum effectum, non sit actus, seu continentia, quà habet perfectionem, quam causando cõmunicet effectui, 1. quia multa continent in sua perfectione perfectionem alterius, & tamen non possunt illud causare, & efficere; e.g. vnus Angelus continet perfectionem alterius Angeli, vna anima continet perfectionem altarius animæ rationalis, vnus Sol continet perfectionem alterius Solis, & tamen nec vnus Angelus potest efficere alium Angelum, nec vna anima rationalis aliam animam rationalem, nec vnus sol alium solem; ergo virtus causatiua efficientis non

non est actus, seu continentia perfectionis.

2. Substantiæ spirituales, e. g. Angeli continent actu perfectionem corporum, seu substantiarum materialium, & tamen non possunt producere corpora, cum sit axioma commune, quod creatura spirituualis nihil aliud potest producere in creatura corporea, quam motum localem, quo Angelus e. g. moueat Cœlum &c.

3. Vel virtus causatiua requirit continentiam adæquatam, qua causa contineat totaliter perfectionem effectus; vel sufficit ad virtutem causatiuam continentia inadæquata, per quam causa contineat partialiter perfectionem effectus; non potest dici, quod requirat continentiam adæquatam; alioquin causa partialis, quæ continet inadequatè perfectionem effectus, non posset ad effectum concurrere; neque potest dici, quod sufficiat continentia inadæquata; alioquin quodlibet continens inadæquatè perfectionem alterius posset ad illud concurrere, vt causa partialis, & sic musca posset partialiter concurrere ad productionem Angeli, vel hominis, cum contineat partialiter eorum perfectionem, & quodlibet posset concurrere ad quodlibet, quia quodlibet continet partialiter perfectio-

nem cuiuslibet; ergo virtus causatiua non est actus, & continentia perfectionis.

4. Ex S. Thoma in commentario tex. 18. 2. phys. quadruplex est causa efficiens, scilicet perficiens, preparans, adiuuans, & consilians. Perficiens est, quod dat complementum motui, & mutationi, sicut quod introducit formam substantialem in generatione. Preparans autem, seu disponens est, quod aptat materiam, seu subiectum ad vltimum complementum. Adiuuans autem est, quod non operatur ad proprium finem, sed ad finem alterius. Consilians in his, quæ agunt ex proposito, seu ex electione est quod dat agenti formam, per quam agit; nam agens à proposito agit per suam scientiam, quam consilians sibi tradit, sicut & in rebus naturalibus generans dicitur mouere grauia, & leuia in quantum dat formam, per quam mouentur; sed non apparet, quo pacto omnes istæ causæ contineant actu perfectionem effectus; ergo non requiritur, vt efficiens contineat actu perfectionem effectus.

5. Ad causas efficientes reducuntur etiam causæ morales, & corruptiuæ, seu destructiuæ, de quibus non apparet, quo pacto contineant actu perfectionem effectus, e. g. non apparet, quo pacto meritum

tum contineat perfectionem prçmij, cu ius est causa moralis, & quo pacto igni contineat destructionem niuis cum si causa corruptiua niuis,

Respondeo, quod tria sunt examinan da. Primo vtrum virtus productiua si actus, vel fundetur in actu, seu conti nentia perfectionis. Secundo vtrum ac virtutem productiuam alicuius sufficia continentia, per quam illud contineatu ab altero. Tertio qualis debeat esse con tinentia perfectionis.

Quoad primum: manifestum videtur quod virtus productiua, vel est continen tia perfectionis, vel fundatur in conti nentia perfectionis. *P*roducens enim effectum dat illi esse, & perfectionem sed non posset dare, nisi contineret, & præhaberet perfectionem, quam dat, & communicat; quomodo enim daret per fectionem, quam non haberet? ergo vir tus] productiua saltem fundatur in con tinentia perfectionis, ideoque Aristote les, & Sanctus Thomas assumunt tan quam primum principium, quod vnum quodque agit in quantum est actu, pati tur in quantum est in potentia.

Quoad secundum: videtur non suffice re continentia perfectionis etiam speci ficæ ad virtutem productiuam. Patet ex instantijs allatis in primo, & secund

argumento de Angelis, Anima rationali, corporibus cœlestibus, quæ non possunt producere alia sibi similia, licet illa contineant etiam secundum perfectionem specificam. Quid vlterius requiratur difficile est explicare. Solum dico, quod si aliquid contineat adæquatè totam perfectionem alterius per continentiam non solum physicam, sed etiam intelligibilem, & substantialem, eo ipso habet virtutem adequatam illud producendi: & quia Deus continet adæquatè totum esse, & totam perfectionem possibilem continentia non solum physica, sed etiam intelligibili, cum perfectissimè cognoscat totum esse, ideò Deus habet adæquatissimam virtutem producendi quodcunque ens, quæ virtus est Omnipotentia. E conuerso quia nulla creatura continet adæquatè totam perfectionem alterius entis, vt dicetur in libris de generatione, ideò nulla creatura habet adæquatam virtutem producendi vllum ens, sed omnis creatura indiget diuino concursu ad operandum.

Quoad tertium, ad virtutem adæquatam requiritur continentia adæquata effectus. Eo enim ipso, quod causa non contineat totam perfectionem effectus, non potest illam communicare. Et quia nulla creatura continet adæquatè perfe-

ctio-

ctionem alterius entis, ideò nulla creatura habet virtutem adæquatam producendi vllum ens, sed virtus adæquata semper includit principaliter Diuinam Omnipotentiam. Ad virtutem inadæquatam sufficit continentia inadæquata. At difficile est vlterius determinare, in quo gradu causa partialis debeat continere perfectionem effectus.

Ad 1. & 2. argumentum iam dictum est, quod non sufficit ad hoc, vt causa producere possit effectum, quod illum contineat in sua perfectione.

Ad 3. Dictum est, quod ad virtutem adæquatam requiritur continentia adæquata; ad virtutem inadequatam sufficit continentia inadæquata. Non tamen sequitur, quod possit quodlibet producere quodlibet, e.g. musca Angelum, quia requiritur, vt causa contineat effectum gradu certo.

Ad 4. Causa perficiens, hoc est introducens formam substantialem, debet continere perfectionem formæ substantialis; causa præparans, ac disponens materiam debet continere perfectionem dispositionum, per quarum introductionem materia præparatur; causa adiuuans debet etiam aliqualiter continere effectum, ad quem adiuuat; causa consilians, sicut dat scientiam rei faciendæ, ita debet

præhabere talem scientiam, ideoq; ignorans quid sit faciendum non potest esse idoneus consiliarius.

Ad 5. Causæ morales sunt, quæ cognitæ vt existentes mouēt agens morale, & liberum ad aliquam electionem. Huiusmodi sunt consilium, suasiones, preces, minæ, pacta, promissiones, merita, exempla, & alia huiusmodi, & per hoc differunt à causa finali, quæ causat cognita vt possibilis, e. g. sanitas cognita, vt possibilis mouet ad amorem sui. Omnes istæ causæ morales habent vim se manifestandi intellectui, & per scientiam sui inclinandi ad electionem; ergo sicut causæ morales continent actu in sua perfectione scientiam, quam causant, ita continent mediatè electiones, & cæteros effectus. Hinc explicatur, quo pacto iurgium e. g. contineat bellum. Iurgium enim continet actu cognitionem ipsius iurgij; cognitio de iurgio continet electionem belli ad vindictam sumendam; electio continet bellum; ergo à primo ad vltimum iurgium continet bellum. Causa corruptiua est triplex. Prima est quæ destruit subtrahendo concursum conseruatiuum, eo pacto, quo Deus potest destruere mundum subtrahendo concursum conseruatiuum mundi; & hec manifestè cōtinet in sua virtute effectum, quem

quem desinit conseruare. Secunda est quæ destruit introducendo aliquid oppositum, eo pacto, quo ignis introducendo in materiam calorem oppositum frigori, destruit frigus, & illud expellit à materia; & etiam hæc continet in sua perfectione perfectionem oppositi. Tertia est quæ est forma opposita alteri, eo pacto, quo calor introductus in manu mea destruit frigus; & hęc non tam reducitur ad causam efficientem, quam ad causam formalem.

QVAESTIO XX.

Vtrum causalitas efficiens sit actio distincta ab agente, & termino.

VIdetur esse vera sententia Nominalium, quod actio nihil addat distinctum ab agente, & termino producto, e. g. quod illuminatio, qua sol illuminat aerem, nihil addat supra solem illuminantem, & supra lucem in aere productam, idemque dic de alijs actionibus, quia si poni deberet hæc actio distincta ab agente, & termino, e. g. hæc productio, qua Sol producit lucem in aere,

distincta à Sole, & luce, maximè deberet poni propter indifferentiam: cum enim possit dari Sol, & dari lux in aere, quin lux sit producta à Sole, sed ita vt lux sit producta ab alio agente, hoc est ab Omnipotentia Diuina per se solam, debet dari actio, & productio, per quam lux sit producta formaliter à Sole; sed hæc ratio non valet; ergo non debet poni actio distincta. Minor probatur, quià naturaliter est impossibile, vt in istis circunstantijs lux non pendeat à Sole; ergo hoc quod est lucem pendere à Sole nihil aliud est, quam dari lucem, & dari Solem in istis circunstantijs loci, temporis &c.

2. Si dicatur, quod saltem supernaturaliter, & miraculosè Deus posset in his ipsis circumstantijs producere lucem per solā suam Omnipotentiā, impediendo Solem, ne producat lucem, atque adeò quod dependentia lucis à Sole, quæ nunc datur, & tunc non daretur, sit aliquid distinctum à Sole, & luce etiam in istis circunstantijs, adhuc contra est 1. quia Aristoteles non cognouit possibilitatem talis miraculi; ergo saltem Aristoteles non admisit actionem distinctam. 2. possumus dicere, quod hoc, quod est Solem producere lucem, nihil aliud sit, quam existere Solem, & existere lucem cum istis

istis conditionibus, & circunstantijs, & Deum nolle facere miraculum; ergo adhuc non probatur sufficienter actio distincta ab agente, termino, circunstantijs, & negatione miraculi.

3. Inter alia naturalia requisita ad hoc vt Sol producat lucem, requiritur etiam Diuinum decretum, quo Deus velit, vt lux sit ex hoc motiuo, quià Sol exigit lucem; sed posito hoc decreto, nulla datur indifferentia ad hoc, vt lux pendeat à Sole; ergo tota indifferentia, secundum quam lux potest pendere, vel non pendere à sole, tollitur formaliter per Diuinum decretum, & nulla requiritur actio distincta ad talem indifferentiam auferendam.

4. Ideò datur actio distincta, per quam lux pendeat à Sole, quia cum lux possit à Sole pendere, vel non pendere, sed fieri à solo Deo, debet à Sole dependere per actionem distinctam, sed hæc ipsa actio, qua lux pendet à Sole, debet posse pendere, vel non pendere à Sole; ergo hæc ipsa actio pendet à Sole per aliam actionem distinctam, de qua redit difficultas, & proceditur in infinitum.

5. Si dicatur, quod actio, qua lux pendet à Sole, non est indifferens ad hoc, vt pendeat, vel non pendeat à Sole, sed ab ipso pendet essentialiter; primo contra

est, quia non est magis absurdum, quod lux pendeat essentialiter à Sole, quam quod actio, per quam Sol producit lucem, pendeat essentialiter è Sole, ita vt fieri non possit à solo Deo. Secundo: quicquid Deus potest facere per creaturas, potest facere per solam suam Omnipotentiam; spectat enim ad Omnipotentiam Diuinam, vt per se solam sit sufficiens ad quodlibet efficiendum; sed Deus potest facere actiones per causas secundas; ergo Deus potest facere tales actiones etiam per solam suam Omnipotentiam.

6. Multi effectus pendent essentialiter, ac necessario à suis causis, ità vt non possint ab ipsis non pendere, e. g. Angelus essentialiter pendet à solo Deo per creationem, cum nulla causa secunda possit concurrere ad creationem Angeli; actus vitales intelligendi, volendi &c. pendent essentialiter à principio vitali, ita vt intellectio e. g. fieri non possit à solo Deo sine cõcursu intellectus creati, nec volitio possit fieri sine concursu voluntatis; ergo tales effectus non pendent à causis per actionẽ distinctam, cum non sint indifferentes ad hoc, vt ab ipsis pendeant, vel non pendeant, sed sint essentialiter determinati ad hoc, vt pendeant.

Re-

Respondeo, quod omninò causalitas, per quam effectus pendent à suis causis creatis, addit aliquid distinctum à causa sumpta cum omnibus suis conditionibus, & ab effectu, e. g. illuminatio per quam Sol illuminat aerem addit aliquid distinctum à luce, & à Sole considerato cum omnibus conditionibus requisitis ad illuminandum. Potest hoc primo suaderi, quia causa efficiens causando effundit esse, ac perfectionem, quam habet; e. g. Sol illuminando effundit lucem, qua est plenus, ignis calefaciendo effundit calorem; sed hoc, quod est effundere importat aliquid distinctum ab effundente, & effuso, eo pacto, quo effusio aquæ importat aliquid distinctum à fonte effundente, & ab aqua effusa; ergo causalitas efficientis importat aliquid distinctum à causa producente, & ab effectu producto. Hinc est, vt causalitas efficientis vocetur nominibus exprimentibus talem distinctionem. Vocatur enim influxus, quo effectus fluit ex causa, sicut aqua fluit ex fonte; & ex eadem ratione dicitur emanatio; dicitur motus, & resultantia; motus autem, & resultantia distinguuntur à mouente, & mobili, ab eo quod resultat, & ab eo, ex quo resultat; dicitur productio, qua effectus prodit, educitur, ac producitur ex causa.

ſa. Confirmatur, quia actiones, per quas artifices operantur, manifeſtè diſtinguũtur ab artificibus, & ab artificiatis; e. g. actio pingendi manifeſtè diſtinguitur ab artifice pingente, & ab imagine depicta, idemque dic de reliquis.

Secundo probatur, quia optimum in vniuerſo, atque illius præcipua perfectio eſt ordo rerum. Res autem colligantur in quandam vnitatem ordinis præſertim per hoc, quod quædam agunt, quædam patiuntur, quædam producunt, quædam producuntur; e.g. Pater connectitur cum filio per hoc, quod filium producat, corpora inferiora connectuntur cum corporibus Cœleſtibus per hoc, quod recipiunt effectus productos à corporibus Cœleſtibus, idemque dic de reliquis; ſed hic ordo, quo cauſæ, & effectus mutuò ordinantur, diſtinguitur à rebus ordinatis; ergo actiones, & paſſiones, per quas res ordinantur, diſtinguuntur à rebus ordinatis. Probatur minor, quia toties ordo diſtinguitur à rebus ordinatis, quoties poſſunt eſſe eædem res ordinatæ ſine tali ordine; e.g. ordo, ſecundum quem diſcipuli ſedent in gymnaſio, diſtinguitur ab ipſis, quia poſſunt ijdem remanere ſine tali ordine, ita vt qui ſedet primus ſedeat ſecundus, & ſic de cæteris; ſed poſſunt remanere

eædem

eædem causæ, & ijdē effectus sine ordine causalitatis, quem habent de facto: posset enim remanere hęc lux, & non pendere amplius à Sole, sed à Deo tantum; possent dari in mundo omnes, vel penè omnes entitates, quę nunc datur ita, vt nulla produceretur ab alia, eo quod Deus omnia produceret per se ipsum, impediendo influxum causarum secundarum; ergo ordo actionis, & passionis distinguitur à rebus ordinatis. Breuius: ordo rerum spectans ad maximam perfectionem vniuersi, qui posset subtrahi, remanentibus eisdem rebus ordinatis, est aliquid distinctum à rebus ordinatis, & illis superadditum; sed ordo, quo in vniuerso quædam res producunt, alię producuntur, spectat ab maximam perfectionem vniuersi, & posset Diuinitus subtrahi, si Deus has easdem res produceret immediatè per suam Omnipotentiam, impediendo actiones causarum secundarum; ergo ordo actionum, & passionum est aliquid superadittum rebus ordinatis, quæ sunt causæ, & effectus, producentes, & productæ.

Ad 1. Ad probandam destinctionem vnius ab alio sufficit, quod miraculosè possit vnum esse sine alio: ita si Sol etiam miraculosè potest esse sine sua luce, euidenter distinguitur à luce, cum res neque

que miraculosè possit esse sine eo, cum quo identificatur; sed saltem miraculosè posset esse Sol in istis circunstantijs, & esse lux, quin Sol produceret lucem; ergo productio, per quam lux pendet à Sole, distinguitur à Sole, & luce.

Ad 2. Concedo, quod Aristoteles non agnouerit possibilitatem miraculorum, per quę Deus potest impedire causalitates causarum secundarum; adhuc tamen ex alijs argumentis allatis cognouit, quod actiones, & passiones distinguuntur ab entibus, quę per illas mutuo connectuntur, ideoque posuit specialia prædicamenta actionum, & passionum. Dum rursus opponitur; posito Sole, & luce, & decreto, quo Deus nolit facere miraculum, eo ipso lux pendet à Sole causaliter, & radicaliter concedo; dependet formaliter, nego; & nego consequentiam. Sicut eo ipso, quod Sol sit, & Deus nolit facere miraculum, Sol est lucidus non formaliter per voluntatem Diuinam, sed solum radicaliter, & est lucidus formaliter per lucem; sic eo ipso, quod detur Sol in talibus circunstantijs, detur lux, & Deus nolit facere miraculum, lux pendet à Sole, non formaliter per voluntatem Dei, sed solum radicaliter, formaliter verò pendet per dependentiam actionis, & passionis.

Et

Et ratio vtriusque est, quia cum hoc, quod est Solem esse lucidum, sit maxima perfectio Solis, qua potest miraculosè carere, talis perfectio debet esse intrinseca Dei decreto. Similiter cum hoc quod est lucem pendere à Sole sit maxima perfectio vniuersi, qua potest carere, debet consistere in ordine intrinsecè recepto in vniuerso, non autem in diuino decreto extrinseco; & omnino est absurdum dicere, quod ordo actionis, & passionis non sit aliquid in mundo, ad cuius pulchritudinem spectat, sed sit aliquid in mente diuina.

Ad 3. Respondeo eodem pacto, quod licet vt Sol producat lucem requiratur diuinum decretum, tamen hoc, quod est lucem pendere à Sole, spectat ad perfectionem vniuersi, ideoque non potest esse ipsum diuinum decretum extrinsecum vniuerso.

Ad 4. Nego, quod actiones, quibus causæ secundæ agunt, sint indifferentes ad hoc, vt pendeant, vel non pendeant à causis secundis, sed dico, quod ab illis pendent essentialiter. In vnoquoque enim genere vltimum determinatiuum, & ablatiuum indifferentiæ non est amplius indifferens, sed est per se ipsum essentialiter determinatum; e. g. motus circularis, quo corpus indifferens, vt mouea-

ueatur vel non moueatur circulariter, mouetur circulariter, non est vlterius indifferens, sed est per se ipsum determinatus vt moueatur circulariter *vt quo*; idem, dic de cęteris; sed actiones sunt vltima determinatiua indifferentiæ, quam habent effectus ad hoc, vt pendeant, vel non pendent à suis caussis; ergo actiones per se ipsas essentialiter pendent a caussis; ita, vt non possint fieri à solo Deo, atque adeò non sequitur processus in infinitum.

Ad 5. Dum vrgetur, quia non est magis absurdum, quod lux pendeat à Sole, essentialiter, quam quod actio pendeat, essentialiter à Sole, nego antecedens. Nam quod est vltimum determinatiuum ad aliquã denominationẽ non est indifferens ad illam denominationem, quod non est vltimum determinatiuum est indifferens; actiones sunt vltimum determinatiuum ad pendendum à cæteris caussis; res, quæ pendent per actiones, non sunt vltimum determinatiuum; ergo actiones pendent essentialiter, res non pendent essentialiter, sed possunt pendere, ac non pendere.

Dum rursus opponitur, quia spectat ad Diuinam Omnipotentiam, vt possit omnia facere per se solam, primo dico, quod diuina Omnipotentia potest omnia face-

facere per se solam, excepto hoc, quod est causam secundam coagere, & concurrere Diuinæ Omnipotentiæ. Nam profectò implicat in terminis, vt Diuina Omnipotentia faciat per se solam hoc ipsum, quod est Solem agere simul cum Omnipotentia Dei, alioquin faceret, vt coageret non agendo; sed actio est illud ipsum, quo causa secunda concurrit, & coagit cum Diuina Omnipotentia; ergo Diuina Omnipotentia non potest se sola producere actiones causarum secundarum. Secundo dico, quod perfectio diuinæ Omnipotentiæ consistit in hoc, vt possit facere per se solam radicaliter quodcunque ens, non autem quod per se solam formaliter, excludendo concursum immediatum causarum secundarum; sed saluatur, quod Diuina Omnipotentia potest facere actiones causarum secundarum per se solam radicaliter: illud enim potest aliquid facere per se solum radicaliter, quod potest facere per se solum totam virtutem ad illud requisitam; sed Deus per solam suam Omnipotentiam potest facere virtutes causarum secundarum requisitas ad earum actiones; ergo *Deus* per solam suam Omnipotentiam potest facere actiones causarum secundarum radicaliter.

Ad 6. Ex eo, quod quidam effectus esseu-

essentialiter pendent à suis causis e. g. Angelus à solo Deo, actus vitales à potentia vitali, sequitur quod non pendeant per actionem distinctam; ergo nec alij effectus pendent per actionem distinctam. Respondeo primo transeat antecedens, & nego consequentiam, ac retorqueo argumentum. Ideò enim tales effectus non pendent à causis per actionem distinctam, quià pendent ab ipsis essentialiter, ita vt non possint non pendere, sed plures alij effectus ità pendent, vt possint non pendere; ergo plures alij effectus pendet per actionem distinctam. Addo probabile esse, quod etiam effectus, qui fiunt per creationem, pendeant à Deo per actionem distinctam, & quod actus vitales procedant à potentia vitali per distinctam actionem, vt multi docent. Sed de actibus vitalibus agendum in libris de Anima, de actione creatiua aliquid dicendum inferius.

QVAE-

QVAESTIO XXI.

Vtrum actio sit in agente, vel in passo.

VIdetur vera esse sententia satis communis recentiorum, quod actio non sit in agente, sed in passo, e. g. quod calefactio, qua ignis calefacit stupam, non sit in igne calefaciēte, sed in stupa calefacta, atque idem dic de reliquis; 1. quia sequeretur, quod mouens mouendo moueretur, & agens agendo pateretur; sed hoc est absurdū; ergo actio non est in agente. Probatur maior, quia toties aliquid mouetur, & mutatur, quoties se habet intrinsecè aliter, ac se haberet ante; sed omne mouens per hoc ipsum, quod moueret, se haberet intrinsecè aliter, ac ante; intrinsece enim reciperet actionem motiuam, quam ante non habebat; ergo &c.

2. Si actio reciperetur in agente omnis actio esset immanens, atque adeo non daretur vlla actio transiens. Actio siquidem immanens est, quæ remanet in agente, actio transiens est, quæ transit in aliud subiectum; sed quęlibet actio remane-

maneret in agente; ergo omnis actio esset immanens, nulla transiens.

3. Si actio esset in agente, actio creatiua etiam, quà Deus mundum creauit, & actio conseruatiua, qua mundum conseruat, esset in Deo, sed actio creatiua, qua Deus creauit mundum, & actio conseruatiua, qua mundum conseruat, non est in Deo; ergo actio non est in agente. Probatur minor, quia quod est temporale non est in Deo: quidquis enim est in Deo identificatur cum ipso, & est æternum; sed actio creatiua, & conseruatiua mundi est temporalis; Deus enim in principio temporis creauit mundum, Cœlum & terram, & in tempore res creatas conseruat; ergo actio creatiua & conseruatiua mundi non est in Deo; alioquin esset ab æterno, sicut quia voluntas creandi mundum est in Deo, est ab æterno, cum Deus ab æterno habuerit voluntatem mundum creandi, & conseruandi; licet non ab æterno, sed in tempore præfinito exequatur talem voluntatem, creando, & conseruando mundum.

4. Quando ignis calefacit stupam, poni debet vnica dependentia, per quam calor stupæ pendeat ab igne; sed posito, quod poni debeat vnica dependentia, congruentius est, vt ponatur in passo, quam

quam in agente; ergo actio, per quam formaliter dependent effectus, potius poni debet in passo, quam in agente, cum simul in vtroque recipi non possit.

5. Sæpè ad aliquem effectum concurrunt plura agentia, e. g. ad productionem hominis concurrit Pater, Cœlum, Sol, & alię causę vniuersales; sed in istis casibus non potest explicari, an vnica sit actio, vel plures actiones; nam si dicatur, quod est vnica actio, illa non poterit recipi simul in pluribus causis diuersissimis, ac distanctissimis, e.g. actio productiua hominis recipi non posset simul in Sole, & in homine producente; neque est maior ratio, cur potius recipiatur in vno, quam in alio; si verò dicatur quod sint plures actiones, non posset explicari, vtrum singulæ actiones sint adæquatæ, & sufficientes ad ponendum effectum, vel potius singulæ sint insufficiẽtes, & inadequatæ: si enim singulæ sint adæquatæ, cum vnaquæque sufficiat, omnes aliæ erunt superfluę: si verò singulæ sint insufficientes, & inadæquatæ, deberent esse ita mutuò connexæ, vt vna non posset esse sine alia, e. g. non posset actio, quæ est in sole, poni sine actione, quæ est in Patre; sed est difficilè, quo pacto actiones receptæ in subiectis maximè distantibus habeant talem cõnexionem: ergo &c.

Res-

Respondeo, quod si nomine actionis intelligatur in recto ipse terminus productus, connotando in obliquo modum productionis, actio recipitur in passo; e. g. si calefactio est ipse calor, quo subiectum calefit, est in subiecto calefacto: si verò nomine actionis intelligatur prima determinatio actualis, & efficax ad hoc, vt effectus egrediatur ab agente, dico cum Scoto, Scotistis, & plerisque Thomistis allegantibus S. Thomã, quod actio recipitur in agente. Probatur quia propria perfectio virtutis actiuæ, ad quam virtus actiua inclinatur vehementissime tanquam ad suum bonum, & perfectionem, est determinare effectum ad hoc, vt egrediatur ab ipsa virtute actiua; e. g. propria perfectio virtutis illuminatiuæ est determinare lucem ad hoc, vt egrediatur ex ipsa virtute illuminatiua; sed quod est propria perfectio rei debet intrinsecè recipi in illa; ergo propria determinatio effectus ad hoc, vt egrediatur ex causa, debet intrinsecè recipi in agente, & in causa.

Cõfirmatur quia omnis actualitas potentiæ secundum se imperfectæ, & inclinatę ad illam actualitatem tanquam ad perfectionem vlteriorem recipi debet intrinsecè in tali potentia, & in tali causa; sed determinare effectum ad hoc, vt egre-

egrediatur ex virtute actiua, est actualitas virtutis actiuæ creatæ, quæ secundum se cum solum est in potētia ad agendum est in statu imperfecto, & inclinatur ad agendum tanquam ad suam perfectionem vlteriorem; e. g. potentia calefactiua dum non calefacit est in statu quodam imperfecto, & inclinatur ad calefaciendum tanquam ad vlteriorem perfectionem; dum verò actu calefacit tunc est in statu perfecto; ergo determinatio effectus ad hoc, vt egrediatur à virtute actiua, debet intrisecè recipi in ipsa virtute actiua.

Ad 1. Duplex est mouens, & duplex agens, perfectum nimirum, & imperfectum. Mouens, & agens perfectum est, quod quia habet in se omnem perfectionem, ideo mouet, & agit non vt acquirat aliquam perfectionem, sed vt purè illam communicet alteri; & hoc ita est mouens, vt sit immobile, & ita est agens, vt sit impatibile, cum non possit moueri ad vllam perfectionem, neque possit vllam perfectionem accipere. Mouens, & agēs imperfectum est, quod quia non est omnino actuatum, & perfecum, ideo agit, & mouet, vt mouendo, & agendo acquirat ipsam perfectionem actualem mouendi, & agendi, qua ante carebat aliqualiter: & hoc mouens quando mouet moue-

tur à superiore mouente, & quando agit patitur, ac recipit perfectionem ipsius actionis ab agente superiore. Omnes creaturæ sunt mouentia, & agentia imperfecta, ideoque dum mouent, mouentur à Deo superiore mouente, & perducuntur ad nouam perfectionem, & actualitatem mouendi, qua ante carebant, & dum agunt, patiuntur, ac recipiunt à Deo superiori agente perfectionem, & actualitatem actionis, ad quam inclinant vehementissimè.

Ad 2. Actio immanens est cuius terminus manet in agente; actio transiens est cuius terminus transit in aliud subiectum. Ita intellectio, volitio, visio &c. sunt actiones immanentes, quia termini ipsarum manent in agente, cum terminus productus per actionem visiuam sit in ipso vidente, terminus productus per actionem intellectiuam sit in ipso intelligente. E conuerso calefactio, qua ignis calefacit meam manum, est actio transiens, quia terminus per illam productus, hoc est calor, non remanet in calefaciente, sed recipitur in calefacto distincto à calefaciente; & ex eadem ratione illuminatio, qua sol illuminat aerem, est actio transiens.

Ad 3. Ex eo, quod actio creatiua esset in Deo, nego sequelam. Actiones enim

enim simpliciter, & absolutè dicunt i recto non modum superadditum, qui al aliquibus conceditur, ab alijs negatur sed terminum per ipsas productum, & modum connotant in obliquo: e. g. illuminatio aeris est lux, vt procedens, & producta à Sole; ergo creatio mundi e mundus productus, in quantum productus, & egrediens à Diuina Omnipotentia: et quia mundus productus non e in Deo, ideo creatio mundi non est in Deo. Hinc patet, quo pacto verificetu quod creatio non sit æterna, sed temporalis. Nam cum terminus creationis i recto significatus per nomen creationi non sit ęternus, sed temporalis, creati nō est æterna, sed temporalis. Ideo Deu non ab ęterno, sed in principio tempo ris creauit mundum, Cœlum, & terram eaque temporis progressu conseruat. I conuerso Deus ab æterno voluit mun dum creare, & volitio Dei fuit ab æte no, quia volitio Dei non significat in recto, & intrinsecè obiectum volitum sed actum volentem, qui fuit ab æterno Si verò quæratur, vtrum sicut datur in causis secundis determinatio intrinsec ad hoc, vt effectus egrediatur ex ipsaru virtute, ita detur in Deo determinati intrinseca ad hoc, vt effectus egrediatu ex ipsa Dei Omnipotentia, responde

affirmatiuè, & dico quod hęc determinatio est ipsa Dei voluntas intendens, vel permittens effectus. Ratio est, quia Deus non aliter determinat effectus, vt egrediantur à sua Omnipotente virtute, quam per determinationem vitalem, & rationalem, hoc est volendo, vel permittendo, vt effectus egrediantur ex sua virtute; ergo ipsa volitio, vel permissio est actio diuina. In hoc tamen differunt causæ secundæ à causa prima. Causæ secundæ quia sunt imperfectæ, & in potentia, dum determinant effectus, accipiunt perfectionem determinandi ab aliqua causa superiore, nimirum à Deo primo mouente, & agente, ideoque dum mouent, mouentur, & dum agunt, patiuntur, perficiuntur, & actuantur. E conuerso Deus cum sit ens perfectissimū, & actualissimum per suam essentiam, dum determinat effectus, quia habet à se totam perfectionem, & actualitatem determinandi, ideò non accipit perfectionem determinandi ab vlla causa superiori, nec mouetur, & patitur, sed purè determinat, & agit determinatione, & actione, cuius perfectionem habet à se, vtpote identificatā cum sua essentia. Si demum quæratur, per quid vltimò compleatur determinatio efficax, qua Deus determinat effectus, an compleatur per aliquid in-
trin-

trinsecum Deo, & cum ipso identificatum, an per aliquid extrinsecum, & distinctum à Deo, dico hoc dubium spectare ad quæstionem de complemento Diuinorum decretorum, quæ quæstio spectat ad Theologos, & non est hic examinanda. Solum assero, quod determinatio, & actio, qua Deus determinat effectus exteriores, est ipsum Diuinum decretum, atque adeò completur per illud idem, per quod completur decretum.

Ad 4. Respondeo primo, quod etiamsi poni debeat vnicus modus dependentiæ, adhuc est aliqua ratio specialis ad illum ponendum potius in causa producente, quam in effectu producto. Ratio est quia agere importat aliquam perfectionem agentis, per quam agendo actuetur, ac perficiatur intrinsecè; sed agens transeunter non perficitur intrinsecè per terminum productum; ergo debet intrinsecè perfici, & actuari, recipiendo determinationem, per quam determinet effectum ad hoc, vt egrediatur ex ipsius virtute: at passum, cum recipiat intrinsecè perfectionem effectus producti, non debet recipere aliam perfectionem. Adde, quod hoc, quod est effectum dependere ab agente, est quædam præeminentia agentis, non autem effectus; ergo potius

recipi debet in agente, quam in effectu. Confirmatur, quia si ignis A producat ignem B. e. g. per hoc præcisè, quod producat, præeminet cęteris paribus igni B. producto; sed non preęminet per productionem intrinsecè afficientem ignem productum, & purè extrinsecè denominantem ignem producentem; ergo.

Secundo respondeo negando, quod poni debeat vnicus modus. Dico enim, quod debet poni duplex modus, alter in agente, quo agens constituatur intrinsecè producens, ac determinans effectum; alter in effectu, quo effectus constituatur intrinsecè productus, & pēdens ab agente. Primus vocatur modus actionis, seu productio actiua: secundus vocatur modus passionis, seu productio passiua. Ratio est, quia ordo, quo res producunt, & producuntur, spectat ad maximam perfectionem vniuersi, vt dictum est quæst. 19; ergo debet esse intrinsecus rebus ordinatis, atque adeò causæ debent habere intrinsecum ordinem, quo constituantur intrinsecè producentes, effectus debent habere intrinsecum ordinem oppositum, quo constituantur intrinsecè producti. Confirmatur, quia hoc pacto explicatur clarissimè differentia actionis, & passionis, & optimè distinguuntur hęc duo prædicamenta. Ad-

de,

de, quod hęc doctrina mirè est consona misterio Trinitatis. In Diuinis enim, vt docent communiter Theologi, realiter distinguuntur productiones actiuæ, & productiones passiuę. Productio enim, ac generatio actiua, qua Pater Aeternus producit, ac generat Filium, est intrinseca *Patri*, non autem Filio, & constituit primam Personam formaliter generantem; productio, seu generatio passiua, qua Filius generatur à Patre, est intrinseca Filio, & constituit Filium formaliter genitum, & productum à *Patre* &c.

Ad 5. Respondeo, quod sicut concurrunt plures causæ partiales ad eundem effectum, e. g. ad productionem hominis concurrit homo, & Sol, sic concurrunt per plures actiones partiales; & sicut singulę causę seorsim consideratæ sunt inadæquatę, & insufficientes, & tamen omnes simul constituunt vnam causam adæquatam, & sufficientem; ita singulę actiones seorsim cōsideratæ sunt inadęquatę, & insufficientes, & tamen omnes simul constituunt vnam actionem sufficientem, & adæquatum: e. g. sicut homo est causa inadęquata hominis, Sol etiam est causa inadaquata, sed Sol, & homo constituunt vnam causam secundam adęquatam; ita actio, quæ est in Sole, est inadęquata, passio, quę est in homine, est

nadæquata, & tamen simul sumptę constituunt vnam actionem sufficientem, & adęquatam. Concedo etiam, quod istæ actiones partiales sint mutuò connexę, nec est difficilius, quod determinationes intrinsecę causis distantibus mutuò sint connexę, quam quod causę distantes sint mutuo connexę in ordine ad causandum vnum effectum.

QVAESTIO XXII.

Vtrum detur prioritas naturæ, & consistat in actione.

VIdetur primo, quod non detur prioritas naturę, per quam causa pręcedat effectum sibi coexistentem pro eodem instanti, e. g. quod non detur prioritas naturę, per quam Sol, qui est causa suę lucis, pręcedat lucem sibi coexistentem pro eodem instanti reali temporis. Si enim sol in eo instanti temporis, in quo habet lucem, esset prior natura, quam lux, sequeretur, quod lux pro eodem instanti existeret in sole, & non existeret in sole; sed manifestè hoc repugnat; ergo. Maior probatur, quia si sol est prior natura, quam lux, in eo priori, in quo

ſol eſt ante lucem, lux non exiſtit; ſed lux exiſtit in poſteriori eiuſdem inſtantis; ergo in eodẽ inſtanti reali lux prius non exiſtit, & poſt exiſtit, quod implicat.

2. In inſtanti indiuiſibili non datur prius, & poſterius, niſi per fictionẽ intellectus; ſed inſtans temporis eſt indiuiſibile; ergo in eodem inſtanti temporis non datur prius, & poſterius, niſi per fictionem intellectus; ergo dum in vno inſtanti indiuiſibili aſſignatur primum ſignum naturę, in quo eſt cauſa, ſed adhuc effectus non eſt, & ſecundum ſignũ naturæ, in quo eſt etiam effectus, ſunt mera figmenta intellectus ſine vllo ſolido fundamento in re. Et licet non darentur inſtantia indiuiſibilia, adhuc cum certum ſit per nullam etiam minimam moram temporis ſolem fuiſſe ſine luce, dum dicimus, quod omni tempore, quo fuit ſol, fuit lux, & tamen eſt aliquod primum ſignum naturæ, in quo eſt ſol, & lux non eſt, & eſt ſecundum ſignum naturæ, in quo eſt lux, ſunt ſolum fictiones intellectus ſine fundamento in re.

3. Si cauſa producens eſſet prior natura, quam effectus, etiam vniuerſaliter principium producens eſſet prius natura, quam productum, atque adeo Pater Aeternus, qui eſt principium producens Fi-

m, esset prior natura, quam Filius; sed
c est absurdum, quia iuxta symbo-
m Athanasij in illa summa Trinitate
hil est prius, aut posterius; ergo causa
oducens non habet prioritatem natu-
respectu effectus producti.

4. Debet etiam dari prioritas naturæ
iter prædicata Dei necessaria, & eiusdē
bera decreta, ac liberam scientiam.
ū enim Deus liberè decreuerit creare
iundum; ergo in aliquo priori, in quo
)eus poterat velle creationem mundi,
el nolle eandem creationem, non
abebat vllum decretum de creando
nundum; sed decretum creandi mundum
uit deinde in posteriori; ergo Deus, &
psius scientia necessaria, quam habet pro
mni signo, est prior natura decretis li-
eris Diuinę voluntatis. Similiter cum
Deus in aliquo priori erat liber ad mun-
lum volendum, vel non volendum, in eo
riori non sciebat mundum extiturum;
ed post sciuit mundum extiturum; ergo
Deus fuit prior natura, quam sua scien-
tia de futura existentia mundi. Imò da-
retur etiam ordo naturæ inter Diuina
decreta, per quem ordinem vnum de-
cretum esset prius, aliud posterius. Nam
cum Deus voluit Iudam eligere, & vo-
care ad Apostolatum, erat paratus ad Iu-
dam saluandum, nisi proderet, atque
adeò

adeò non habebat in eo priori decretum efficax de Iuda damnando; ergo decretum creandi Iudam fuit prius natura decreto damnandi, idemque valet de pluribus alijs decretis; ergo etiam inter diuina decreta datur ordo prioris, & posterioris, per quem ordinem quædam decreta præcedunt, alia subsequuntur. Sed ex alia parte videtur absurdum, quod in Deo detur prioritas, & posterioritas naturæ. Nam sicut repugnat, quod detur aliquod instans temporis, in quo Deus non habeat totam suam sciẽtiam, & omnia sua decreta, sic repugnat, quod detur aliquod signum naturæ, in quo Deus non habeat totam suam scientiam, & omnia sua decreta; sed si daretur in Deo ordo prioritatis, ac posterioritatis, Deus in illo priori signo, in quo posset determinare, ac decernere creationem, vel non creationem mundi, non haberet vllum decretũ de creatione, vel non creatione mundi, nec sciret an mundus esset exiturus, vel non exiturus; ergo repugnat in Deo talis ordo prioritatis, ac posterioritatis. Et confirmatur, quia si daretur talis ordo, si Deus in priori ante omne suum decretum liberum interrogaretur, an esset creaturus mundum, vel non, non posset quæstioni respondere; ergo repugnat talis prioritas.

5. Si daretur prioritas naturæ, omnes causæ deberent esse priores natura, quàm effectus ipsarum, ac proinde non solum causa materialis, & efficiens, sed etiam causa formalis, ac finalis præcederēt natura suos effectus, quod non solet admitti.

6. Etiam conditiones natura præcederent suos effectus, e. g. non solum ignis calefaciens meam manum esset prior natura calore producto in mea manu, sed etiam propinquitas ignis ad meam manum præcederet natura eundem calorem; sed si conditiones haberent prioritatem naturæ respectu effectuum, nō apparet, cur conditiones non sint causæ, & per quid differant à veris causis; ergo &c.

7. Omnis ordo, per quem aliqua ità ordinantur, vt possint non ordinari tali ordine, distinguitur à rebus ordinatis; sed ordo, secundum quem in vniuerso aliqua sunt priora natura, alia sunt posteriora, est talis, vt res possint non ordinari tali ordine; ergo talis ordo distinguitur à rebus ordinatis; sed non potest explicari, in quonam consistat talis ordo, an in actione, & passione, an in aliquo alio; ergo non datur prioritas naturæ.

Respondeo, quod in hâc quæstione primo explicandum est vniuersim, in quo

nam

nam consistat ordo prioritatis , & posterioritatis . Secundo explicandæ sunt variæ species prioritatis ,. ac posterioritatis . Tertio agendum de prioritate naturæ,declarando, in quo consistat & quibus rebus competat.

Quo ad primum : ordo prioritatis, ac posterioritatis est habitudo pluriũ , secundum quam quibusdam alia adduntur . Illa, quibus alia adduntur , per hoc ipsum constituuntur priora additis ; id , quod nulli additur , sed ipsi adduntur cętæra, constituitur primum , & prius omnibus constitutis in tali ordine; id, quod alicui additur , sed nullum aliud additur ipsi, constituitur vltimum in tali ordine; demum quod additur vni , & ipsi additur aliud, constituitur posterius vno , & prius altero . Patet id manifestè . Namq; quando intellectus numerat plura , ordinando illa secundum prius , & posterius, ita vt vnum constituatur primum , aliud secundum, aliud tertium, aliud quartum, & sic deinceps vsque ad vltimum, totus hic ordo prioritatis , & posterioritatis consistit in tali additione , per quam vnum additur alteri ; E. g. cum aliquis numerando ordinat decem aureos secũdum prius, & posterius , illum aureum , quem proijcit in mensam , non addendo illum alteri aureo, vocat primum ; illum au-

aureum, quem addit primo, vocat secundum; illum, quem addit primo, & secundo, vocat tertium; quem addit nono, vocat decimum; & si nullum huic deinceps superaddat aureum, vocat etiam postremum, & vltimum; ergo manifestum est, quod ordo prioritatis, & posterioritatis sit habitudo, secundum quam quibusdam adduntur alia modo explicato.

Quoad secundum de speciebus prioritatis, & posterioritatis; ordo prioris, & posterioris aliquando est extrinsecus rebus, & illis competens per arbitrariam numerationem intellectus; aliquando est intrinsecus rebus, illisque conueniens ante arbitrariam numerationem intellectus. Exemplum ordinis extrinseci, & arbitrarij est, cum decem homines numerantur ab aliquo ordine merè arbitrario, incipiendo ab eo, quem voluerit, dicendo, Petrus, Franciscus &c. Secundum talem numerationem Petrus est primus, Franciscus secundus merè arbitrariè, cum si placuisset numerare ordine inuerso, Franciscus esset primus, Petrus secũdus propter diuersam numerationem. Exemplum ordinis non arbitrarij, sed intrinseci rebus est, qui inuenitur inter tres personas Diuinas. Nam Pater intrinsecè ex ipsa natura rei antecedenter ad omnem nostram numerationem est pri-

prima Persona ; Filius intrinsecè est secunda Persona; Spiritus Sanctus intrinsecè est tertia Persona , & habent ex ipsa rei natura ordinem primi, secundi, & tertij. Debet tamen aduerti , quod licet cum numeramus homines numeratione arbitraria ,ordo prioris,& posterioris sit extrinsecus hominibus numeratis,adhuc tamen est intrinsecus , & essentialis cognitionibus numerantibus . Cognitio enim, qua dico, *primus*, essentialiter supponitur à cognitione , per quam dico *secundus* , ita yt hæc cognitio essentialiter addatur alteri cognitioni , qua dicebam, *primus* , atque adeo sit intrinsecè , & essentialiter secunda: & similiter cognitio, per quam dico, *tertius homo*, est essentialiter tertia, & additur duabus cognitionibus, quibus dicebam *primus* , *&* *secundus*, idemque dic de reliquis .

Porrò per additionem explicari possunt omnes species prioritatis , ac posterioritatis , quas Aristoteles assignat in prædicamentis cap. de priori . Sed non libet in ijs immorari ; quare ipsis relictis , venio ad explicandam prioritatem naturę .

Quoad tertium igitur de prioritate naturæ notandum , quod Aristoteles diuerso modo sumpsit prioritatem naturæ quinto metaph.cap 11. ex sententia Platonis,

tonis, ac eandem prioritatem explicauerit in prædicamẽtis ex propria sententia. Nam 5. metaphy. habet; *Quedam sunt priora secundum naturam, atque substantiam, quæcunque contingit absque alijs esse, ista verò sine istis minimè; qua diuisione vsus est Plato.* At in postprædicamentis dicit, *quæ conuertuntur secundum esse consequentiam, quod alteri quomodolibet causa est, conuenienter prius natura dici debet.* Prioritas igitur naturę, vt sumitur à Platone, coincidit cum prioritate à subsistendi consequentia, cum detur inter ea, quæ possunt esse sine alijs, quæ non possunt esse sine ijs, nec ad illam requiritur vllus ordo causalitatis. E conuerso prioritas naturæ prout sumitur ab Aristotele differt à prioritate à subsistendi consequentia, cum sit inter ea, quorum vnum est alteri causa, etiamsi conuertantur secundum esse consequentiam. Ità Sol est prior natura, quam sua lux, quia licet conuertantur secundum esse consequentiam, eo quod nec possit esse sol sine sua luce, nec possit esse lux sine sole, adhuc sol est causa lucis, & hæc prioritas naturæ est hic explicanda. De qua etiam aduertendum, quod potest sumi dupliciter, latè nimirum, & strictè. Sumitur latè, cum sumitur ità, vt omne id, quod alteri quomodolibet est causa, dicatur

prius

prius natura, quam illud; in quo ſenſu auctores preſertim antiqui ſolent dicere, quod omnes cauſæ, etiam cauſa finalis, & formalis ſunt priores natura ſuis effectibus. Sumitur ſtrictè, cum reſtringitur ad cauſam efficientem, & materialem, & ad ipſarum conditiones, in quo ſenſu accipitur à recentioribus, & explicanda eſt à nobis.

Ordo igitur prioritatis, ac poſterioritatis naturę eſt habitudo quædam pluriũ, quorum vnum additur alteri, quod per ſuam exiſtentiam, vel per ſuam eſſentiam intrinſecam conſtituit ſaltem partialiter potentiam proximam completam, & adæquatam, ex qua reſultat illud aliud, quod non habet eſſe à ſe. *Prius* natura eſt id, quod per ſuam exiſtentiam, vel per ſuam eſſentiam intrinſecam conſtituit quomodolibet potentiam proximam adęquatam, ex qua reſultat, & cui additur aliud, quod non habet eſſe à ſe. Poſterius natura è conuerſo eſt illud, quod cum non habeat eſſe à ſe, reſultat ex altero, quod per ſuam exiſtentiam, vel per ſuam intrinſecam eſſentiam conſtituit quomodolibet potentiam proximam, & adęquatam ad illud. Prioritas actualis naturę eſt ipſa actualis additio, per quam aliquid, quod non habet eſſe à ſe, additur alteri, quod per ſuam exiſtentiam, vel

per

per suam intrinsecam essentiam constituit quomodolibet potentiam proximam, & adęquatam, ex qua illud resultat.

Pro intelligentia nota, quod est impossibile aliquid habere esse, & non à se ipso, quin id accipiat ab aliquo alio; e.g. quia ignis habet esse, & non habet illud à se, accipit illud ab aliquo alio. Rursus repugat, quod aliquid accipiat esse ab altero., quin illud aliud sit proximè potens dare illi tale esse. Quod enim dat esse alteri, potest dare illi esse, & nihil ipsi deest ex ijs, quę requiruntur, vt possit dare esse; sed illud, quod potest alteri dare esse, ita vt nihil ipsi desit ex ijs, quę requiruntur, vt possit dare tale esse, per hoc ipsum constituitur proximè potens dare illi esse; cum proxima potentia sit illa, cui nihil deest ad hoc, vt possit dare esse alteri; ergo &c.

Positis his, omnia illa, quę per suam existentiam, vel intrinsecam essentiam constituunt saltem partialiter potentiam proximam adæquatam, ex qua resultat aliquid aliud, quod sibi non sufficit ad essendum, estsi prius natura.

Hinc primò infertur, quem defectum importet ordo prioritatis, ac posterioritatis naturę, propter quem non datur inter diuinas *Personas*. Importat nimirum in posteriori defectum insufficientis sibi ad

ad essendum. Et quia Personę Diuinę etiam procedentes sunt identicè à se, & sibi sufficiunt ad essendum, vt dictum est Quęst. 14. in responsione ad tertium, ideò nulla Persona Diuina est posterior natura, quàm alia, nec datur inter Diuinas Personas ordo prioritatis, ac posterioritatis naturæ. Admittitur tamen ab aliquibus ordo prioritatis, ac posterioritatis originis, per quem Persona producens sit prior origine, Persona producta sit posterior, ita tamen, vt talis prioritas non sit prioritas simpliciter, sed prioritas cum aliquo addito distrahente. Potest autem definiri ordo originis, habitudo plurium, quorum vnum additur alteri, quod per se ipsum constituit potentiam proximam adęquatam, ex qua alterum effluit; & quia in diuinis Filius per productionem additur Patri, qui Pater est potentia adæquata, ex qua effluit Filius; similiter Spiritus Sanctus per productionem additur Patri, & Filio, qui per spirationem actiuam sunt potentia adequata, ex qua effluit Spiritus Sanctus, ideò in Diuinis datur ordo originis, per quem Pater est prior origine, quàm Filius, & Filius est posterior origine, quàm *Pater*, & Spiritus Sanctus est posterior origine, quàm Pater, & Filius; & propter talem ordinem *Pater* est pri-
ma

ma Persona, quæ nulli additur, sed ipsi adduntur ceteræ, Filius est secunda Persona, quę cum procedat ab vna tantum Persona, additur vni tantum; Spiritus Sanctus est tertia Persona, quià cum producatur à duabus Personis, duabus additur. Prioritas igitur originis comparatur ad prioritatem naturæ sicut genus ad speciem. Nam omnia priora natura, sunt etiam priora origine, sed è conuerso quędam sunt priora origine, quę non sunt priora natura, quia nimirum prioritas originis abstrahit ab imperfectione, & dependentia posterioris, quam imperfectionem importat prioritas naturæ, vt explicatum est. Patet etiam ex hoc res omnes esse ordinatas à parte rei secundum ordinem numerorum, secundum quem aliquæ sunt primę, aliæ secundę, alię tertię, & sic deinceps. Nam secundum ordinem originis datur primum simpliciter, & absolutè, hoc autem est Pater Aeternus, qui cum à nullo procedat, nulli omnino additur; Filius est secundus, quià cum solum procedat ab vna Persona, vni tantum additur; Spiritus Sanctus est tertius, quià cum procedat à duabus Personis, additur duobus. Secundum ordinem naturę, & causalitatis primum locum tenet prima causa, quę cum non causetur, non additur vlli cau

sę,

sę, qualis causa est Deus subsistens in tribus Personis; secundum locum tenent illę creaturę, quę procedunt à solo Deo, ideoque soli Deo adduntur; tertium illę creaturę, quæ procedunt à creaturis productis immediatè à Deo, & sic deinceps. Cum verò Deus cognoscit numerum ordinatum rerum, & vnamquanque rem ponit suo loco, alias primo, alias secundo, alias tertio, non facit id per plures cognitiones, quarum vna procedat ab alia, sed per vnicam, qua cognoscit vnam rem procedere ab alia, ideoque numerus datur intrinsecè in rebus numeratis, non autem in cognitionibus numerantibus.

Secundo infertur, quod in Diuinis ordo originis datur tantum inter Diuinas Personas. Nam ea, quę ordinantur secundum ordinem originis, debent realiter distingui; sed solę *Personę* realiter distinguuntur in Diuinis; ergo ordo originis datur inter solas Personas. Diuinę igitur cognitiones, & diuina decreta sicut realiter identificantur inter se, & cum omnibus Diuinis Personis, ita non habent vllum realem ordinem originis, aut naturę, neque vllum decretum est prius origine, vel natura, quam aliud, neque vna cognitio est prior origine, quam alia.

Si

Si tamen decretà & cognitiones liberæ distinguuntur ratione obiectiua, vel virtualiter intrinsecè inter se, aut à Diuina essentia, possunt habere prioritatem quandam rationis, aut virtualem, quę non includit vllam imperfectionem.

Infertur tertio, quod causa efficiens, & etiam materialis sunt priores natura, quam effectus. Ratio, cur causa efficiens sit prior natura est, quià causa efficiens est ipsa potentia, ex quà effectus resultat, atque effluit. Ratio, cur etiam causa materialis sit prior natura, quam effectus est, quià potentia proxima, vt resultet effectus per actionem naturalem, & trãsmutatiuam, includit ipsam potentiam, & subiectum transmutabile; e. g. potentia proxima, vt resultet ignis per actionem transmutatiuam, includit, quod materia sit ignibilis, hoc est potens transmutari in ignem; sed materia ignibilis est causa materialis ignis; ergo causa materialis includitur in potentia proxima, tanquam illius constitutiua. Sed difficultas est, vtrum materia constituatur prior natura, quàm effectus, per solam suam essentiam, an etiam per existentiam. Dico, quod materia constituitur prior natura per id, per quod constituitur transmutabilis; & quia constituitur transmutabilis substantialiter non per existentiam, quam ha-

habet in instanti, in quo recipit formam substantialem, sed per existentiam, quam habuit in tempore antecedente ad primam receptionem formæ substantialis; ideò constituitur prior natura ad receptionem formæ substantialis per existentiam, quàm habuit in tempore antecedente. E. g. cum ex ligno fit ignis, materia ignibilis constituitur prior natura, quam ignis, non per existentiam ignis, per quam constituitur iam transmutata in ignem, sed per existentiam ligni, quam habebat, antequam esset transmutata; eo pacto, quo corpus mobile constituitur proximè potens poni in tali loco, non per vbicationem, per quam nunc est in tali loco, sed per vbicationem, per quam immediatè ante fuit in loco proximo. E conuerso quia materia constituitur transmutabilis accidentaliter etiam per existentiam substantialem, quam habet, cum recipit formam accidentalem, ideò cõstituitur prior natura per existentiam substantialem, quam habet in eo instanti: e. g. manus constituitur calefactibilis, & prior natura, quam calor, per existentiam manus, quam habet, in instanti, in quo calefit.

Quarto infertur plures cõditiones licet causæ non sint, esse tamen priores natura respectu effectus: e. g. propinquitas ignis ad

ad ſtupam, licet non ſit cauſa calefactionis, adhuc eſt prior natura reſpectu illius. Ratio eſt, quia ignis conſtituitur proximè potens calefacere ſtupam, per hoc, quod ſit propinquus ſtupæ; quando enim eſt remotus, non habet proximam potentiam calefaciendi ſtupam. Addo quaſdam conditiones eſſe priores natura reſpectu effectus per exiſtentiam, quam habent, non tum, quando ponitur effectus, ſed immediatè ante. Patet in motu locali. Quando ego moueor per hoc ſpatium, habeo potentiam, vt mouear per ipſum, & conſtituor potens moueri per tale ſpatium ex eo, quod immediatè antè fuerim in loco propinquo: ſi enim immediatè antè fuiſſem in loco diſtanti, non poſſem modò moueri per hoc ſpatium; ergo conſtituor proximè potens moueri per hoc ſpatium ex hoc, quod ante fuerim in loco proximo; ſed illa præſentia in ſpatio proximo non datur, quando moueor per hoc ſpatium, alioquin haberem ſimul præſentiam in duplici ſpatio, & ego eſſem in duplici loco; ergo conſtituor proximè potens moueri per hoc ſpatium per aliquid, quod extitit immediatè ante motum; ergo aliqua conditio præterita eſt prior natura, & conſtituit potentiam proximam ad hoc, vt reſultet effectus. Nihil tamen futurum

poteſt

potest naturaliter esse prius natura respectu effectus ante producti, quia nihil potest constitui in potentia ad operandum per aliquid, quod nondum est, sed erit paulo post. Addo, quod omnia, quę per suam existentiam facilitant, aut difficultant actionem, inclinant, vel retrahunt potentiam productiuam ad agendum, sunt priora respectu effectus. Ratio est, quia hæc omnia constituunt agens proximè potens operari facilè, vel difficile, cum inclinatione, vel repugnantia, & cum certo gradu inclinationis, aut repugnantiæ. Ità cum aliquis peccat ex habitu, ipse habitus inclinans ad peccatum est prior natura respectu actionis peccaminosæ, quia constituit potentiam potentem peccare cum facilitate, & inclinatione. Similiter cum quis ieiunat cum habitu temperantiæ, vel intemperantiæ, tales habitus sunt priores natura, quia constituunt illum potentem ieiunare cum tali gradu facilitatis, aut repugnantiæ; & vniuersim quidquid per suam existentiam, vel per cognitionem de eius existentia constituit potentiam operandi cum certo gradu inclinationis, aut repugnantiæ est prius natura.

Quintò colligitur causam formalem, & finalem non esse priores natura respectu effectus. Ratio de causa formali est,

ad ſtupam, licet non ſit cauſa calefactionis, adhuc eſt prior natura reſpectu illius. Ratio eſt, quia ignis conſtituitur proximè potens calefacere ſtupam, per hoc, quod ſit propinquus ſtupæ; quando enim eſt remotus, non habet proximam potentiam calefaciendi ſtupam. Addo quaſdam conditiones eſſe priores natura reſpectu effectus per exiſtentiam, quam habent, non tum, quando ponitur effectus, ſed immediatè ante. Patet in motu locali. Quando ego moueor per hoc ſpatium, habeo potentiam, vt mouear per ipſum, & conſtituor potens moueri per tale ſpatium ex eo, quod immediatè antè fuerim in loco propinquo: ſi enim immediatè antè fuiſſem in loco diſtanti, non poſſem modò moueri per hoc ſpatium; ergo conſtituor proximè potens moueri per hoc ſpatium ex hoc, quod ante fuerim in loco proximo; ſed illa præſentia in ſpatio proximo non datur, quando moueor per hoc ſpatium, alioquin haberem ſimul præſentiam in duplici ſpatio, & ego eſſem in duplici loco; ergo conſtituor proximè potens moueri per hoc ſpatium per aliquid, quod extitit immediatè ante motum; ergo aliqua conditio præterita eſt prior natura, & conſtituit potentiam proximam ad hoc, vt reſultet effectus. Nihil tamen futurum

poteſt

potest naturaliter esse prius natura respectu effectus ante producti, quia nihil potest constitui in potentia ad operandum per aliquid, quod nondum est, sed erit paulo post. Addo, quod omnia, quę per suam existentiam facilitant, aut difficultant actionem, inclinant, vel retrahunt potentiam productiuam ad agendum, sunt priora respectu effectus. Ratio est, quia hæc omnia constituunt agens proximè potens operari facilè, vel difficile, cum inclinatione, vel repugnantia, & cum certo gradu inclinationis, aut repugnantiæ. Ità cum aliquis peccat ex habitu, ipse habitus inclinans ad peccatum est prior natura respectu actionis peccaminosæ, quia constituit potentiam potentem peccare cum facilitate, & inclinatione. Similiter cum quis ieiunat cum habitu temperantiæ, vel intemperantiæ, tales habitus sunt priores natura, quia constituunt illum potentem ieiunare cum tali gradu facilitatis, aut repugnantiæ; & vniuersim quidquid per suam existentiam, vel per cognitionem de eius existentia constituit potentiam operandi cum certo gradu inclinationis, aut repugnantiæ est prius natura.

Quintò colligitur causam formalem, & finalem non esse priores natura respectu effectus. Ratio de causa formali est,

quia illud solũ est prius natura respectu effectus, quod cõstituit potentiã proximã, ex qua resultat talis effectus; sed per causam formalem non constituitur potentia proxima, ex qua resultat effectus, sed cõstituitur ipse effectus in actu; e.g. per albediné non constituitur potentia ad hoc, vt paries sit albus, sed per ipsam paries constituitur albus actu; ergo causa formalis non est prior natura respectu effectus. Et confirmatur, quià repugnat, quod per illud idé, per quod aliquid vltimo constituitur in actu, constituatur potentia ad illud]. De causa finali est eadem ratio. Finis enim mouet vt possibilis; ergo non constituit per suam existentiam, vel per suum esse intrinsecum potentiam proximam, vt ponantur media, & alij effectus finis; e. g. cum quis sumit medicinam ad sanitatem recuperandam, sanitas, quæ mouet vt possibilis, non constituit per suam existentiam, vel per suum esse intrinsecum potentiam proximam sumendi medicinam propter sanitatem. Immò quando finis existit, eo ipso non possumus quidquam facere, vel ponere vllum medium ad finem consequendum: e. g. cum quis videt se iam esse sanum, eo ipso non potest facere quidquam, vel ponere vllum medium ad sanitatem recuperandam. Cognitio tamen finis vt possibi-

sibilis est prior natura respectu omnium, quæ fiunt propter finem: e. g. cognitio sanitatis vt recuperabilis est prior natura respectu omnium, quæ facit ægrotus ad sanitatem recuperandam. Ratio est, quia vt aliquis sit proximè potens operari propter finem, debet finem cognoscere vt possibilem, & vt consequibilem; ergo per cognitionem finis vt possibilis constituimur proximè potentes operari propter illum. Immò vniuersim omnis cognitio, quæ dirigit ad operandum, est prior natura respectu operationis, ad quam dirigit, & respectu effectus per operationem producti; e. g. cognitio, qua dirigitur Architectus in domo facienda, est prior natura, quam domus, cum per talem cognitionem constituatur Architectus potens sapienter, & artificiosè domum construere: similiter cognitio, qua Deus dirigitur in suis operibus faciendis, est prior natura talibus operibus. Demum eo ipso, quod cognitio directiua sit prior natura respectu operationis, ad quam dirigit, & respectu effectus, qui fit per talem operationem, sequitur, quod omnia ea, quæ cognoscũtur tanquam existentia per talem cognitionem directiuam, sint priora natura. Ratio est, quia omnia, quæ cognoscuntur vt existentia, per suam existentiam

cognitam aliqualiter dirigunt ad operandum, inclinando, vel retrahendo; ergo habent prioritatem naturæ.

Sexto demum, & vltimo infertur actionem productiuam effectus non esse priorem natura *vt quod* respectu effectus, sed esse ipsam prioritatem naturæ, & esse priorem solum *vt quo*. Ratio est, quia prioritas naturæ est additio, qua vnum additur alteri, vt dictum est; sed causa addit sibi effectum per actionem, qua producit effectum, atque adeo actio est formalis additio, qua effectus additur causæ; ergo actio est ipsa actualis prioritas naturæ, per quam causa, & potentia proxima cum omnibus suis conditionibus constituitur prior natura, quàm effectus. Et quià duplex est productio, actiua nimirum intrinseca agenti, & passiua intrinseca effectui, ideò productio actiua, per quam causa constituitur intrinsecè producens effectum, est prioritas intrinseca causæ; productio verò passiua, qua effectus constituitur intrinsecè productus à causa, est posterioritas effectui intrinseca, qua effectus constituitur intrinsecè posterior causa, & potentia, ex qua resultat. Recentiores satis communiter solent dicere, quod actio est prior origine, quam effectus. Sed congruentius dicitur, quod sit prior natura, vel

vel origine solum *vt quo*. Sicut enim albedo, quà paries constituitur formaliter albus, non est alba *vt quod*, sed *vt quo*, ita ipsa prioritas naturæ, & originis, per quam causa constituitur prior natura, vel origine, quam effectus, non est prior nisi *vt quo*.

Ad 1. Repugnat, quod idem pro eodem instanti existat simpliciter, & non existat simpliciter, e. g. repugnat quod ego nunc existam, & non existam; at non repugnat, quod idem pro eodem instanti simpliciter existat, & non existat cum certo modo, & ordine existendi, e. g. non repugnat, quod ego nunc existam simpliciter, & non existam independenter à Deo. Dum enim dicitur, quod ego non existo independenter à Deo, non negatur quod existam, sed solum negatur, quod existam tali modo, hoc est cum independentia à Deo. In casu nostro, dum dicitur *lux existit in posteriori natura, sed non existit in priori*, non negatur, quod lux existat simpliciter, sed solum negatur, quod habeat modum existendi, per quem existat in priori natura, ideoque non sequitur vlla contradictio. Si verò quæratur, quid sit lucem existere, & non existere in priori, sed in posteriori, dico quod nihil est aliud, quam lucem existere quidem in hoc in-

anti, sed ità, vt addatur Soli per productionem passiuam, qua resultat ex sole, non autem existat ita, vt habeat vllam productionem actiuam, qua sol addatur luci, & lux constituatur prior sole, vel habeat vllam productionem passiuam, qua lux addatur eidem potentiæ completæ, cui sol additur, atque adò constituatur simul natura cum sole.

Ad 2. Certum est, quod si quis assignet in instanti indiuisibili duas, aut plures partes ipsius instantis, quarum vnam dicat esse priorem, aliam posteriorem, erit fictio intellectus, cum indiuisibile partibus careat. At non est fictio, si in pluribus rebus, quæ existunt in eodem instanti indiuisibili, assignet ordinem, per quem vna res sit prima, alia secunda &c. Dum dicimus, quod in primo signo alicuius instantis datur causa, in secundo signo datur effectus, ponimus ordinem in rebus, non autem in partibus instantis. Dicimus enim causam ita existere in hoc instanti, vt habeat ad effectum ordinem prioris, quia causa ita existit, vt non addatur effectui, sed ipsi addatur effectus per productionem passiuam, per quam effectus procedit, & effluit ex causa, atque illi additur: hoc autem non est fictio, quia verè datur ordo naturæ, per quem effectus procedit ex causa, & additur

tur illi, cum causa non procedat ex effectu, neque ipsi addatur à parte rei. Similiter non est fictio, dum dicitur, quod in primo signo datur causa, & non datur effectus, in secundo signo datur effectus. Non est enim sensus, quod sit vna pars instantis in qua est causa, & effectus non est: hoc enim esset mera fictio; sed asseritur solum, quod ita in toto instanti datur causa, vt habeat ordinem prioris ad effectum, per quem ordinem verificatur, quod causa præcedat effectũ, & quod in eo signo, in quo est causa, non est effectus, quià effectus non habet similem ordinem prioritatis ad causam, quem causa habet ad effectum, nec etiam habet ordinem, quo sit simul natura cum effectu.

Ad 3. Dictum est, quod ad prius natura requiritur, vt sit id, cui additur alterum insufficiens sibi ad essendum; at Patri Aeterno additur quidem Filius, sed ita, vt Filius non sit insufficiens ad essendum, sed sit sufficientissimus; ergo Pater non est prior natura. Est tamen prior origine, vel ordine quodam, in quantum Pater est prima Persona, hoc est talis, vt nulli addatur, sed ipsi addantur cæteræ Personę, quę prioritas nullam importat præeminentiam perfectionis in priori, nullum defectum perfe-

ionis, nullamque inperfectionem in posteriori. Dum dicitur: in eo priori, in quo est Pater, non est Filius: si purè negetur, quod filio competat ille ordo prioris, qui competit *Patri*, concedo: si per hoc asseratur aliquid aliud, nego; & nego consequentiam. Istæ propositiones: *eo priori in quo* est *principium, non* est *productum, & procedens à tali principio, in quo est causa non* est *effectus*; si intelligantur in sensu, in quo debent intelligi, solũ negant, quod productũ habeat illũ ordinẽ ad principiũ, quem ordinẽ habet principiũ ad productũ, & quod effectus habeat similẽ ordinẽ ad causam, quẽ habet causa ad effectũ, & in hoc sensu sunt verissimæ. Facilè tamen est, quod aliquis sumat æquiuocationem, & intelligat, quod in aliqua parte temporis vel instãtis, in quo principium existit, non existat productum, & in hoc sensu sunt falsissimæ.

Ad 4. Ex eo, quod prioritas naturæ daretur etiam inter prædicata Dei necessaria, & ipsius decreta libera, & inter vnum decretum, atque aliud; nego sequelam. Vt enim dictum est, prioritas naturæ, & originis datur solum inter ea, quæ realiter distinguuntur; sed prædicata necessaria, & decreta libera Dei non distinguuntur realiter, saltem secundum id, secundum quod sunt intrinseca

ſecã Deo; ergo non datur inter illa prioritas naturæ. Si tamen distinguuntur virtualiter intrinſecè, nõ repugnat quod habeant quandam prioritatem virtualem, ſecundum quam vnum virtualiter additur alteri, & ab illo procedit. Dum dicitur, quod in eo priori, in quo Deus poterat velle creare, vel nolle creare, non erat decretum, ſed decretum fuit ſolum in ſigno poſteriori, diſtinguenda eſt propoſitio; ſi per hoc negetur ſolum, quod decretum habeat illam prioritatem virtualem, quam habet potentia decernendi, cui additur decretum, concedo; ſi per hoc aſſeratur aliquid aliud, nego. In omnibus enim huiuſmodi propoſitionibus non negatur exiſtentia decreti, ſed ſolum negatur exiſtentia cum eo ordine virtuali prioris, quam Deus habet ad decreta, atque idem dic ad omnes propoſitiones ſimiles. Demum dum ad impugandam vniuerſaliter talem prioritatem etiam virtualem opponitur, quod ſicut repugnat, quod Deus in aliquo inſtanti tẽporis non habeat omnia decreta, & omnem ſcientiam, ſic repugnat, quod in aliquo ſigno non habeat omnia decreta, & omnem ſcientiam, nego hoc. Nam ſi Deus pro aliquo inſtanti careret decretis, aut ſcientia aliqua, eo ipſo ſimpliciter pro eo inſtanti non haberet decre-

ca, & scientiam. At si Deus pro aliquo signo non habet scientiam, non sequitur, quod simpliciter careat scientia, sed solum quod habeat scientiam cum ordine certo, & determinato, secundum quem scientia libera additur scientiæ necessariæ quodam ordine virtuali, qui non includit imperfectionem. Nec est verum, quod si pro eo priori Deus interrogaretur, an esset creaturus mundum, non posset quæstioni respondere. Verè enim respondet quæstioni, sciendo, & dicendo, quod est creaturus, licet responsio detur pro posteriori. Non est autem absurdum, sed potius necessarium, quod responsio sit aliquo pacto posterior interrogatione. Eo enim ipso, quod est responsio, additur interrogationi ordine quodam, atque adeò est aliqualiter posterior interrogatione.

Ad 5. Ex eo, quod si daretur prioritas naturæ, omnes causæ etiã causa formalis, & finalis essent priores natura, iam est dictum, quod causa formalis & finalis nõ habent strictam prioritatem naturæ;

Ad 6. In quo opponitur, quod si conditiones essent priores natura, non apparet cur non sint causæ, & per quid à causis differant: respondeo id negando. Et quidem possumus quærere discrimen, per quod conditiones differunt à causis tum passiuis, tum actiuis. A causa passiua,

ſiua, ſeu materiali extrinſeca differunt conditiones, quia cauſa paſſiua eſt id, à quo pendet receptum, tanquam à ſubiecto potente illud recipere, & actu recipiente: conditiones verò cauſæ materialis ſunt, quæ requiruntur in ſubiecto ad hoc, vt conſtituatur proximè potens recipere formam. E. g. cum producitur ignis ex lignis, materia eſt cauſa materialis, quia forma ignis pendet à materia, tanquam à ſubiecto recipiente: diſpoſitiones verò materiæ, nimirum calor, ſiccitas &c. ſunt puræ conditiones, quia requiruntur in materia, vt conſtituatur proximè potens transſmutari in ignem. Differentia inter cauſam efficientem, & conditiones ipſius eſt, quod effectus egreditur ex efficiente per quemdam influxum, at non egreditur ex conditionibus, ſed purè ab ipſis determinatur. Si verò quæratur, quid ſit quod effectus egrediatur ex aliquo, vel purè determinetur, dico id conſtare experientia, nec indigere vlteriori explicatione. Vnuſquiſque enim experitur ſe influere in ſuos actus intelligendi, & volendi, eoſque egredi ex potentia vitali. Indicium ad diſcernendum, vtrum aliquid requiſitum ad effectum requiratur tanquam principium partialiter influens, an purè tanquam conditio determinatiua, poteſt

esse, quod principia influentia requiruntur ità, vt assimilent sibi effectus: secus purè determinantia. Ità cum ad videndum requiratur potentia visiua, & obiectum, vtrumque requiritur, tanquam principium partialiter influens, quià actus videndi assimilatur potentiæ visiuæ in vitalitate visiua, & assimilatur obiecto, vel speciei obiecti tanquam imago expressiua ipsius. Cognitio etiam requiritur vt causa partialis volitionis, quià volitio assimilatur aliqualiter cognitioni, à qua procedit, & eidem proportionatur. At propinquitas purè requiritur ad determinandum, cum non assimilet sibi effectum, qui non procedit vt similis propinquitati, sed solum vt similis agenti propinquo. Debet aduerti, quod conditiones ab Aristotele vocari solent causæ per accidens. Causæ autem per accidens sunt in duplici genere. Primo causę per accidens dicuntur, quæ ita accidunt causis per se, vt non requirantur, sed nihil referat ad productionem effectus, quod dentur, vel non dentur. In hoc sensu musicus est causa per accidens ædificationis, quia ità musicus ædificat, vt in ædificatore non requiratur musica, neque quidquam conferat ad ædificandum. Istæ causæ per accidens non considerātur in scientijs. Secundo causæ
per

per accidens dicuntur, quæ ita accidunt causis per se, vt requirantur ad hoc, vt causent, adeoque sint determinatiuæ effectus, & istæ vocantur à philosophis conditiones. Ità cum ignis propinquus stupæ calefacit illam, propinquitas est causa per accidens calefactionis, quia ita accidit igni, vt requiratur ad hoc, vt ignis calefaciat, & istæ considerari debent à philosophis, quia ad sciendam productionem effectus, debet sciri non solum quæ causæ requirantur, sed etiam quibus conditionibus debeant esse affectæ ad causandum. In hoc sensu priuatio est principium, & causa per accidens requisita in materia, & comprehendit omnes conditiones materiæ, vt explicatum est suo loco.

Ad 7. Respondeo concedo, quod ordo prioritatis naturæ debeat distngui à rebus ordinatis. Cum quæritur in quo consistat, dico, quod productio actiua est prioritas, per quam efficiens est intrinsecè prius natura effectu; & quod productio passiua est ordo, quo effectus est posterior natura causa efficiente. Sed potest quæri, vtrum productio actiua, per quam ignis e. g. producit calorem, & quæ est prioritas ignis sit essentialiter affixa non solum igni, qui est causa efficiens caloris, sed etiam conditionibus purè determinatiuis ignis ad productionem caloris.

Qui-

Quidam affirmant, alij communius negant, quos ego ſequor. Ratio eſt, quia cum actio ſit influxus, quo agens producit effectum, non autem ſit influxus conditionum, ex ſua ratione videtur importare affixionem cum ſolo agente, non autem cum conditionibus. Quod ſi quæratur, per quid habeat hæc actio hoc, quod eſt determinari à talibus conditionibus; reſpondeo, quod habet id per relationes, quibus tali modo reſpicit tales conditiones, præſertim cum relationes ſint inſtitutæ à natura ad hunc finem, vt res inuicem ordinentur, & connectantur varijs modis, prout expedit ad perfectionem, & pulchritudinem vniuerſi; ergo non eſt mirum, ſi conditiones connectantur cum effectibus per certas relationes.

QVAESTIO XXIII.

Vtrum poſſit dari mutua cauſalitas, & prioritas naturæ.

Videtur, quod poſſit dari mutua cauſalitas, per quam duo ſe inuicem cauſent, vel in eodem genere, vt docuerunt pauci recentiores contra omnes antiquos, vel ſaltem in diuerſo genere, vt docent

docent communiter Thomistæ allegantes S. Thomam, & ex nostris recentioribus Ruuius, Fonseca, Conimbricenses, Molina, Valentia, Vasquez prima secundæ disp. 112. & alij. 1. quia nulla est repugnantia, quod duo se inuicem producant pro eodem instanti reali temporis, ita ut A producat B. & B. producat A. Et confirmatur, quia posset Deus ita producere duo, nimirum A, & B, vt simul produceret duas actiones, per quarum vnam A. produceret B. per aliam B. produceret A; nam sicut posset producere singulas ex istis actionibus seorsim, ita posset illas simul coniungere; ergo potest saltem supernaturaliter dari mutua causalitas in eodem genere causæ efficientis.

2. Ex Aristotele 2. phys. tex. 13. datur mutua causalitas inter finem, & media: cum enim quis ambulat propter sanitatẽ, sanitas est causa finalis ambulandi, ambulatio est causa efficiens sanitatis; ergo potest saltem dari mutua causalitas inter causas diuersi generis; sed eadem etiam est ratio de causis eiusdem generis; ergo &c.

3. Quando Deus creat Angelum, Angelus pendet ab actione creatiua saltem in genere causæ efficientis *vt quo*, & eadẽ creatio passiua pendet ab Angelo in genere causæ materialis; omne enim accidens

dens, quod recipitur in aliquo subiecto, pendet à subiecto recipiente in genere causæ materialis; ergo datur inter creationem passiuam Angeli, & Angelum mutua causalitas saltem in diuerso genere causæ.

4 Materia, & forma sunt sibi inuicem causæ. Sicut enim materia non potest esse sine forma, ideoque pendet, & causatur à forma in genere causæ formalis, sic forma non potest esse sine materia, ideoque pendet à materia in genere causæ materialis.

5. Cum introducitur vna forma, & expellitur alia, e. g. cum introducitur forma ignis in materia, & expellitur forma ligni, introductio formæ nouæ est causa, cur expellatur forma vetus; ideò enim expellitur à materia forma ligni, quia in illam introducitur forma ignis; sed etiam expulsio formæ veteris est causa introductionis formæ nouæ; nam ideo introducitur forma ignis, quia expellitur forma ligni; ergo datur mutua causalitas.

6. Quando ignis producitur ex lignis, dispositiones anteà introductæ, nimirum calor, siccitas &c. sunt priores natura forma ignis, cum ad illam disponant, & præparent materiam, & forma ignis est causa receptiua, ac sustentatiua talium dispo-

dispositionum, cum illæ recipiantur in forma ignis tanquam in subiecto sustentante; est etiam causa effectiua earundem dispositionum, quià proprietates debitæ alicui formæ substantiali emanant ab illa tanquam à causa efficiente; ergo datur mutua prioritas, & causalitas inter formam substantialem, & dispositiones ipsius.

7. Plures sunt experientiæ. Prima experientia est: cum ventus aperit fenestram, & ingreditur, apertio fenestræ est causa ingressus venti; nam si fenestra non aperiretur, ventus non posset ingredi; sed ingressus venti est etiam causa aperitionis; nam si ventus nō ingrederetur, fenestra non aperiretur; ergo. Secunda experientia est: duo carbones igniti mutuo conseruant calorem, ideoque diutius cōseruant talem calorem vniti, quam separati; ergo. Tertia experientia est: duo baculi se inuicem sustentant; ergo sustentatio vnius baculi est causa, cur alter sustentetur, & hoc mutuo. Quarta est: cum in curru quatuor rotæ mouentur, motus vnius rotæ est causa facilitans, & adiuuās motū alterius rotæ, & hoc mutuo Quinta experientia est: impulsus violentus lapidi impressus causat in lapide motum sursum, & idem impulsus conseruatur à motu, vt patet; quià si motus lapidis impediatur, statim destruitur talis impulsus.

Sexta

dens, quod recipitur in aliquo subiecto, pendet à subiecto recipiente in genere causæ materialis; ergo datur inter creationem passiuam Angeli, & Angelum mutua causalitas saltem in diuerso genere causæ.

4 Materia,& forma sunt sibi inuicem causæ. Sicut enim materia non potest esse sine forma, ideoque pendet,& causatur à forma in genere causæ formalis, sic forma non potest esse sine materia, ideoque pendet à materia in genere causæ materialis.

5. Cum introducitur vna forma, & expellitur alia, e. g. cum introducitur forma ignis in materia,& expellitur forma ligni, introductio formæ nouæ est causa,cur expellatur forma vetus; ideò enim expellitur à materia forma ligni, quia in illam introducitur forma ignis; sed etiam expulsio formæ veteris est causa introductionis formæ nouæ; nam ideo introducitur forma ignis, quia expellitur forma ligni; ergo datur mutua causalitas.

6. Quando ignis producitur ex lignis, dispositio nes anteà introductæ, nimirum calor, siccitas &c. sunt priores natura forma ignis, cum ad illam disponant, & præparent materiam, & forma ignis est causa receptiua, ac sustentatiua talium dispo-

dispositionum, cum illæ recipiantur in forma ignis tanquam in subiecto sustentante; est etiam causa effectiua earundem dispositionum, quià proprietates debitæ alicui formæ substantiali emanant ab illa tanquam à causa efficiente; ergo datur mutua prioritas, & causalitas inter formam substantialem, & dispositiones ipsius.

7. Plures sunt experientiæ. Prima experientia est: cum ventus aperit fenestram, & ingreditur, apertio fenestræ est causa ingressus venti; nam si fenestra non aperiretur, ventus non posset ingredi; sed ingressus venti est etiam causa aperitionis; nam si ventus nō ingrederetur, fenestra non aperiretur; ergo. Secunda experientia est: duo carbones igniti mutuo conseruant calorem, ideoque diutius cōseruant talem calorem vniti, quam separati; ergo. Tertia experientia est: duo baculi se inuicem sustentant; ergo sustentatio vnius baculi est causa, cur alter sustentetur, & hoc mutuo. Quarta est: cum in curru quatuor rotæ mouentur, motus vnius rotæ est causa facilitans, & adiuuās motū alterius rotæ, & hoc mutuo. Quinta experientia est: impulsus violentus lapidi impressus causat in lapide motum sursum, & idem impulsus conseruatur à motu, vt patet, quià si motus lapidis impediatur, statim destruitur talis impulsus.

Sexta

Sexta est: si quis dicat, *Ego nolo mouere manum dexteram, nisi moueam sinistram, & nolo mouere sinistram, nisi moueam dexteram,* si moueat vtramque manum, ideò mouebit vnam, quia mouet alteram; ergo tales motus se inuicem causabunt. Et vrgetur difficultas, quia posset vnus Angelus dicere, *ego volo moueri, si videam moueri aliũ Angelum, volo quiescere, si videam alium Angelum quiescere, & volo facere quodcumque videro fieri ab altero*; posset alius Angelus idem omninò decernere; in hoc casu siue vterque moueretur, siue quiesceret, ideo moueretur vnus, quia moueretur alius; ideò quiesceret vnus, quia quiesceret alius; ergo inter motus, & quietes istorum Angelorum daretur mutua prioritas naturæ.

Respondeo certum esse ex Aristotele 2.phys.tex.13.quem omnes sequuntur, inter quasdam causas dari mutuam causalitatem. Ità datur mutua causalitas inter finem, & media. Finis enim est causa finalis positionis mediorum; media verò si vtiliter ponuntur, sunt causa effectiua finis, vel saltem sunt conditio, aut dispositio ad finem consequendum; e.g. sanitas est causa finalis sumendi medicinam; est enim id, cuius gratia sumitur medicina; medicina verò si sumatur vtiliter, est causa efficiens sanitatis. Verum inter ea, quæ

quæ se mutuo causant modo explicato, hæc est differentia, quod finis causat positionem mediorum, non vt existens in semetipso, sed solum prout cognitus tanquam possibilis, & consequibilis per media; media verò è conuerso causant finem vt existentia in semetipsis. Ratio est, quià tota vtilitas medij consistit in hoc, quod eius positio, & existentia conducat ad positionem finis; e. g. vtilitas medicinæ consistit in hoc, vt sumptio medicinæ cōducat ad positionem sanitatis, & si existētia, & positio medicinæ ad hoc non conduceret, frustrà, & inutiliter sumeretur medicina; ergo medium per suam existētiam est causatiuum finis. E conuerso finis non causat medium vt existens in se ipso. Neque enim sanitas, vt in se ipsa existens est ratio, cur ponantur media, immò esset omninò stultum sumere medicinam propter sanitatem, quæ iam existit, & habetur, sed sanitas prout cognita tanquam possibilis, & consequibilis per sumptionem medicinæ, mouet ad medicinam sumendam. Hæc diuersitas causalitatis inter modum, quo media causant finem, & finis causat media, explicatur per modum loquendi. Dicimus enim, quod medium ponitur, non quia finis existit, sed vt finis existat: e conuerso dicimus, quod finis datur, quià media sunt posita,

non

non vt media ponantur: e.g. ęgrotus curatur, & sumit medicinam, non quià est sanus, sed vt sanetur; è conuerso ægrotus est sanus, non vt curetur, & vt sumat medicinam, sed quià iam est curatus, & medicinam sumpsit.

Secundò certum videtur, & communiter admittitur posse duo se inuicem causare in diuerso genere per quasdam causalitates, quę non inuoluunt mutuam prioritatem naturæ in eo sensu, in quo illam definiuimus cap. superiore. Ita e.g. materia, & forma se mutuo causant, in quantum materia causat formam, illam sustentando, forma causat materiam, illam informando, illique dando existentiam determinatam. Sed hæc mutua causalitas non includit mutuam prioritatem naturę, vt inferius patebit. Prætereà possunt etiam duo saltem de potentia absoluta se inuicem causare etiam in eodem genere, & cum mutua prioritate naturę pro diuerso tempore. Ita non repugnat, quod diuinitus filius alio tempore producat suum Patrem, à quo fuit ante productus.

Difficultas igitur est, an possint duo se mutuo causare in eodem instanti cum mutua, & propria proprietate naturę, seu sint veræ causæ, seu merę conditiones. In qua quæstione tenenda est sententia negatiua, quam docet Scotus in secundo

dist.

dist. 12. quæst. 2. cum Scotistis; Suarius disp. 15. Metaph. Cardinalis de Lugo de pœnitentia disp. 8. sect. 7. & 8. & plures alij recentiores. Puto etiam, quod eandē sententiam doceant antiqui, licet passim admittant mutuam causalitatem, & mutuam prioritatem, loquentes de ea, quæ non includit mutuam prioritatem naturæ in sensu rigoroso, in quo sumitur hic.

Probatur, quià prius natura propriè est, quod per suam existentiam constituit potentiam proximam, ex qua resultat effectus; e.g. cum ignis calefacit, omnia illa sunt priora natura respectu caloris, per quæ ignis constituitur proximè potens producere talem calorem; sed nihil ex illis, quæ constituunt per suam existentiam potentiam proximam, ex qua resultat effectus, potest esse posterius natura, quam effectus; e.g. nihil ex illis, per quę ignis constituitur proximè potens producere calorem, potest esse posterius natura, quam calor; ergo non potest dari mutua prioritas naturę. Probatur minor, quià quod operatur, iam est proximè potens operari, & implicat, quod acquirat potentiam proximam operandi ab ipsa sua operatione, & ab effectu producto per talem potentiam: e.g. qui currit, iam est proximè potens currere, & impli-

implicat contradictionem, quod dependenter à cursu acquirat pedes, per quos constituatur proximè potens currere; sed si aliquid ex ijs, quę constituunt potentiam proximam, ex qua resultat effectus, esset posterius natura, quam talis effectus, eo ipso quod operatur, & producit effectum acquireret potentiam proximam operandi dependenter à sua operatione; e. g. si aliquid ex ijs, per quæ ego constituor proximè potens currere, esset posterius natura, quam cursus, quo curro, ego acquirerem potentiam proximam currendi per ipsum cursum, quo curro, & esset sicut si currendo acquirerem pedes, quibus currerem; ergo &c. Probatur minor, quia vnumquodque acquiritur à potentia, ex qua illud resultat, atque adeo ex omnibus constitutiuis talis potentię; e. g. calor acquiritur à potentia proxima calefaciendi; & quia potentia proxima calefaciendi constituitur etiam per propinquitatem ignis, ideo calor acquiritur etiam ab ignis propinquitate; sed si effectus esset prior natura, quā aliquid constitutiuum potentiæ proximæ ad ipsum effectum, eo ipso effectus constitueret potentiam, ex qua resultaret tale constitutiuum; ergo eo ipso acquireret potentiam proximam producendi effectum ab ipso suo effectu, & esset sicut si

auis

quis acquireret alas ab ipso volatu, quem per alas exercet, atque afficit.

Hinc primo habetur repugnare mutuam causalitatem in genere causę efficientis: e.g. repugnat quod A producat B, & B producat A pro eodem instanti. Eo enim ipso sequeretur, quod A producendo B, acciperet ab ipso B esse, per quod constituitur proximè potens producere ipsum B. & esset sicut si quis currendo acquireret pedes, per quos posset currere. Et confirmatur, quia quid magis absurdum, quam quod cursus factus per pedes det mihi pedes, per quos possim currere, & cursum efficere; sed in casu nostro sequeretur, quod A efficiens B, ab ipso B effecto reciperet esse, & potentiam producendi, per quam posset illud efficere, ac producere; ergo est absurdissima mutua causalitas in eodem genere causę efficientis, ideoque ab omnibus antiquis negata.

Secundo habetur repugnare non solũ quod aliquid producat suam causam, à qua producitur immediatè, sed etiam quod producat pro eodem instanti causā productiuam suę causę, à qua producitur mediatè; e.g. non solum repugnat, quod A, & B se mutuo producant, sed etiam, quod A producat C, quod C producat B, quod B producat ipsum A. Ratio est, quià

quià non minus repugnat, quod aliquid à suo effectu recipiat potentiam producendi talem effectum, quam quod aliquid à suo effectu accipiat virtutem producendi sibi potentiam, qua efficiat talem effectum; e. g. non minus repugnat, quod aliquis à motu pedum accipiat pedes, quibus moueatur, quam quod à motu pedum accipiat virtutem efficiendi sibi pedes, quibus moueatur; sed hoc sequeretur in casu posito; nam A producens C faceret virtutem efficiendi B, quod est potentia productiua ipsius A; ergo &c.

Tertio habetur repugnare etiam, quod mutuò se producant, atque efficiant duæ causę productę à tertia; e. g. repugnat, quod Deus ita producat A, & B, vt ipsa se inuicem producant, & efficiant. Ratio est eadem, quià adhuc A à suo effectu B acciperet potentiam producendi ipsum B.

Quarto habetur æquè repugnare mutuam prioritatem originis e. g. quâ Pater, & Filius Aeternus se mutuò producerent. Ratio est, quia repugnat vniuersim, quod producens accipiat à producto potentiam proximam producendi ipsum. Ideo sicut in ordine causarum non proceditur in infinitum, neque sistitur in pluribus causis se inuicem causantibus, sed peruenitur ad aliquam primam causam

ſam incauſatam, quæ eſt Deus; ita in ordine productorum non proceditur in infinitum, neque ſiſtitur in pluribus ſe mutuo producentibus, ſed peruenitur ad aliquod primum producens improductũ, qualis eſt Pater Aeternus.

Quinto habetur æquè repugnare, quod effectus habeat prioritatem naturæ proximam, aut remotam reſpectu omnium conditionum. Ratio eſt, quia eo ipſo, quod effectus eſſet prior natura reſpectu conditionis, eſſet prior natura reſpectu alicuius conſtitutiui potentiæ, ex qua reſultaret talis effectus; ſed effectus reſultans accipitur à potentia, & ab omnibus conſtitutiuis talis potentię; ergo eo ipſo cauſa producens effectum reciperet ab effectu potentiam proximam illũ producendi, vel virtutem efficiendi ſibi potentiam proximam; quod implicat, quia eſſet ſicut ſi pedes acciperent à motu potentiam proximam ſe mouendi tali motu, vel aliquid, per quod conſtituerentur proximè mobiles.

Sexto habetur poſſe hoc idem argumentum contra mutuam prioritatem naturę vrgeri alijs etiam modis. Omnis enim cauſa agit non vt ſit, ſed quia iam eſt, non vt poſſit operari, ſed quia iam poteſt operari; ſed ſi daretur mutua prioritas, poſſet cauſa agere vt eſſet, & vt

posset operari; ergo repugnat mutua prioritas. Probatur minor: omnis causa agit, vt sit effectus, & sint omnes effectus ipsius effectus: e. g. Pater generat filium, vt sit filius, & omnes nepotes, ac pronepotes ex filio nascituri; sed inter effectus productos ab effectu esset ipsamet causa; ergo causa operaretur, & ageret, vt esset, & vt posset operari. Rursus nullus effectus producitur, quia est; sed si daretur mutua causalitas effectus produceretur, quia est; ergo &c. Probatur minor: omnis effectus producitur, quia est causa ipsius, & causę causarum: e.g. ego sum productus, quia erat meus pater, & fuerunt alij progenitores; sed inter causas productiuas effectus, & productiuas causarum ipsius esset ipsemet effectus; ergo effectus produceretur, quia est pro eodem instanti, pro quo producitur. Pręterea sequeretur, quod aliquid esset vtile ad positionem sui. Quod enim est prius natura est vtile ad posterius, quod sequitur ex ipso, & ad omnia, quæ sequuntur ex tali posteriori; e. g. admotio ignis pulueri tormentario est vtilis ad pulueris incensionem, & ad omnes effectus consequentes talem incensionem; sed inter effectus sequentes talem incensionem esset ipsamet admotio ignis; ergo esset vtilis ad seipsam.

Ad

Ad 1. iam responsum est afferendo repugnantiam mutuæ causalitatis. Dum vrgetur, quia sicut Deus posset producere seorsim duas actiones, per quarum vnam A produceret B, per alteram B produceret A, ità posset producere simul: respondeo, quod multa, quę sunt possibilia seorsim, sunt simul impossibilia, & inconiungibilia, vt patet in actu amoris, & odij circa idem obiectum, in actu assensus, ac dissensus, & in pluribus alijs. In casu nostro sunt simul incompossibiles duæ actiones, per quarum vnam A producat B, per alteram producatur à B ex rationibus allatis pro conclusione.

Ad 2. Media sunt quidem priora natura, quam finis; nam existentia mediorum constituit potentiam, ex qua finis resultat; at finis è conuerso non est prior natura, quam media, quià existentia finis non constituit potentiam, ex qua resultat positio mediorum; ergo inter finem, & media non datur mutua prioritas naturæ, ac proinde non repugnat mutua causalitas inter finem, & media. Et confirmatur, nam media non ponuntur, quia finis est positus, sed vt finis ponatur: finis è conuerso non ponitur, vt media ponantur, sed quia sunt posita; quod verò duo sic se mutuo causent, vt vnum ponatur, quia aliud est positum, aliud pona-

 tur

tur, non quia aliud est positum, sed vt ponatur, non est absurdum, sed necessarium in plerisque. Homo enim videt, quia habet oculos, per quos potest videre: & habet oculos, per quos potest videre, vt per illos videat, non quia videt per illos At si duo haberent mutuam prioritatem naturę, eo ipso vtrumque poneretur, quia aliud est positum, quod repugnat, sicut repugnat, quod homo videat, quia habet oculos, per quos possit videre, & rursus habeat oculos, per quos possit videre, quia videt actu per oculos.

Ad 3. Respondeo primo plures authores probabiliter opinari, quod non detur creatio passiua distincta à termino producto, & si hæc doctrina est vera, argumentum non habet vllam vim. Secundo admittendo, quod detur creatio passiua distincta, concedo, quod intercedat inter creationem passiuam, & terminum creatum aliqua mutua prioritas minus propria, quam non reijcimus; quia non valent contra illam rationes conclusionis. Nos enim solum reijcimus mutuam prioritatem, per quã duo ità se habeant, vt vtrumque constituat potentiam, ex qua aliud resultat. *In* hoc sensu neque creatio passiua est prior *natura*, quam Angelus, quia potentia proxima, ex qua resultat Angelus, est sola Diuina Omnipotentia

tia, & non creatio, per quam creationem Angelus non constituitur potens produci, sed actu productus; neque Angelus est prior natura creatione passiua, quia potentia proxima, ex qua resultat creatio passiua Angeli, non est Angelus, sed solum diuina Omnipotentia, ex qua resultat Angelus simul, & eius creatio passiua; ergo Angelus, & creatio passiua non habent propriam prioritatem, sed simultaté naturæ, cum resultent ex eadem proxima potentia, absque eo, quod vnum constituat potentiam, ex qua resultat alterum. Habent tamen Angelus, & eius creatio passiua quamdam mutuam prioritatem minus propriam, in quantum eo ipso, quod Angelus producitur per creationẽ passiuam, habet esse à creatione passiua, & pendet ab illa tanquam à sua productione, & rursus creatio cum sit Angeli accidens, pendet ab Angelo tanquam à subiecto, in quo ita est, vt non possit esse, quin sit in illo. Quia creatio passiua est accidens pendens à subiecto sine rigorosa posterioritate naturæ, solent dicere aliqui Recentiores, quod est accidens adhærens subiecto, non autem inhærens, putantes, quod ad inhærentiam requiratur, vt forma pendeat à subiecto cum propria posterioritate naturæ. E conuerso alij recentiores reijciunt hunc mo-

dum loquendi vt nouum, & absurdum, putantes omne accidens, & omnem formam materialem inhærere subiecto, solam animam rationalem, quæ est forma spiritualis, purè adhærere subiecto. Quęstio est de nomine. Videntur tamen congruentius loqui qui concedunt omne accidens inhęrere subiecto, etiam creationem passiuam. Ratio est, quia forma inhęrens est, quę ità recipitur in subiecto, vt ab eo pendeat secundum suum esse, etiamsi non habeat propriam posterioritatem naturæ.

Ad 4. Admitti potest, & communiter ab auctoribus admittitur, quod materia, & forma materialis se inuicem causent, in quantum forma pendet à materia tanquam à subiecto sustentante, & materia pendet à forma tanquam ab actu dante materię esse specificum, & determinatam existentiam. At ista mutua causalitas nō inuoluit propriam mutuam prioritatem. Ratio est, quia vel loquimur de materia, & forma in prima creatione, cum Deus creauit Cœlum, & terrā, atque adeò materiam cum forma, & in prima creatione neq; materia fuit prior natura, quam forma, neque forma fuit prior natura, quam materia. Prius enim natura est quod constituit potentiam, ex qua aliud resultat; potentia verò, ex qua in

in creatione resultarunt res, fuit sola Diuina Omnipotentia, ex qua effluxerunt; ergo neque materia effluxit ex potentia constituta per formam, neque forma ex potentia constituta per materiam, sed effluxerunt simultanee solum ex Diuina virtute; ergo non habuerunt propriam prioritatem naturę. Vel loquimur de forma inducta in materiam per naturalem generationem, & transmutationẽ, & in naturali transmutatione materia cum existentia habita in tempore antecedenti est prior natura, quam forma inducta, quia agens naturale constituitur proximè potens transmutare subiectum per hoc, quod subiectum sit transmutabile, sicut constituitur proximè potens mouere per hoc, quod subiectum sit mobile; sed subiectum constituitur transmutabile per hoc, quod in instanti antecedenti existeret cum forma propinqua formę inducendæ, eo pacto, quo mobile constituitur proximè potens moueri in hoc spatio per hoc, quod ante fuerit in spatio proximo; ergo materia est prior natura, quam forma per naturalem generationem introducta. At forma non est prior natura, quam materia, quia per hoc, quod forma existat, materia non constituitur proximè potens existere, sed constituitur actu existens. Quan-

do materia, & forma conseruantur, materia, & forma prout in instanti antecedenti sunt priores natura duratione, quam habent in instanti sequenti, quia constituuntur proximè potentes recipere talem durationem per hoc, quod immediatè ante existerent.

Ad 5. Expulsio formæ veteris, & introductio nouæ sunt effectus simultanei procedentes ab eadem potentia faciendi simul vtrumque effectum, non autem effectus mutuo priores natura. Dum opponitur; ideò expellitur forma vetus, quia introducitur noua, & ideò introducitur noua, quia expellitur vetus; ergo introductio, & expulsio mutuo sunt causæ: distinguo antecedens: si ly *ideò* significet prioritatem constitutiuam potentię, ex qua resultat effectus, nego; si tantum significet connexionem, per quā effectus resultant ex eadem potentia proxima, concedo antecedens, & nego consequentiam. Particula *ideò* aliquando sumitur latè, vt significet solam connexionem, & in hoc sensu verū est, quod ideò expellitur forma vetus, quia introducitur noua, & ideò introducitur noua, quia expellitur vetus: si verò ly *ideò* sumatur strictè, in quantum significat veram prioritatem naturæ, neganda est propositio.

Ad 6. Respondeo ex dictis supra, ac dicen-

dicendis infra, cum agetur de resolutione vsque ad materiam primam, dispositiones præcedere non solum natura, sed etiam tempore formam substantialem, ac non remanere eadem numero accidētia, introducta forma substantiali, sed resultare alia numero accidentia. Cum igitur diuersa sint numero accidentia, quæ disponunt materiam in instanti antecedenti, diuersa accidentia, quę consequuntur ad formam in instanti præsenti, nulla datur mutua prioritas. Admittendo verò quod remaneant eædem numero dispositiones, sunt alij modi soluendi hoc argumentum, qui videri possunt apud recentiores.

Ad 7. ex pluribus experientijs. Respondeo nullam ipsarum probare mutuā prioritatem naturæ propriam, sed probare vel solam simultatem naturæ, vel mutuam prioritatem impropriam. Ad primam experientiam dico, quod cum ventus aperit fenestram, & ingreditur, apertio fenestræ, & ingressus venti sunt effectus non mutuo priores, sed simultanei. Ventus enim per suam vim motiuā, & impulsiuam, & per hoc, quod fenestra habeat tantam resistentiam &c. constituitur proximè potens occupare locum fenestrę, expellendo simul, ac dimouendo fenestram ex loco, in quo erat. Qua-

e dicendum proportionaliter ad ea, quę diximus de introductione formæ nouæ, & expulsione formæ veteris. Dum opponitur, si ventus non ingrederetur, fenestra non aperiretur; ergo ingressus venti est causa apertionis: si fenestra non aperiretur, ventus non ingrederetur; ergo apertio fenestræ est causa ingressus; concedo vtrumque antecedens, & nego vtramque consequentiam. Ex eo enim, quod si non esset vnum, non esset aliud, non probatur causalitas, sed quęcunque connexio, vel causę cum effectu, vel effectus cum causa, vel duorum effectuum concomitantium. Quia igitur isti duo effectus, qui sunt ingressus venti, & apertio fenestrę, vtpotè procedentes à potentia determinata ad non faciendum vnum sine alio, sunt connexi concomitanter, ideò vera est illa conditionalis, licet non detur mutua prioritas, vel causalitas.

Ad secundam experientiam de duobus carbonibus ignitis, respondeo calores carbonum non se mutuo conseruare pro eodem instanti, sed conseruari per conseruationem simultaneam ab Omnipotentia Diuina, ad quam tamquam ad primam causam spectat omnes formas substantiales, & plerasque accidentales, paucissimis exceptis, quales sunt lumen, spe-

ſpecies &c. conſeruare in eſſe, dum non eſt præſens cauſa ſecunda validior potens introducere aliam formam naturaliter incompoſſibilem cum priori, atque adeo expulſiuam illius. Quia igitur calor carbonum iam eſt poſitus in eſſe, & quia non eſt præſens agens validius potens introducere frigus, conſeruatur ſimul à Deo, ita ut Deus conſtituatur debens naturaliter conſeruare talem calorem, quia ante exiſtit, & non eſt præſens agens validius potens introducere frigus contrarium. Ratio verò, cur calor duorum carbonum vnitorum diutius cōſeruetur, quam ſi eſſent ſeparati, eſt quia duo carbones vniti ſunt agens fortius, adeoque poſtulans contrarium validius ad deſtructionem; ergo propter hoc ipſum, quia calor nunc exiſtens eſt validior, vtpote extenſiuè maior, plus ex illo conſeruatur in inſtanti ſequenti, ac minus diminuitur ad pręſentiam agentis coutrarij, quam diminueretur, ſi eſſet calor vnius tantum carbonis, qui vtpote minor extenſiuè, eſt agens debilius.

Vrgent: calor carbonum producit calorem in aere ambiente; ſed calor aeris ambientis conſeruat calorem carbonum pro eodem inſtanti; ergo datur mutua cauſalitas. Reſpondeo negando minorem. Nam calor productus in aere

càrbonibus nullo pacto concurrit ad onseruationem caloris, à quo producitur pro eodem instanti, sed concurrit d conseruationem ipsius pro instanti equenti per modum vnius agentis fortioris propter maiorem extensionem.

Dicunt: si aer ambiens non haberet alem calorem productum à carbonibus, o ipso calor carbonum diminueretur; ergo calor productus in aere concurrit ad conseruationem caloris producentis pro eodem instanti.

Respondeo nego consequentiam Nam ratio, cur tum calor carbonum diminueretur, esset, quia daretur causa validior potens calorem carbonum diminuere, & simul impedire, ne produceret calorem in aere, ac determinare conseruationem frigoris, quod erat ante in ambiente.

Adducunt doctrinā Aristotelis 2. physic. tex. 30. *cum affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis*; e.gr. si si præsentia gubernatoris est causa salutis, absentia eiusdem est causa naufragij; sed frigus ambientis esset causa, cur calor carbonum non conseruaretur pro hoc instanti; ergo negatio frigoris in ambiente, seu calor ambientis est causa, cur in carbonibus calor conseruetur. Respondeo regulam Aristotelis intelligen-

gendam de negatione incausata, vt patet; nam si vita gubernatoris est causa salutis in naui, non quælibet mors est causa naufragij, sed mors incausata à naufragio. Nam si gubernator pereat ex naufragio, mors gubernatoris non est causa naufragij, à quo causatur. Si non quælibet negatio frigoris in ambiente est causa, cur conseruetur calor in carbonibus, sed negatio incausata à calore carbonum. At negatio frigoris in aere causata à calore carbonum non est causa conseruans talem calorem pro eodem instanti. Hinc patet responsio ad similem instantiam: contrarium est causa destructionis; ergo negatio contrarij est causa conseruationis; sed negatio frigoris in aere ambiente est negatio contrarij respectu caloris carbonum; ergo negatio frigoris est causa conseruatiua caloris. Dicendum est enim, quod non omnis negatio contrarij est causa conseruationis, sed sola negatio non causata à contrario; illa verò negatio frigoris in aere ambiente, quæ causatur à calore carbonum, propter hoc ipsum non potest esse causa conseruatiua eiusdem caloris.

Ad tertiam experientiam de duobus baculis concedo, quod duo baculi se inuicem sustentent: sed ex hoc non sequitur mutua causalitas. Nam vnus baculus

non causat alterum baculum, sed solum causat sustentationem alterius. Sustentatio verò actualis vnius baculi non causat sustentationem alterius, quod ad mutuam causalitatem requireretur, sed tales sustẽtationes sunt effectus simultanei causati à grauitate vtriusque baculi. Quia enim baculi habent tantam grauitatem, & ante erant in loco, & nunc neque possunt ascendere, neque descendere, neque moueri lateraliter, ideo sustentantur, ac remanent in loco, in quo erant ante, detenti in eo ab vtriusque grauitate. Non possunt ascendere, quia grauitas resistit ascensui; non possunt moueri lateraliter, quia grauitas resistit etiam motui laterali; non possunt descendere, quia resistit mutua ipsorum impenetrabilitas, ne simul descendant; deberent enim inuicem penetrari, & eorumdem grauitas impedit, ne vnus ascendat, alterum eleuando; ergo à sua grauitate determinata à situ, & alijs circunstantijs oritur, vt maneant in eodem loco, & per hoc se inuicem sustentent sine vlla mutua causalitate sustentationum actualium. Ex eo verò, quod si cadit vnus, cadit alter, infertur solum, quod eadem sit causa cadendi vtrique, sicut eadem est causa vtriusque sustentatiua.

Ad quartam ex eo, quod in curru motus

tus vnius rotæ facilitet motum alterius, concedo, quod facilitas ad motum vnius eo ipso facilitet etiam ad motum alterius propter mutuam connexionem talium motuum, sed nego, quod motus actualis vnius rotæ facilitet motum alterius. Rotæ enim in curru sunt ita connexæ, & colligatę, vt debeant simul moueri; ergo omnia, quę facilitant motum vnius, facilitant etiam motum alterius, & omnia, quę difficultant motum vnius, difficultant motum alterius, non quia motus facilitet motum, sed quia causa est determinata ad non mouendam vnam rotam sine alia propter mutuam earum connexionem; ergo eo ipso, quod causa habet difficultatem ad vnam rotam mouendam, habet etiam difficultatem ad mouendam aliam.

Vrgetur, quia quotiescumque aliquo ablato, requiruntur maiores vires ad ponendum effectum, tunc illud est causa saltem adiuuans ad talem effectum; sed in curru impedito motu vnius rotæ, eo ipso ad motum aliarũ requiruntur maiores vires; ergo motus singularum rotarum est causa adiuuans motum aliarum.

Respondeo negando maiorem esse veram vniuersaliter. Maiores enim vires requiri possunt non solum ex eo quia id, quod fuit ablatum, adiuuaret, sed ex

aliis

alijs etiam rationibus. Primo ex eo, quod istę vires sunt determinatæ ad faciendum vtrumque effectum simul, vel neutrum; ergo eo ipso, quod istę vires impediuntur à faciendo vno, impediuntur etiam à faciendo alio, atque adeo debent addi nouæ vires, vt illum solum efficiant. Secundo, quia si fiat vnum sine alio, eo ipso debet fieri aliquis alius effectus difficilior, adeoque requirens vires maiores. Ita in casu de rotis impedito motu vnius rotæ, vt alię mouerentur, eo ipso deberet fieri nouus effectus, discontinuando rotas, & totum currum, & cum tali discontinuatione coniungendo motum vniformem rotarum; hic autem effectus discontinuationis est multo difficilior, quam motus currus cum quatuor rotis connexis, ac non discontinuatis. Pręterea sępe ad faciendum vnum sine alio requiruntur maiores vires, quia eo ipso deberet causa coniungere quędam inconiungibilia: e g. requiruntur maiores vires ad introducendam formam nouam, non expellendo veterem, quia eo ipso, quod causa introduceret nouam formam, non expellendo veterem, deberet coniungere in eadem materia duas formas: similiter requiruntur maiores vires, vt ventus ingrediatur, non aperta fenestra, quia eo ipso ventus deberet pe-

netra-

netrari in eodem loco cum fenestra; ergo non semper ex eo, quod ad faciendum vnum sine alio, requiruntur vires maiores, sequitur, quod illud adiuuet, quia possunt vires maiores requiri ex alio capite. Confirmatur, quia maiores vires requiruntur ad Solem conseruandum sine luce, quam ad Solem conseruandum cum luce: ad conseruandum enim Solem sine luce requiruntur vires miraculosę; ad conseruandum Solem cum luce, non requiruntur vires miraculosę; & tamen lux non adiuuat ad Solem ponendum; ergo illa maior non est vera vniuersaliter, quia maiores vires possunt requiri ad quędam disiungenda, quæ sunt connexa.

Ad quintam experientiam ex eo, quod impulsus violentus impressus lapidi causat motum sursum, & conseruatur à motu, respondeo negando, quod talis impulsus conseruetur à motu pro eodem instanti, pro quo causat motum; sed dico, quod conseruatur solum pro tempore sequenti. Ideo si in hoc instanti impediatur motus, cessabit impulsus pro tempore sequenti, quia ad hoc, vt conseruetur impulsus, requiritur tanquam conditio, quod in instanti antecedenti fuerit motus. Non datur ergo hæc mutua causalitas, quia impulsus causat motũ

pro

pro hoc tempore, at motus huius temporis est conditio requisita ad conseruãdum impulsum non pro hoc tempore, sed solum pro sequenti.

Ad sextam experientiam, ex eo, quod sit possibilis actus voluntatis, quo quis dicat, *volo mouere vtramque manum*, *vel neutram*, concedo possibilitatem casus; sed nego consequuturam vllam mutuam causalitatem. Solum enim sequitur, quod si quis deinde per vnicum actum absolutum dicat *volo mouere vtramque*, motus vtriusque erit concomitans, & pendens ab eadem indiuisibili determinatione voluntatis; si dicat *volo vtramque quiescere*, quies similiter erit concomitans.

Vrgent: possem dicere *nolo mouere dexteram, nisi dependenter à motu sinistræ, nec sinistram, nisi dependenter à motu dexteræ; & nolo quiescere dexteram, nisi dependenter à quiete sinistræ, nec sinistram, nisi dependenter à quiete dexteræ*: in hoc casu non posset dari motus, nec quies sine mutua causalitate; ergo. Respondeo negando minorem. In hoc enim casu durante tali actu, non possem exercere vllum actum absolutum voluntatis vtilem ad motum, vel quietem manuum; tales enim actus habere deberent mutuam prioritatem, quæ probata est impossibilis. Sequeretur igitur in manibus id, quod

quod sequeretur, si dicerẽ, *nolo quidquam decernere circa motum, vel quietem manuũ.* Mouerentur enim, vel quiescerent naturaliter, non spontaneè, prout exigeret grauitas illarum, dependenter à libera exclusione voluntatis absolutæ vtilis ad motum. Hæc verò responsio iam melius explicabitur.

Dum vrgent vlterius, quia si vnus Angelus diceret: *Ego volo facere circa motum, & quietem, quod videro alterum facientem*, alius Angelus idem decernat, tunc neuter posset moueri, vel quiescere sine mutua causalitate: respondeo argumentum esse difficile, sed soluendum etiã ab aduersarijs concedentibus mutuam causalitatem. Nam si dicat Michael: *ego volo moueri pro hoc tempore, si videro Gabrielem moueri, volo quiescere si videro Gabrielem quiescere, faciens quod illum videro facientem*; Gabriel è conuerso dicat, *Ego volo quiescere pro hoc tempore, si videro Michaelem moueri, volo moueri, si videro Michaelem quiescere, faciens oppositum, ac videro Michaelem facientem*, quæro quid sint facturi? non possunt vterque quiescere, neque vterque moueri, quia hoc esset contra voluntatem efficacem Gabrielis volentis efficaciter, & potentis facere oppositum Michaeli; non posset vnus quiescere, & alter moueri, quia hoc esset

contra

contra voluntatem efficacem Michaelis potentis, & volentis facere idem cum Gabriele. Eandem responsionem, quam attulerint aduersarij, concessa mutua causalitate, afferam & ego, mutua causalitate negata.

Secundo respondeo directè, quod in eo casu vterque quiesceret, absque eo quod tales quietes haberent ad inuicem vllam causalitatē, vel prioritatem naturæ. Ratio, cur vterque quiesceret est, quia Angelus eo ipso, quod non habet voluntatem necessariam, aut vtilem ad motum, quiescit, & remanet in loco, in quo erat prius, cum moueri non possit, nisi ex propria voluntate; sed in vtroque casu neuter haberet voluntatem necessariam, aut vtilem ad motum; ergo vterque quiesceret in vtroque casu. Minor probatur, quià vt Angelus moueatur, requiritur voluntas nō supponens motum, aut quietem pro eo tempore: si enim voluntas supponit quietem, non sufficit ad motum pro eo tempore, quia ex suppositione quietis nequit Angelus moueri. Si verò eadem voluntas supponat motum, est inutilis ad motū; Frustrà enim decernitur motus ex suppositione, quod iam detur talis motus. Sicut igitur voluntas necessaria ad motum non supponit motum, vel quietem in eo Angelo, qui vult moueri, sic voluntas

ſe mouendi non ſupponit motum, vel quietem in alio Angelo, vel certè non ſupponit motum, aut quietem ſupponentem motum, vel quietem in eo ipſo, qui decernit motum; Sed in caſu noſtro cum Angelus decerneret non moueri, niſi videret alterum moueri &c. excluderet à ſe voluntatem motus, & quietis independentem à motu, & quiete alterius, qui motus, & quies mutuò ſupponerent motum decernẽtis; ergo vterque Angelus excluderet voluntatem neceſſariam ad motum, ac quietem ſpontaneam; ergo vterque deberet quieſcere, ſicut ſi nihil decreuiſſet &c. Talis verò quies vtriuſque Angeli non haberet vllum ordinem prioris, ac poſterioris ad quietem alterius, ſed ſolum dependeret tanquam à cauſa à libera excluſione voluntatis antecedentis viſionem motus, aut quietis, tum in ſe, tum in alio Angelo pro hoc inſtanti, quæ voluntas antecedens eſt neceſſaria ad motum.

QVAESTIO XXIV.

Vtrum poſſint ad eundem effectum concurrere plures cauſæ totales.

VIdetur, quod etiam naturaliter poſſint ad eundem effectum concurrere

re plures causæ totales 1. quia possunt plures homines, quorum singuli sint sufficientes ad trahendum aliquod pondus, coniungere vires ad trahendum illud pondus simul; sed in hoc casu singuli cōcurrunt ad tractionem vt causæ per se sufficientes, & totales; ergo.

2. Pondus, quod sufficienter sustineretur ab vnico fune, potest pendere à duobus: lux, quæ sufficienter produceretur ab vna candela, potest simul produci à duabus candelis; ergo potest idem effectus produci à pluribus causis totalibus.

3. Si animæ brutorum perfectorum sunt indiuisibiles, vt dicetur in libris de Anima, eadem anima, quæ sufficienter sustentabatur à partibus materiæ per generationem acceptis, pendet deinde, & sustentatur etiam à partibus materiæ per nutritionem acquisitis; ergo eadem anima pendet à causa materiali totali, & ab aliqua alia causa materiali; ergo potest etiam pendere à duplici causa materiali totali; ergo potest etiam pendere à duplici causa efficiente totali.

4. Potest eadem actio pendere à duplici causa totali finali; e.g. potest aliquis peregrinari Romam & ex fine totali deuotionis, & ex fine totali curiositatis, aut delectationis, ita vt Romam peregrinaretur

retur etiam vno ex his finibus ablato; ergo potest eadem actio pendere à duplici causa efficiente totali.

5. Videtur vera sententia Suarij disput. 26. Metaph. sect.4. quod possint supernaturaliter concurrere ad eundem effectum plures causæ efficientes totales, licet naturaliter non possint, tum quia non potest afferri implicantia; tum quia potest Deus facere, vt paries, qui accipit esse albi ab vna albedine, accipiat esse albi etiam ab alia albedine, adeoque sit albus per duas albedines, tanquam per causas formales totales; ergo potest facere, vt effectus, qui accipit esse ab vna causa efficiente, accipiat esse etiam ab alia causa efficiente totali.

Respondeo. Certum est posse etiam naturaliter ad eundem effectum concurrere plures causas totales in actu primo, hoc est tales, vt earum singulæ cum solo concursu generali Dei naturaliter debito essent sufficientes ad producendum effectum sine concursu alterius concausę. Probatur: nam plures homines, aut equi, quorum singuli essent sufficientes cum concursu generali Dei ad trahendum aliquod pondus, possunt ità attemperare vires, & concursum, vt trahant tale pondus eadem celeritate. Solum igitur est dubium, an possint saltem supernaturaliter

ter ad eundem effectum concurrere plures causæ totales in actu secundo, hoc est per plures actiones, quarum singulæ, alijs ablatis, sufficerent ad ponendum effectũ. Dicendum, quod non possunt; vt docet Scotus in 3. dist. 1. quæst. 2. Caietanus 1. parte quæst. 67. art. 6. & alij, quos citat Suarius disput. 26. Metaph. sect. 4. Probatur, quia si effectus produceretur per duplicem productionem ex se sufficientem, sequeretur, quod neutra productio daret esse effectui; ergo &c. Probatur antecedens: sumo enim productionem A, & probo quod non det esse effectui. Effectus non accipit esse à productione A; ergo productio A non dat esse effectui. Probatur antecedens, quia implicat, quod res accipiat ab altero id, quod aliunde habet sufficienter: nihil enim potest accipere quod habet aliunde; sed effectus habet esse sufficienter ab actione B; ergo non accipit esse ab actione A. Eodem modo probatur, quod non accipit esse ab actione B, quia iam habet id sufficienter ab actione A.

Hinc reijciuntur responsiones aduersariorum. Dicunt primo, quod ab actione B effectus habet quidem esse, sed non habet esse dependens à causa actionis A; ergo tale esse dependens à causa actionis A potest accipere ab actione A. Sed con-

contra, quia effectus non solum accipit per actionem dependentiam à causa, sed etiam accipit esse; sed non potest accipere quod habet aliunde sufficienter; ergo &c. Dicunt secundo, quod si non existeret actio B, effectus non haberet esse aliunde; ergo actio A potest dare nunc esse effectui pro eo casu. Sed contra, quia productio, qua effectus nunc producitur, nunc dat esse effectui; ergo nunc effectus accipit esse per talem productionem; ergo nunc non habet esse aliunde. Confirmatur, quia Deus operatur per omnes, & singulas actiones causarum secundarum, cum ipsa actio causæ secundæ sit etiam actio Dei; ergo Deus per duas actiones bis idem efficeret. Rursus vellet, vt causa secunda ageret actum ab alia causa; daret effectui, quod habet; ferret auxilium ad obtinendam victoriam aliunde comparatam, quæ sunt absurda, & ridicula, & non conformia modo operandi diuinæ sapientię.

Ad 1. & 2. Exempla allata probant solum posse eundem effectum pendere à duabus causis totalibus in actu primo, non à totalibus in actu secundo.

Ad 3. Animæ indiuisibiles brutorum pro eo instanti, quo per nutritionem acquirunt nouas partes materiæ, non

pendent ſuſtentatiuè ab ijs partibus, quas acquirunt, ſed ſupponuntur iam conſeruatæ ante actionem vitalem, quà ſe nutriunt, adiungendo ſibi nouas partes materiæ, eo pacto, quo cum quis comedit, pro eo inſtanti non conſeruatur dependenter à tali comeſtione, ſed ſupponitur iam conſeruatus ante actionem comedēdi. Solum igitur animæ brutorum pro tempore conſequente ad primam acquiſitionem nouarum materiæ partium pendent ab ijs ſuſtentatiuè: tum verò pendent vnica pendentia adæquata ab omnibus partibus materię. Nam actio, & paſſio, per quas animæ brutorum conſeruantur in tali materia, pendent indiuiſibiliter ab omnibus, & ſingulis partibus talis materiæ, ita vt quacumque parte ablata, remanere non poſſet idem modus actionis, aut paſſionis; ergo cum animæ brutorum conſeruantur dependenter à materia accepta per generationem, & à materia acquiſita per nutritionem, conſeruantur dependenter à pluribus cauſis materialibus totalibus in actu primo, ſed partialibus in actu ſecundo, quia conſeruantur conſeruatione pendente indiuiſibiliter ab omnibus, & ſingulis partibus. Debet autem aduerti, quod cum diximus in quæſt. 15. quod formæ materiales ſuſtentantur à materia

per

per suum esse actuale, intelligendum d
diuisibilibus, quæ vniuntur huic numer
materiæ per suum esse actuale, sine alia
vnione distincta. Indiuisibiles verò s
cut vniuntur vnione distincta, ità forma
liter sustentantur sustentatione distincta
hoc est ipso modo passionis, ità penden
te ab hac materia, vt non possit esse sin
tali materia.

Ad 4. Nullum est inconueniens, quoc
eadem actio fiat propter plures fines adę
quatos. Actio enim eò vtilius fit, qui
propter plures fines fit; e. g. vtiliter fi
peregrinatio Romana propter finem de
lectationis; adhuc fit vtilius propter fi
nem delectationis, & deuotionis; si ad-
datur tertius finis adæquatus conficiendi
negotij, fit etiam vtilius. At è conuer-
so inutiliter, & stultè quod sufficienter
est positum per primam actionem, fit, &
ponitur per plures actiones. Eo enim
ipso sequuntur omnia inconuenientia
explicata in fundamentis conclusionis.


Ad 5. Iam est allata implicantia, prop-
ter quam nè supernaturaliter quidem
potest idé effectus fieri per plures actio
nes sufficientes. Dum opponitur, quia
Deus potest facere parietem album per
duas albedines; ergo &c. concedo ante
cedens, & nego consequentiam. Dispa
ritas est, quia paries non acciperet iden

V 2 esse

ſſe albi ab vna albedine, ac ab alia, ſed ab vna acciperet vnum eſſe albi, ab alia aliud eſſe albi. At in caſu noſtro effectus illud idem eſſe, quod haberet ſufficienter per vnam actionem, acciperet etiam per aliam, quod repugnat. Hinc retorqueo argumentum. Cum paries habet hoc eſſe albi per vnam albedinem, non poteſt idem accipere per aliam albedinem; ergo cum effectus habet hoc eſſe per vnam actionem, non poteſt illud accipere per aliam actionem.

QVAESTIONES

De proprietatibus corporis naturalis.



POST tractationes de principijs, & cauſis rerum naturalium ſequitur tractatio de earum proprietatibus, & accidentibus. Primo agemus de motu, & eius definitione. Secundo de loco tum extrinſeco, tum intrinſeco, qui vocatur vbicatio, & de replicatione corporum. Tertio de vacuo, examinantes an poſſit dari, & an corpora mouerentur in vacuo. Quarto de tempore tum extrinſeco, tum intrinſeco,

ſeco, quod vocatur duratio. Quinto de infinito, eius definitione, & poſſibilitate. Sexto demum de quantitate, & continuo, examinantes an quantitas ſit accidens ſpeciale, an continuum componatur ex indiuiſibilibus, vel ex partibus diuiſibilibus in infinitum, potentia, vel actu diſtinctis, & an in continuo dentur indiuiſibilia copulatiua, vel terminatiua.

QVAESTIO XXV.

Vtrum conueniens ſit definitio motus.

VIdetur non eſſe conueniens definitio motus allata ab Ariſtot. 3. Phyſ. tex. 6. qua motus dicitur *actus entis in potentia prout in potentia* 1. quia incõueniẽter per definitionem obſcuriſſimam definitur, res clariſſima, & notiſſima, cùm definitio debeat eſſe clarior, & notior definito, vtpotè illius declaratiua, & explicatiua, ac notificatiua; ſed motus eſt aliquid notiſſimum, & clariſſimum, cum nemo ſit, qui non percipiat quid ſit motus; definitio allata eſt ita obſcura, vt pauci illam percipiant; ergo inconueniens eſt definitio motus.

2. Definitio allata conuenit cuicumque formæ imperfectæ, & intensibili; e.g. conuenit calori vt duo, qui est forma imperfcta, & intensibilis, cum possit intendi, & augeri, ac peruenire ad maioré intensionem caloris vt tria, vt quatuor &c; sed non omnis forma imperfecta, & intensibilis est motus; neque enim calor vt duo est motus calefactionis: alioquin calidum vt duo per hoc ipsum calefieret; ergo allata definitio cõuenit alicui, quod non est motus; ergo non est bona. Maior probatur, quia forma imperfecta e.g. calor vt duo est actus entis in potentia, quia est actus subiecti, quod est potentia calidum; & est actus entis in potentia prout in potentia, quia per hoc ipsum, quod subiectum sit calidum vt duo, remanet in potentia ad calorem vlteriorem, per qué constituatur calidum vt tria, vt quatuor &c; ergo forma imperfecta, & intensibilis est actus entis in potentia prout in potentia, ideoque participat definitionem motus.

3. Si motus esset actus, esset forma quædam, nam omnis actus est forma; sed non potest esse forma: alioquin cum subiectum mouetur ad formam, e.g. cum calefit, haberet duas formas, aliam, qua esset calidum imperfectè, & præterea ipsum motum calefactionis, qui esset alia forma;

forma; ergo inconueniens est definitio motus, & motus non est actus.

4. Non potest explicari, vtrum tradita definitio motus conueniat soli motui successiuo, quo terminus acquiritur paulatim, & per partes, an etiam motui instantaneo, quo acquiritur totus simul; ergo.

Respondeo, quod vt discurrit Aristoteles inuestigans definitionem motus, quia ens diuiditur per potentiam, & actum, tamquam per primas differentias, motus necessario vel erit potentia, vel actus, & ex ipsis tamquam ex rationibus notissimis benè definietur, & explicabitur. Porrò res triplici modo possunt se habere; primo vt sint purè in potentia; secundo vt sint in actu perfecto; tertio vt sint in statu quodam medio inter puram potentiam, & actum perfectum. Motus igitur ad aliquem terminum non potest esse pura potentia ad talem terminum. Quod enim est in pura potentia, adhuc non mouetur; e.g. per hoc, quod aliquid purè possit esse calidum, nondum calefit, neque mouetur ad calorem. Rursus motus non est actus perfectus, quia cum aliquid est in actu perfecto non mouetur amplius, sed iam est motum; e.g. per hoc, quod aliquid sit perfectè calidum, non calefit, sed est iam calefactum, & motum

ad calorem. Reliquum est igitur, quod motus sit actus imperfectus, per quem res est in statu medio inter puram potētiam, & actum perfectum. Hinc Aristoteles deducit definitionem motus. Est enim motus *actus existentis in potentia in quantum est huiusmodi*, seu *actus ensis in potentia prout in potentia*. Sensus est, quod motus est actus, sed ità imperfectus, vt ordinetur ad actum vlteriorem, ideoque actus subiecti, quod est in potentia ad actum vlteriorem, non quomodocumque, sed in quantum est in potentia ad actum vlteriorem, cum motus ex eo ipso, quia est actus imperfectus, adeoque ordinatus ad actum vlteriorem, postulet subiectum existens in potentia ad talem actum vlteriorem.

Tradita definitione motus, Aristoteles primo exponit illam applicando singulis speciebus motus: secundo exponit singulas partes definitionis: tertio probat eius bonitatem ratione.

Primo igitur exponitur definitio motus, exemplificando in singulis speciebus. Nam alteratio est actus alterabilis, in quantum est alterabile, e. g. calefactio est actus, quo actuatur calefactibile, in quantum est calefactibile, & est in potentia ad vlteriorem calorem, cum actus calefactionis propter ipsam suam im-

imperfectionem, per quam ordinatur ad vlteriorem actum caloris, postulet esse in subiecto vlterius calefactibili: Similiter augmentatio est actus augmentabilis in quantum est augmentabile, quia est actus, quo augmentabile ita actuatur, vt ipsa actuatio, quia est imperfecta, & ordinata ad vlteriorem quantitatem, postulet subiectum esse augmentabile, hoc est in potentia ad vlteriorem quantitatem. Similiter cum lapis mouetur deorsum est in actu descendendi, qui actus est in lapide, in quantum habet potentiam, vt vlterius moueatur ad locum inferiorem; ergo patet inductione in singulis speciebus motus allatam definitionem esse optimam.

Secundo patet bonitas definitionis, exponendo illam per singulas partes. Est manifestũ, quod motus est quidam actus. Nam id, per quod subiectum, quod ante erat in potentia, dicitur constitui in actu, est actus; sed per omnem motum subiectum, quod ante erat in potentia, dicitur esse in actu; e.g. per motum ædificationis domus, quæ ante erat in potentia, & poterat ædificari, dicitur actu ædificari; per motum saltationis quod poterat saltare dicitur actu saltare; ergo motus est actus. Secundo est actus entis existentis in potentia. Nam actus eius subiecti

primo, & per se est actus, in quo semper inuenitur, ita vt non possit poni extra illud; ita lumen dicitur esse actus corporis diaphani, seu transparentis, quia semper lumen est in corpore diaphano, nunquam in opaco; sed motus non potest inueniri nisi in ente, quod sit in potentia ad actum vlteriorem; e.g. calefactio non potest inueniri nisi in ente, quod sit in potentia ad vlteriorèm calorem; ergo motus est actus existentis in potentia. Tertio hinc patet, quod sit actus existentis in potentia, in quantum est in potentia ad vlteriorem actum, ita vt actus ex sua ratione requirat in subiecto talem potentialitatem, & actuet illud secundum eandē potentialitatem. Cum enim motus sit actus ita imperfectus, vt ordinet subiectum ad actum perfectum, ex sua ratione requirit, vt sit actus entis in potentia, ita vt actuet ipsum, in quantum potest vlterius actuari, eo pacto, quo lumen ex sua ratione actuat corpus diaphanum secundū rationem diaphani.

Tertio explicata definitione, probat illam Aristoteles ratione. Nam omnis potentia potest actuari actu proprio spectante ad illam, in quantum est talis potentia; sed datur potentia mobilis, e. g. alterabilis, ædificabilis &c; ergo talis potentia est actuabilis actu proprio talis poten-

potentiæ; sed actus proprius potentiæ ædificabilis non est ipsa forma domus, quia forma domus non postulat, vt potentia remaneat ædificabilis, & actuabilis vlteriori actu; ergo actus proprius ædificabilis est ædificatio, per quam ædificabile ita ædificatur, vt sit in potentia ad actum vlteriorem; idem dic de cęteris motibus; ergo motus vniuersim est actus entis in potentia prout in potentia.

Ad 1. Definitio explicans quid rei, & non solum quid nominis debet esse clarior definito, non quidem ita, vt facilius acquiratur conceptus definitiuus, sed ita, vt per conceptum definitiuum perfectius, & clarius cognoscatur definitum, licet propter hoc ipsum conceptus definitiuus vtpotè perfectior difficilius, & à paucioribus formetur, quam conceptus definitus. In hoc sensu Aristotelica definitio motus est clarissima, cum per illam clarissimè penetretur natura, & essentia motus, licet difficile formetur, & à paucis, propter rationem vniuersalem, ex qua conceptus valdè clari, & perfecti difficilè formantur, & solum à paucis.

Ad 2. Nego, quod definitio motus cōueniat cuicumque formæ intensibili, e.g. calori vt duo. Calor enim vt duo est actus, qui potest etiam dari in subiecto

calidiſſimo, & non vlterius calefactibili; ergo non eſt actus poſtulans ex ſua ratione potentiam vlterius actuabilem per calorem. At motus eſt actus ex ſua ratione ordinatus ad actum vlteriorem, ideoque poſtulans potentiam vlterius actuabilem, nec potens actuare niſi potentiam vlterius actualem.

Ad 3. Concedo, quod motus eo ipſo quod eſt actus, eſt quædam forma imperfecta, & ordinata ad formam vlteriorē. Non autem repugnat, quod in ſubiecto ſint duæ formæ, ſi vna ſit imperfecta.

Ad 4. Dico quod ſi definitio motus ſumatur ſtrictè, conuenit ſoli motui ſucceſſiuo, non autem inſtantaneo. Ratio eſt, quia cum motus ſucceſſiuus non ponat totum terminum ſimul, verè actuat ſubiectum, in quantum eſt in potentia ad recipiendum actum vlteriorem, hoc eſt nouam partem termini producti. At motus inſtantaneus cum per ſe ponat totum terminum, eſt poſitio actus perfecti, & omninò actuantis, ac non per ſe relinquentis terminum in potentia ad actū vlteriorem. Poteſt tamen definitio motus explicari minus ſtrictè, ita vt competat etiam motui inſtantaneo, in quantum motus inſtantaneus eſt actus, qui cum ordinetur ad terminum diſtinctum, qui eſt alius actus, ordinatur ad actum vlte-

vlreriorem,ideoque eſt aliqualiter actu entis in potentia .

Pro complemento tractationis de motu, quam Ariſtoteles tertio phyſicorum reliquit imperfectam , explicanda eſſent ea, quæ de motu diſputat ſeptimo phyſicorum ; nimirum quo pacto motus differat à mutatione : quot ſint prima genera motus: vnde deſumatur vnitas generica, ſpecifica , & numerica motus : vtrum, & quomodo motui opponatur motus , vel quies. Sed breuitatis gratia libet horum diſcuſſionem omittere .

QVAESTIO XXVI.

Vtrum locus extrinſecus benè definiatur .

VIdetur primo locum non dari, nec poſſe explicari quid ſit,cum valeant contra locum rationes ab Ariſt. adductæ 4.phyſ. à text.8. vſque ad 14. Primo enim ſi locus daretur, haberet trinam dimenſionem, longitudinem , latitudinem , & profunditatem ; ſed quod habet trinam dimenſionem eſt corpus; ergo locus eſſet corpus ; ſed locus , & locatum ſunt ſimul ; ergo duo corpora ſunt ſimul, & pene-

penetrantur, quod repugnat.

2. Si corpus est in aliquo loco, & receptaculo, etiam superficies, ac punctum essent in aliquo loco, & receptaculo; nam etiam puncta sibi inuicem succedunt in eodem loco; sed locus puncti non potest esse nisi punctum; ergo locus aliorum locatorum non est aliud, quam locatum.

3. Si locus daretur, deberet reduci ad aliquam ex quatuor causis; sed non reducitur; non enim est materia, nam res constant ex materia, & tamen non constant ex loco, in quo sunt; ex eadem ratione non est causa formalis, quia res non constituuntur in specię per locum; neque est finis, vel causa efficiens, ac mouens; ergo locus non datur.

4. Vt arguit Zeno, omne quod est, in aliquo loco est; sed locus est; ergo locus est in loco; ergo datur locus loci, & proceditur in infinitum.

5. Videtur locus non benè definiri ab Aristotele *superficies prima & immobilis corporis continentis*. Nam omnis superficies corporis mouetur simul cum corpore; e.g; superficies aquæ, quà continentur pisces in flumine natantes, mouetur simul cum aqua; sed omne corpus est mobile; ergo omnis superficies est mobilis; ergo non datur locus, si debet esse

esse superficies immobilis.

6. Sequeretur, quod mundus, & suprema sphera Cœlorum non esset in loco. Nam iuxta definitionem Aristotelicam esse in loco est contineri superficie alicuius corporis continentis, eo pacto, quo pisces in aqua continentur superficie aquæ; sed mundus, & suprema sphera non continentur superficie vllius corporis continentis; ergo mundus, & vltima sphera non sunt in loco, quod videtur absurdum.

7. Deus cum non contineatur vllo corpore, non esset in loco; Angeli, & Anima rationalis non essent in loco, cum ens spirituale nequeat corpore, vel superficie corporea contineri.

Respondeo, quod aliud est quærere, quid sit locus extrinsecus, intra quem corpora dicuntur esse, quo dicuntur contineri, & ad quem, vel à quo dicuntur moueri: aliud est quærere, quid sit id, quo corpora constituuntur formaliter in loco extrinseco, & intra ipsum continentur, quod vocari solet vbicatio, vel locus intrinsecus. Aristoteles, & antiqui magis egerunt de loco extrinseco, quam de intrinseco. Circa locum igitur extrinsecum docuerũt plures antiqui, quod consistat in dimensionibus quibusdam immobilibus, cum quibus penetrentur cor-

corpora locata; e. g. datur per antiquos ſpatium quoddam immobile habens longitudinem, latitudinem, & profunditatem, cum quo penetror ego, & hic eſt locus meus. Reijcit iſtos Ariſtoteles; quia hoc ſpatium immobile habens longitudinem, latitudinem, & profunditatem eſſet corpus; ergo dum corpus locatum ponitur in loco, vnum corpus penetraretur cum alio corpore, quod eſt abſurdum. Alij dixerunt locum eſſe materiam, vel formam corporis locati. Sed reijciuntur, quia loca, de quibus homines loquuntur, non ſunt materia, neque forma intrinſeca locati, ſed aliquid illi extrinſecum. Dicimus enim aliquem eſſe in cubiculo, vel in platea tanquam in loco: manifeſtè verò cubiculum, & platea, & cætera loca, de quibus loquimur, ſunt aliquid extrinſecum locatis.

Ex eo, quod locus neque conſiſtat in dimenſionibus immobilibus, neque ſit aliquid intrinſecum corporibus locatis, infert Ariſtoteles, quod locus ſit aliquid in corpore continente locatum. Et quia corpus continens continet locatum intra ſuam ſuperficiem; e. g. cubiculum continet homines, qui ſunt in cubiculo, intra ſuam ſuperficiem, ideò locus eſt ſuperficies corporis continentis; e.g. ſuperficies huius cubiculi, in quo continemur,

mur, eſt locus, in quo ſumus.

Verum quæſtio de loco non quærit, qua ſuperficie materiali, ac mobili contineatur locatum, ſed qua ſuperficie formali, & immobili. Patet. Cum enim quærimus, in quo loco ſit Petrus e. g. non ſatisfit quæſtioni, dicendo, quod eſt in naui, & clauditur eius ſuperficie materiali, ac mobili, non explicando vlterius, vtrum nauis ſit in Aſia, vel in Europa, ſed debet explicari, quem ſitum in vniuerſo habeat nauis, & quam diſtantiam à punctis fixis, per quam diſtantiam conſtituitur ſuperficies formalis, & immobilis, quam ſuperficiem conantur deſcribere Geographi, dum deſcribunt loca terrarum; ergo locus non eſt vtcumque ſuperficies corporis continentis, ſed eſt ſuperficies immobilis, hoc eſt conſtituta per certam diſtantiam à punctis fixis vniuerſi, prout deſcribitur à Geographis, & Coſmographis. Per hoc verò locus differt à vaſe. Vas enim eſt ſuperficies corporis continentis materialiter accepta, in quantum abſtrahit à certa diſtantia à punctis fixis: Locus eſt ſuperficies formaliter accepta, in quantum conſtituitur per talem diſtantiam. Hinc infert Ariſtoteles definitionem loci, in quantum differt à vaſe. Eſt enim locus *ſuperficies corporis continentis immobilis*.

In

In hoc, quod sit superficies corporis continentis, conuenit cum vase: differt in eo, quod vas est superficies mobilis, locus est superficies immobilis. Sicut autem dupliciter corpus continetur superficie alterius corporis; primo immediatè, ita vt talis superficies vndique tangat; secundo mediatè, ità vt non tangat, sic duplex est locus, proprius, & communis. Proprius est prima superficies, & immediatè continens, ac tangens. Dicitur autem locus proprius, quia non possunt duo corpora simul contineri intra eandem superficiem tangentem, alioquin penetrarentur. Locus communis est superficies continens, sed non tangens immediatè. Dicitur communis, quia possunt plura corpora contineri intra eandem superficiem non tangentem, atque adeò esse in eodem loco communi. Ita nos omnes sumus in hoc eodem gymnasio; omnia elementa, & corpora sublunaria sunt intra eandem superficiem concauam orbis lunaris; omnia corpora distincta à suprema sphęra sunt intra superficiem concauam sphęrę supremę, & ideò locus communis corporum sublunarium est superficies concaua orbis lunaris; locus communis omnium corporum etiam cœlestium distinctorum à sphęra suprema est superficies concaua sphæræ supremæ.

Locus

Locus igitur proprius prout differt à cõmuni, definitur ab Ariſtotele: *ſuperficies corporis continentis, immobilis, prima*: hoc eſt qua corpus continens immediatè tãgit contentum. Locus proprius eſt æqualis rei. Superficies enim continentis, cum tangat ſuperficiem corporis contenti, cum illa penetratur, & omninò commenſuratur. Locus communis eſt maior re. Addit Ariſtoteles, quod quædam ſunt in loco per ſe, quædam per accidens. Per ſe ſunt in loco, quę primo continentur ſuperficie corporis tangentis, cum quo non conſtituunt vnum contnuum; quæ verò non continentur primo vlla ſuperficie continentis non continui, ſed ſunt in aliquo primo contento ntra talem ſuperficiem, ſeu ſint in illo, amquam partes in toto, ſeu tamquam ccidens, aut forma in ſubiecto, ſeu tamuam terminus in terminato, ſunt in loo per accidens. Ex ijs, quæ ſunt in loo per accidens, quædam poſſunt eſſe in ɔco per ſe, quia poſſunt ſeparari à toto: g. meum brachium, quod nunc eſt in ɔco per accidens, poteſt eſſe in loco per , quia poteſt ſeparari à meo corpore, tunc continebitur primo ſuperficie ɔrporis tangentis. Quædam non poſnt eſſe in loco per ſe, vt ſcientia, & rtutes, quia non poſſunt exiſtere extra

totum,

totum, & subiectum, ità vt claudantur primo aliqua superficie tangente. Similiter quædam mouentur per accidens, quædam per se. Partes continui sunt in continuo, non tamquam in loco, sed tamquam in toto. Accidentia, & formæ sunt in materia, non tamquam in loco, sed tãquam in subiecto. Termini corporum, e.g. puncta, superficies, & lineæ, sunt in eo, quod terminant, non tamquam in loco, sed tamquam in terminato, & hæc omnia sunt per accidens in eodem loco cum suis totis, subiectis, & terminatis.

Ad 1. Nego antecedens. Locus enim non habet trinam dimensionem, sed solũ est superficies corporis continentis, habens longitudinem, & latitudinem sine profunditate; ergo non sequitur, quod dum locatum est in loco, duo corpora penetrentur simul, sed solum sequitur penetrari superficies loci, & locati, quod non repugnat, sed requiritur ad hoc, vt duo se tangant. Illa enim se tangunt, quorum extrema sunt simul, vt infra melius explicabitur Quod si locus consisteret in dimensionibus immobilibus, tunc sequeretur absurdum illatum.

Ad 2. Ex eo, quod si corpora essent in loco, etiam superficies essent in loco, & puncta essent in loco: distinguo; essent in loco per se, nego; per accidens, transeat.

Vt

Vt dictum est, quod primo non clauditur superficie non est per se in loco: sola autem corpora discontinua ab alijs corporibus primo clauduntur superficie corporum continentium; ergo sola corpora discontinua ab alijs corporibus per se sunt in loco. Partes continui, & à fortiori superficies, lineç, & puncta non sunt in loco per se, sed solum sunt in continuo, eo pacto, quo scientia non est in loco per se, sed solum in anima, non tanquam in loco, sed tanquam in subiecto, & ad summum possint esse per accidens in loco, in quo est corpus, quod terminatur punctis, ac superficiebus.

Ad 3. Locus reduci posset ad causam finalem, in quantum omnis locus est finis alicuius locati. Ita superficies concaua lunæ est finis ignis, qui nunquam quiescit, nisi coniungatur cum superficie concaua lunæ.

Ad 4. Distinguo maiorem: omne quod est, & non est in altero tanquam pars in toto, vel forma in subiecto, vel terminus in terminato, est in aliquo loco, transeat; omne, quod est, & est in alio, tanquam pars in toto, forma in subiecto, vel terminus in terminato, nego: & distinguo minorem; locus est, & est in corpore continente tanquam terminus in terminato, concedo minorem; locus est, & non est in con-

continente tanquam terminus in terminato, nego minorem; & nego consequentiam. Non omne corporeũ debet esse in altero tanquam in loco, sed quædam corporea sunt in altero, vel tanquam partes in toto, vel tanquam formæ in subiecto, vel tanquam termini in re terminata: ità partes continui, e.g. partes Oceani sunt in Oceano, non tanquam in loco, sed tanquam in toto; accidentia sunt in altero non tanquam in toto, sed tanquam in subiecto; locus est in corpore continente, non tanquam in loco, sed tanquam terminus in terminato. Locus enim est superficies corporis continentis, atque adeò terminat corpus cótinens. Addo, quod si corpus continens est in alio loco extrinseco, superficies eius per accidens est in eodem loco.

Ad 5. Locus formaliter est superficies, in quantũ habet tantam distantiam à centro, & polis mundi, in quantum verò superficies sumitur cũ hac distantia, moueri non potest: eo enim ipso mutaret distantiã. Dum opponitur: quando aer ambiens mutatur, mutaretur locus, distinguo; mutaretur materialiter, concedo; formaliter, nego. Non mutatur locus formaliter, cum superficies continens corpus retinet eandem distantiam à punctis fixis.

Ad 6. Sequeretur , quod mundus no esset in loco,distinguo , non esset in loc secundum partes,nego; secundum totum concedo . Mundus est in loco extrinsec secundum partes, quarum vna continetu superficie alterius corporis continentis eo pacto, quo terra continetur superfici aeris, aer superficie ignis, ignis superfici cōcaua orbis lunaris,orbis lunaris super ficie concaua orbis superioris , & omnia superficie sphæræ supremæ. Dum vrgetur sphęra suprema, quæ est pars mūdi,neque esset in loco secundum partes, quæ solum sunt in tota sphæra,tanquam in toto, non autem tanquam in loco ; distinguo; supre- ma sphæra secundum partes nō est in lo- co actuali , concedo ; non est in loco potentiali , nego . Partes sphæræ supre- mę possent diuidi , ac discontinuari ab alijs partibus , & tunc actu continerentur loco , hoc est superficie corporis dis- cōtinui:ergo saltem in potētia sunt in lo- co; & hoc sufficit ad hoc,vt sphæra supre- ma circulariter moueatur . Per motum enim vnaquæque pars acquirit locum extrinsecum potentialem alterius,hoc est quem alia pars haberet actu .

Ad 7. Concedo,quod Deus non sit in loco strictè, sed solum latè. Strictè esse in loco est contineri loco , seu superficie aliqua corporis continentis, quæ sit simul

cum

cum superficie corporis locati: & in hoc sensu sola corpora possunt esse in loco, cũ sola contineantur superficie extrinseca modo explicato. Esse in loco latè est quomodocumque habere presentiam ad locum. In hoc sensu Deus per suam immensitatem est præsens actu omnibus locis existentibus, & potest facere sibi præsentia actualiter omnia loca possibilia, producendo talia loca. Addo, quod Deus est præsens loco, non tanquam contentus loco, sed tanquam continens omnia loca. De Angelis proportionaliter dico, quod sunt in loco, non tanquam clausi intrà superficiem alicuius corporis, quæ sit simul cũ superficie Angeli: Angelus enim vtpotè spiritualis, non habet superficiem: solum igitur est in loco, tanquam præsens loco, & est in loco potius tanquam continens locum, quam tanquam contentus à loco. Illud enim continet locum, quod est præsens loco purè actiuè, non autem passiuè; continere enim dicit actionem, vel potentiam actiuam; contineri dicit passionem, vel potentiam passiuam; sed Angelus est ità præsens loco, vt possit agere in talem locum, non autem vt possit pati à loco; ergo Angelus est pręsens loco tanquam continens, non tanquam contentus à loco. Et quia esse strictè in loco significat contineri, ideò

An-

Angelus ſtrictè non eſt in loco. In hoc ſenſu intelligo doctrinam S. Thomæ, dum dicit Angelũ eſſe in loco per operationem, & actionem. Senſus enim, eſt, quod Angeli naturaliter ſunt in loco per præſentiam, per quam purè ſunt actiuè in loco, non autem per pręſentiã, per quam pati poſſint à loco. Ratio eſt, quia ſpiritus purè agit in corpora, non autem pati poteſt à corporibus. De Anima rationali dico, quod cum eſt vnita corpori, eſt in loco per accidens; dum verò eſt ſeparata à corpore, eſt præſens loco, ſed non continetur loco, iuxtà dicta de Angelis. Debet autem aduerti, quod naturaliter corpus paſſiuum clauditur ſuperficie corporis actiui tamquam loco naturali. Ita corpora inferiora, quę patiuntur à corporibus cœleſtibus, clauduntur à corporibus cœleſtibus; Cœli inferiores, qui recipiunt influentias ſuperiorum, clauduntur à Cœlis ſuperioribus; ex corporibus inferioribus aer, qui comparatur ad ignem, tamquam paſſiuum ad actiuum, clauditur igne, & ſic de cæteris.



QVAESTIO XXVII.

Vtrum res sint in loco per vbicationem distinctam à loco, & locato.

VIdetur vera sententia Nominaliũ, & aliquorum Recentiorum, quod res non sint in loco per vbicationem distinctam à loco, & locato: e. g. quod sphæra elementaris non sit intrà concauum lunę per vbicationem distinctam à sphæra elementari, & à concauo lunæ 1. quia non est necessitas ponendi hanc vbicationem, præsertim cum nec possit explicari, ad quem finem sit instituta, & quem vsum habeat in rerum natura.

2. Non potest explicari, vtrum vbicatio intrinseca rei vbicatę sit accidens absolutum, vel relatiuum, modaliter, an realiter distinctum à subiecto vbicato.

3. Hęc vbicatio debet esse essentialiter immobilis, & affixa spatio, in quo est. Si enim posset dimoueri à spatio, in quo est, esset indifferens ad essendum, vel non essendum in tali spatio, atque adeò esset in eo spatio per vbicationem distinctam, de qua redit difficultas, ac pro-

proceditur in infinitum. Ex alia parte si sit affixa spatio, vel hoc spatium est aliquid reale, vel est aliquid merè imaginarium; si est aliquid reale, non potest esse aliud, quam ipsa vbicatio; ergo cum dicitur, quod vbicatio sit affixa spatio, dicitur, quod sit affixa sibi ipsi; si est aliquid imaginarium; ergo est mera imaginatio, quod vbicatio sit affixa spatio, atque adeò corrigenda per rationem.

4. Non potest explicari, an vbicatio permanens distinguatur ab vbicatione fluente, quæ vbicatio fluens est motus, an verò sit identificata cum motu. Non potest etiam explicari, à qua causa producatur; an producatur per actionem distinctam, an verò per identificatam, & vtrum ipse motus sit actio productiua vbicationis.

5. Si daretur vbicatio, ex vna parte omnia, quę essent in composito, deberent vbicari per vnicam vbicationem: ex alia verò parte videtur, quod sicut non omnia, quæ sunt in composito, durant per vnicam durationem, sic nec omnia, quæ sunt in composito, vbicentur per vnicam vbicationem.

6. Si corpora vbicarentur per vbicationem distinctam, quæ esset posterior natura, quam corpora vbicata, sequeretur, quod saltem supernaturaliter posset

Deus impedire omnem vbicationem, & sic corpus poni nullibi, quod est inintelligibile.

Respondeo cum Suario disp. 51. metaph. Vasquez prima parte disp. 195. & recentioribus communiter, res vbicari, seu constitui in loco per aliquam formã positiuam intrinsecam distinctam à loco, & locato. Ratio est, quia potest esse locus, & esse corpus, quin corpus sit in tali loco; ergo hoc, quod est esse in tali loco, est aliquid distinctum ab vtroque: e.g. potest esse hoc gymnasium, & possumus esse nos, quin simus intra tale gymnasium; ergo hoc, quod est nos esse intra tale gymnasium, est aliquid distinctum à nobis, & à gymnasio. Neque hoc, quod est esse in gymnasio potest esse mera negatio distantiæ ab hoc gymnasio: primo quia negatio negat aliquid positiuum; ergo si res est in loco per negationem distantiæ, distantia est aliquid positiuum; sed per hoc, quod res sunt in loco, habent certam distantiam à punctis fixis; ergo res est in loco per aliquid positiuũ. Secundo potius coniunctio cum loco, quam diuisio à loco debet esse aliquid positiuum; ergo absurdum est, quod coniunctio cum loco sit mera negatio distantiæ. Tertio res habent summam inclinationem ad hoc, vt coniungantur suo

loco

loco naturali; e. g. ignis habet summam inclinationem ad hoc, vt coniungatur concauo lunæ, ideoque mouetur ad concauum lunæ, grauia mouentur ad centrum, vt coniungantur suo loco naturali; ergo coniunctio cum loco non debet esse negatio, sed debet esse aliqua perfectio positiua. Quarto sicut motus calefactionis ordinatur ad hoc, vt res sit calida, sic motus localis ordinatur ad hoc, vt mobile sit in loco, ad quem tendit per motum; sed esse calidum est perfectio positiua per calefactionem acquisita; ergo esse in loco est perfectio positiua acquisita per motum. Quinto est maior perfectio rei quiescere in loco, quam moueri ad locum; nam locus rectus habet pro fine quietem in loco; sed motus localis est aliquid positiuum; ergo etiam quies, per quam res sunt in loco, quæ finis est motus, est aliquid positiuum; sed quiescere in loco non est solum, quod existat locus, & locatum, absq; eo, quod locatum quiescat in loco; ergo vbicatio, per quam locatum quiescit in loco, est aliquid positiuum. Hinc reijciuntur responsiones, quod vbicatio supra locũ, & locatum addat solum motum præcedentem, negationem vlterioris motus, & negationem miraculi. Ostensum est enim, quod addat aliquam perfectionem posi-

sitiuam intrinsecam locato: præterquam, quod absurdum est, quod mobile moueatur tantum vt sit motum, & non amplius moueatur; sicut absurdum esset, quod calefactio daretur tantum, nō vt subiectum esset calidum per calorem remanentem, sed vt fuisset calefactio. Addo, quod ordo secundum locum debet addere perfectionem intrinsecam rebus localiter ordinatis.

Ad 1. Respondeo vbicationem esse necessariam, & vtilem ad hoc, vt res habere possint ad inuicem diuersam distantiam, & propinquitatem, vt possint diuersimodè applicari ad operandum. Patet enim, quod agentia diuerso modo exercent suam virtutem actiuam in corpora remota, quam in proxima: ignis e.g. diuersimodè calefacit res propinquas, ac remotas. Et quia etiam Angeli diuersimodè possunt operari in res propinquas, ac in remotas, ideò etiam ipsi sunt capaces motus, & vbicationis intrinsecæ, per quam tamen vbicationem potius continent locum, quam continentur à loco, vt explicatum est qu. 26. in resp. ad 7.

Ad 2. Dico vbicationem esse modum rei vbicatæ. Cum enim sit id, per quod corpus formaliter est in loco, non potest esse sine hoc corpore, cum hoc corpus possit

possit esse sine hac vbicatione. Est igitur vbicatio id, quod non potest esse, quin sit intrinsecum alteri, quod potest esse sine illo, quæ est definitio modi. Dum quæritur vlterius, vtrum vbicatio sit accidens absolutum, vel relatiuum, sensus quæsiti est, vtrum vbicatio sit ipsa actualis coniunctio cum loco extrinseco, & distantia actualis ab alijs vbicationibus, præsertim punctorum fixorum, ita vt dari non possit hæc vbicatio intrinseca, quin coniungatur cum tali loco extrinseco, & quin constituat vbicatum taliter distans à punctis fixis. Ad hoc quæsitum primo dico vbicationem non esse actualem coniunctionem cum immediato loco extrinseco; e.g. mea vbicatio intrinseca non est actualis coniunctio cum superficie illius aeris, quo includor. Probatur, nam mutato hoc aere extrinseco, remanet in me eadem vbicatio intrinseca; ergo mea vbicatio intrinseca non est actualis coniunctio cum superficie huius aeris; actualis enim coniunctio remanere non potest sine vtroque extremo. Secundo dico vbicationem nec esse relationem distantiæ ad alias res, quæ sunt in mundo; nam mutatis rebus, mutaretur vbicatio: e. g. cum Petrus appropinquat mihi, ego muto distantiam à Petro; ergo si vbicatio esset actualis di-

ſtantia, mutarem vbicationem. Actualis igitur relatio diſtantiæ, vel indiſtantiæ conſiſtit in coexiſtentia plurium vbicationum, vt indicatum eſt in logica.

Ad 3. Concedo, quod vbicatio ſit immobilis, & eſſentialiter affixa ſpatio. Dũ tamen dicitur, quod vbicatio ſit eſſentialiter affixa ſpatio, non eſt ſenſus, quod detur aliquod ſpatium diſtinctum ab vbicationibus, & cum ipſis penetratum, cui ſpatio vbicatio ſit eſſentialiter affixa, ſed ſolum eſt ſenſus, quod vbicatio eſt talis, vt non poſſit acquirere maiorem diſtantiam, aut propinquitatem ad alias vbicationes, quam illam diſtantiam, quã habet de facto. Ita duo corpora, quæ diſtant centum paſſibus, poſſunt fieri magis, vel minus diſtantia, quam ſint de facto; at duæ vbicationes diſtantes per centum paſſus non poſſunt magis appropinquare, vel diſtare; ideoque vbicationes ſunt immobiles. Affixio igitur ſpatio, quam habent vbicationes, eſt determinatio ad habendum inuicem tantam diſtantiam, & non maiorem, neque minorem, ſi actu ponantur; & ſic rem explicando, corrigitur per rationem imaginatio de ſpatio penetrato cum vbicationibus.

Sed explicandum, quid ſit ſpatium reale, vel imaginarium. Spatium reale

eſt

est actualitas vbicationum habentium inter se essentialiter tantam distantiam, & propinquitatem; e.g. spatium reale huius mundi sunt vbicationes corporum habentes inuicem tantam distantiam, vel propinquitatem. Spatium imaginarium sunt vbicationes possibiles, quæ si darentur, distarent ab omnibus vbicationibus actualibus, nec illis clauderentur, & haberent inter se certam distantiam, aut propinquitatem. Ita spatia imaginaria extra mundum sunt vbicationes possibiles, quæ si darentur, distarent ab omnibus vbicationibus huius mundi, nec clauderentur illis, & haberent certam distantiam, aut propinquitatem inter se. Hinc patet, quid intelligamus, cum concipimus Angelum moueri extra mundum per spatia imaginaria: intelligimus enim acquirere aliquam vbicationem distantem ab vbicatione sphęrę supremę, & non clausam intra sphęram supremam. Hinc etiam patet solutio celebris quæstionis, vtrum Deus sit in spatijs imaginarijs. Respondeo, quod Deus actu non est in spatijs imaginarijs, quia non potest esse pręsens actu vbicationibus, quæ actu non sunt, sed est potentia in spatijs imaginarijs, quia cum sit immensus, est talis, vt eo ipso, quod ponerentur vbicationes extra mundum, esset illis pręsens

ens per suam immensitatem. Porrò ista potentialitas essendi in spatijs imaginarijs non est potentia passiua, per quam Deus possit acquirere aliquam perfectionem, qua caret, sed est potentia actiua, qua potest dare vbicationibus perfectionem actualis existentię, à qua denominetur extrinsecè pręsens actualiter talibus vbicationibus.

Dices: Deus non esset actu immensus, nisi esset actu in infinito spatio.

Respondeo distinguo, non esset actu immensus, nisi esset actu in infinito spatio identificato suę immensitatis, concedo; nisi esset actu in infinito spatio distincto à sua immensitate, nego. Deus est actu immensus, quia est actu in infinito spatio identificato Diuinæ immensitatis, quę est ita magna, vt possit nulla sibi facta additione, constitui pręsens actu spatio creato maiori, & maiori sine termino. Similiter ad quęsitum, an Deus sit extra mundum: respondeo, quod si esse extra mundum significet, quod vbicatio Diuina, quę est immensitas, sit infinita, ac maior vbicatione mundi, concedo; si significet, quod Deus sit in aliquo spatio actuali distincto ab immensitate Diuina, quod spatium sit extra mundum, nego Deum esse actu extra mundum.

Ad 4. Respondeo vbicationem perma-

manentem essentialiter distingui à motu, siue vbicatione fluente. Ratio est, quia corpus per vbicationem fluentem ponitur in loco maiori, quam sit ipsum corpus, at per vbicationem permanentem ponitur in loco ęquali; e. g. nauis per motum, per quem mouetur per milliare, ponitur in spatio milliaris, quod spatium est multo maius naui; at nauis per vbicationem permanentem, & quiescentem ponitur in loco æquali. Et quia motus est diuisibilis in infinitum, ideò non est vlla pars motus, quæ non sit maior mobili, atque adeò distincta ab vbicatione quiescente eiusdem mobilis, quę est ęqualis mobili. Debet autem aduerti, quod cum dicitur vbicationem fluentem esse maiorem permanente, debet intelligi de vbicatione eiusdem omninò, & adęquati subiecti: e.g. si comparetur motus, siue vbicatio fluens totius nauis, & eiusdem vbicatio permanens, vbicatio fluens, seu motus semper est maior vbicatione permanente; at verò si vbicatio fluens medię nauis comparetur cum vbicatione permanente totius nauis, poterit esse maior, vel minor, vel ęqualis. Dum opponitur: per motum mobile tantundem spatij relinquit, quantum acquirit; sed relinquit spatium ęquale mobili; ergo acquirit spatium æquale

eidem mobili; distinguo maiorem, tantundem spatij occupati per vbicationem permanentem relinquit, quantum acquirit per fluentem, nego; tantundem spatij occupati per vnam partem motus relinquit, quantum acquirit per sequentem partem, transeat: distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Per primam partem motus mobile acquirit transeunter maius spatium, quam relinquat de spatio permanenter occupato per vbicationem quiescentē, vt est ostensum; ergo argumentum nullam habet vim. Dum vlterius opponitur, quod non potest explicari, quænam sit causa vbicationis permanentis: respondeo causam ipsius esse illam, quę determinat corpus ad quiescendum, & cessandum à motu, quęcumque tandem sit. Cum quęritur, vtrum vbicatio, & motus producantur per actionem distinctam? respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia idem numero motus, qui procedit ab vna causa, posset procedere ab alia: idem motus, quo de facto Cœlum mouetur ab vna Intelligentia, posset procedere ab alia Intelligentia; ergo procedit per actionem distinctam. Videtur autem, quod actio productiua vbicationis permanentis addat aliquid supra motum. Nam non potest dari actio productiua vbicationis

per-

permanentis, quin detur vbicatio permanens; sed posset dari motus, quin daretur vbicatio permanens, qua corpus quiesceret in tali loco, eo quod corpus continuaret motum sine vlla quiete interposita; ergo actio productiua vbicationis permanentis addit aliquid supra motum.

Ad 5. Duplex est sententia. Quidam censent singula, quæ sunt in composito, vbicari per suas proprias vbicationes, sicut durant per suas proprias durationes; e.g. in homine per vnam vbicationem vbicari corpus, per aliam vbicari animam; accidentia etiam tum materialia, tum spiritualia vbicari per suam vbicationem propriam. Alij è conuerso docent omnia, quæ sunt in composito, vbicari per vnicam vbicationem, quorum sententiam ego sequor. Quod forma substantialis, & materia vbicentur vnica vbicatione, probatur ex nostris principijs, quia cum existant per vnicam existentiam, durant per vnicam durationem, & vbicantur per vnicam vbicationem, quæ cum sit accidens, recipitur in ente iam actuato, & existente. Præscindendo etiam à nostris particularibus principijs probatur, quia eo ipso, quod subiectum sit vbicatum, omnia, quæ sunt in subiecto, sunt vbicata per accidens

per

idem mobili; distinguo maiorem, tantundem spatij occupati per vbicationem permanentem relinquit, quantum acquirit per fluentem, nego; tantundem spatij occupati per vnam partem motus relinquit, quantum acquirit per sequentem partem, transeat: distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Per primam partem motus mobile acquirit transeunter maius spatium, quam relinquat de spatio permanenter occupato per vbicationem quiescentẽ, vt est ostensum; ergo argumentum nullam habet vim. Dum vlterius opponitur, quod non potest explicari, quænam sit causa vbicationis permanentis: respondeo causam ipsius esse illam, quę determinat corpus ad quiescendum, & cessandum à motu, quęcumque tandem sit. Cum quęritur, vtrum vbicatio, & motus producantur per actionem distinctam: respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia idem numero motus, qui procedit ab vna causa, posset procedere ab alia: idem motus, quo de facto Cœlum mouetur ab vna Intelligentia, posset procedere ab alia Intelligentia; ergo procedit per actionem distinctam. Videtur autem, quod actio productiua vbicationis permanentis addat aliquid supra motum. Nam non potest dari actio productiua vbicationis

per-

permanentis, quin detur vbicatio permanens; sed posset dari motus, quin daretur vbicatio permanens, qua corpus quiesceret in tali loco, eo quod corpus continuaret motum sine vlla quiete interposita; ergo actio productiua vbicationis permanentis addit aliquid supra motum.

Ad 5. Duplex est sententia. Quidam censent singula, quæ sunt in composito, vbicari per suas proprias vbicationes, sicut durant per suas proprias durationes; e.g. in homine per vnam vbicationem vbicari corpus, per aliam vbicari animam; accidentia etiam tum materialia, tum spiritualia vbicari per suam vbicationem propriam. Alij è conuerso docent omnia, quæ sunt in composito, vbicari per vnicam vbicationem, quorum sententiam ego sequor. Quod forma substantialis, & materia vbicentur vnica vbicatione, probatur ex nostris principijs, quia cum existant per vnicam existentiam, durant per vnicam durationem, & vbicantur per vnicam vbicationem, quæ cum sit accidens, recipitur in ente iam actuato, & existente. Præscindendo etiam à nostris particularibus principijs probatur, quia eo ipso, quod subiectum sit vbicatum, omnia, quæ sunt in subiecto, sunt vbicata per accidens

per

per vbicationem subiecti; e.g. eo ipso, quod ego moueor, mea cognitio, quæ est in me, mouetur per accidens eodem motu; eo ipso, quod ego sum in hoc loco, quæcumque sunt in me, sunt in eo loco, in quo sum ego. Addo, quod videtur absurdum, quod cum quis ambulat, & iter facit, cognitio, quæ est in illo, recipiat suum motum specialem, quo moueatur cum subiecto, & percurrat multa milliaria. Si verò dicatur, quod me ambulante, cognitio mea non recipit vllum motum in se ipsa, sed solum est in me, qui motum recipio, atque adeò mouetur per accidens, in quantum mouetur subiectum, statim cessat admiratio. Similiter cum quis mouet duas manus motibus contrarijs, alteram sursum, alteram deorsum, anima rationalis indiuisibilis reciperet immediatè duos motus contrarios, & eodem tempore moueretur sursum, ac deorsum. Iuxta nostram sententiam, anima non recipit motus contrarios in se, sed est vnita duobus brachijs recipientibus motus contrarios. Ad paritatem de duratione, respondeo disparitatem esse manifestam. Nam eo ipso, quod aliquid mouetur, secum defert omnia, quæ sunt in illo tamquam in subiecto; ergo omnia mouentur per accidens ad motum subiecti, & vbicantur per accidens

cidens per vbicationem ſubiecti , ac proinde non requiritur alius motus, vel vbicatio . At non eo ipſo , quod aliquid durat nunc , durant omnia accidentia , quæ ante erant in illo , vel durat vnio accidentium ; ergo requiritur , vt accipiant propriam durationem , per quam durent . Hinc infertur implicare, quod ſubiectum moueatur , vel ponatur in loco, quin deferat ſecum omnia ſua accidentia independentia à loco , cum omnia moueantur , & vbicentur per accidens per motum , & vbicationem ſubiecti . Solet queri, an vbicatio , & motus rerum quantarum recipiantur immediatè in ſubſtantia, an potius in quantitate . Probabilius cēſeo recipi in quātitate,ſeu in ſubſtantia , media quantitate,vt oſtendetur inferius quæſtione 36. de Quantitate .

Ad 7. Quod eſt prius natura , quàm alterum , poteſt ſaltem miraculosè poni, impedito poſteriori,ſed corpus eſt prius natura, quam vbicatio ; ergo . Reſpondeo negando maiorem , quam oſtenſum eſt eſſe falſam queſt. 7. in reſponſione ad octauum . Exiſtimo igitur cum Suario lib.8. de Angelis cap.3.contra Scotum , & aliquos recentiores , corpus nè miraculosè quidem poſſe abſolui ab omni vbicatione , ac poni nullibi . Probatur primo

primo ex communi consensu. Nam vt ait Aristoteles quarto Physicorum textu primo *omnes, ea quæ sunt, alicubi esse existimant, quia id, quod non est, nusquam est. Vbi enim est Hippocentaurus, aut Chimera?* Secundo sunt valde affinia nunquam esse, ac nusquam esse; sed implicat, quod aliquid sit, & nunquam sit; ergo implicat, quod aliquid sit, & nusquã sit. Minor probatur, alioquin posset aliquis esse beatus, & nunquam, seu nullo tempore esse beatus. Tertio non potest aliquid existere, quin sit in tempore, atque adeò comprehendatur Diuina æternitate: ergo nõ potest existere, quin sit in loco, atque adeò comprehendatur Diuina immensitate. Quarto, quod existit, vel est propinquum alijs rebus, vel distans; sed propinquitas, vel distantia consequitur vbicationem; ergo quod existit habet aliquam vbicationem. Hinc colligitur nec Angelos posse poni nullibi. Argumenta enim valent etiam de Angelis. Existimo etiam Angelos non posse naturaliter vbicari in spatijs imaginarijs extra mundum. Ratio est, quia cum sint partes totius vniuersi, non possunt se separare à toto. Existimo etiam non posse Angelos naturaliter moueri motu discreto, quo transeant à loco ad locum, non transeundo per medium. Ratio est, quia

quia ſicut ex limitatione Angelorum ſequitur, quod ſint præſentes vnico loco, & non alteri, ſic ex eadem limitatione ſequitur, quod ex loco, in quo ſunt, poſſint immediatè tranſire ad proximum, non autem ad diſtantem. Vbicatio enim limitata conſtituit ſubiectum in proxima potentia ad tranſeundum tantum ad ſpatium proximum.

QVAESTIO XXVIII.

Vtrum corpus poſſit miraculosè replicari.

Videtur primo poſſe aliqua entia ſpiritualia etiam naturaliter replicari, ità vt ſint in pluribus locis. Anima enim rationalis cum ſit indiuiſibilis, eſt ſimul in capite, pedibus, & brachijs, atque adeò eſt ſimul in locis capitis, pedum, ac brachiorum, ac proinde replicatur: Angelus etiam poteſt naturaliter eſse pręſens toti cubiculo; ergo erit ſimul in vtraque medietate cubiculi; ergo ſimul erit in pluribus locis.

2. Videtur, quod neque ſupernaturaliter poſſit corpus replicari. Si enim ſupernaturaliter replicari poſſet in pluribus locis

locis, possent etiam supernaturaliter plura corpora penetrari, ac poni in vnico loco. Vtrumq; autem videtur absurdum. Quæ enim sunt in vnico loco, eo ipso sunt vnum, quæ in pluribus sunt plura; sed non potest vnum corpus esse simul plura corpora, neque plura corpora esse vnum corpus; ergo corpora nec possunt supernaturaliter replicari, nec penetrari.

3. Si corpus replicaretur, deberent cum eo replicari omnia accidentia, quę sunt in corpore, e.g. albedo, scientia &c; ergo etiam deberet replicari vbicatio corporis, quod est impossibile.

4. Videtur esse vera sententia Scoti, & aliorum, quos refert, ac sequitur Suarius to. 3. in 3. partē disp 48. sect. 9. cum pluribus alijs recentioribus, quod corpus non solum sit miraculosè replicabile per plures vbicationes definitiuas per quas nimirum sit totum in toto, & totum in qualibet parte, eo pacto, quo corpus Christi in Eucharistia est totum in tota hostia, & totum in qualibet parte hostiæ, sed etiam quod possit replicari per plures vbicationes circumscriptiuas, per quas totum sit in toto, pars in parte, medietas in medietate &c; quià non est maior ratio de vna replicatione, quam de alia; immò difficilior videtur replicatio per vbicationem definitiuā; per illam enim non

solum

ſolum corpus ponitur in duplici loco, ſed etiam ponitur modo quodam mirabiliori, ità vt ſit totum in toto, & totum in medietate ſpatij. Adde quoſdã viros Sanctos viſos eſſe de facto in duplici loco per vbicationem circumſcriptiuam.

5. Si corpus replicaretur, poſſet poſt replicationem moueri pluribus motibus contrarijs, occurrere ſibi ipſi, & in ſeipſum impingere; in vno loco vulnerari, in altero remanere ſine vulnere; in vno moris in altero viuere; poſſet vnicus homo conſtituere exercitum innumerabilium hominum, quæ videntur abſurda, & impoſſibilia.

Reſpondeo: certum eſt primo, quod non poteſt corpus naturaliter replicari, & poni ſimul in pluribus locis. Vnuſquiſque enim videt non poſſe ſe naturaliter eſſe Romæ ſimul, & Neapoli.

Certum eſt ſecundo ex fide poſſe corpus miraculosè replicari, & poni in pluribus locis quaſi definitiuè, & in vno loco circumſcriptiuè, in altero quaſi definitiuè. Corpus enim Chriſti ſimul eſt circumſcriptiuè in Cœlo, ac quaſi definitiuè in Euchariſtia, ac in pluribus mundi locis, in quibus eſt Euchariſtia.

Tertio probabiliorem exiſtimo ſententiam Sanctorum Bonauenturæ, & Thomę, quos præter omnes Thomiſtas ſequitur

tur Vasquez in 3. parte disp. 169. docentem, quod ne diuinitus quidem potest corpus replicari per plures vbicationes circumscriptiuas.

Probatur primo, quià principium proprium, ex quo per sensum venimus in cognitionem certam de distinctione inter homogenea sensibilia, non potest falsificari per vllam potentiam: sed principium proprium, ex quo venimus in cognitionem certam distinctionis inter res homogeneas sensibiles, est quod habeant diuersas vbicationes circumscriptiuas; e.g. ego videns albedinem A existentem in vno loco, & albedinem B existentem in alio, statim cognosco illas esse duas, & non vnam albedinem, nec aliunde venio in cognitionem talis distinctionis, quam ex vbicationum diuersitate; ergo ne per Diuinam quidem potentiam falsificari potest hoc principium; sed falsificaretur, si palmus albedinis replicaretur circumscriptiuè; viderem enim illum in duplici loco, & non esset distinctus; ergo &c.

Confirmatur, quià alioquin possemus dubitare, an omnes palmi albedinis, qui sunt in mundo, sint vnus numero palmus albedinis replicatus; an omnis materia sit vnica materia replicata; an omnia grana frumenti, quæ de facto videmus, sint vnicum granum multipliciter replicatum.

Con-

Confirmatur secundo, quià principia quibus intellectus assentitur ex terminis, & non propter experientias sensibiles, falsificari non possunt; e.g. non possunt falsificari ista principia, *omne totum est maius parte: si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia &c.*, quià nota sunt ex terminis; sed quod quæ sunt in pluribus locis circumscriptiuè sunt plura, notum est purè ex terminis, cum profectò nemo possit per vllam experientiam deprehendere, quod totum frumentum mundi non est vnicum granum replicatum; ergo licet non sit ęquè euidens hoc principium, ac alia, quorum exempla adduximus, est ęquè infalsificabile; nam etiam principia non omninò euidentia, sed probabilia, possunt esse omninò infalsificabilia.

Aduerte, quod sicut sensus principij: *omne totum est maius sua parte est*, omne, quod verè est totum, est maius parte: sic sensus principij: *quæ sunt circumscriptiuè &c.* est, quę verè sunt, non autem quæ videntur esse.

*P*robatur secundo conclusio, nam pars non potest esse æqualis toti nè diuinitus quidem; sed si posset corpus replicari circumscriptiuè, pars posset esse æqualis toti: ergo &c. Probatur minor, nam vbicatio circumscriptiua mensurat rem vbi-

catam

atam, eo quod palmus vbicationis correspondeat, & adequetur palmo rei vbicatæ, digitus digito, & sic de alijs partibus; ergo tanta est res vbicata, quanta est vbicatio; sed posset vbicatio medietatis esse æqualis vbicationi totius, si medietas replicaretur per aliam vbicationem æqualem; ergo medietas posset esse æqualis toti. Et confirmatur, quià quæ sibi congruunt sunt æqualia; sed medietas replicata congrueret toti; ergo esset æqualis toti.

Ad 1. Nego Animam rationalem in corpore replicari. Nam replicari est poni in duplici loco adæquato, seu in duplici loco non constituente vnum locum; at Anima rationalis non ponitur in duplici loco adæquato, sed solum in duplici loco partiali, siquidem locus capitis, & pedis constituunt vnum locum totalem totius corporis; ergo Anima rationalis non replicatur. Idem dic proportionaliter de Angelo, qui esset præsens toti cubiculo.

Ad 2. Concedo posse duo corpora penetrari miraculosè, vt est certum apud omnes Theologos, excepto Durando, qui quià in 4. dist. 14. quæst. 6 problematicè procedit, malè audit apud Scholasticos. Certum est enim Christum in natiuitate penetratum fuisse cum vtero Beatæ Virginis,

ginis, cum natus eſt, ſalua matris integritate. Dum opponitur, quià quæ ſunt in vno loco ſunt vnum corpus, nego hoc Sicut enim plures gradus caloris, vel frigoris, licet penetrentur, adhuc diſtinguuntur, ſic plura corpora miraculosè penetrata remanent diſtincta. Neque enim ſicut principium cognoſcendi diſtinctionem ſenſibilium homogeneorum eſt vbicatio, per quam ſunt in diuerſis locis, ita principium cognoſcendi identitatem ſẽſibilium homogeneorum eſt penetrato, per quam ſunt in eodem loco, vt patet exemplo allato graduum.

Circa penetrationem aduerte, quod ſi duo corpora penetrarentur, non poſſet vnum ſine nouo miraculo egredi ex altero. Ratio eſt, quia in hoc egreſſu quædam partes deberent ſucceſſiuè penetrari cum alijs partibus, cum quibus ante non eſſent penetratæ; hæc autem noua penetratio requireret nouum miraculum.

Ad 3. Concedo, quod replicato corpore, replicentur omnia accidentia, quę per accidens ſunt in loco per vbicationem corporis. Ratio eſt primo, quia quod eſt in ſubiecto, defertur à ſubiecto quocumque transfertur ſubiectum. Secundo quia ad hoc, vt aliquid ſit per accidens in loco, ſufficit, quod ſit in ſubiecto, quod ſubiectum exiſtit in tali loco, vt dictum

eſt

est quæst. 26. ad quintum. Ex hoc patet, quod ne per Diuinam quidem potentiam potest replicari subiectum, quin replicentur ea omnia, quæ vbicantur per accidens per vbicationem subiecti. Patet secundo in Eucharistia sub speciebus panis esse concomitanter, & per accidens, licet non ex vi verborum, sanguinem, animā, & omnia accidentia, quæ Christus habet in Cœlo. Quoad sanguinem, & animam doctrina est de fide; quoad alia accidentia est communiter recepta. Patet tertio, cur licet vbicumque est pes, sit anima rationalis, non tamen vbicumque est anima, sit pes. Ratio est, quia anima est in loco per accidens; ergo eo ipso, quod pes sit in aliquo loco, anima pedi vnita est in loco pedis; at licet anima sit per accidens in loco capitis, tamen quia caput, quod est per se in eodem loco, exigit ne ibi sit pes, cum nequeat penetrari cum pede, etiam anima exigit, nè vbi est caput, ibi sit pes. Si tamen anima replicaretur per se, & acciperet aliquam vbicationem per se, traheret secum suum corpus.

Dum opponitur, quia deberet etiam replicari vbicatio corporis, nego sequelam cum sententia communi contra paucos Recentiores. Ratio est primo, quia replicato corpore, eatenus alia accidentia replicantur, quatenus sunt per accidens in

in loco per vbicationem corporis; sed vbicatio est in loco essentialiter per se ipsam, immo est ipsum esse in loco; ergo non debet replicari. Secundo replicato subiecto, ea debent replicari, quæ possunt alibi tribuere subiecto suum effectum formalem; e.g. replicata anima Christi, replicari debet beatitudo Christi, quia potest etiam in loco replicationis animæ Christi tribuere effectum formalem beati; sed vbicatio si replicaretur, nunquam posset alibi tribuere effectum formalem subiecto, quia non potest facere, vt subiectum in terra sit in Cœlo, vt concedunt aduersarij; ergo vbicatio non debet replicari. Immo dico, vbicationem nè per Diuinam quidem potentiam posse replicari. Probatur, nam licet idem subiectum possit diuinitus recipere duas formas contrarias, & duos effectus formales contrarios, ita vt recipiat albedinem, & nigredinem, & fiat simul albũ, & nigrũ, tamen vnum contrarium non potest recipere effectum formalem sui cõtrarij, e.g. albedo non potest fieri nigra, calor non potest fieri frigidus; sed esse hìc, & esse alibi sunt effectus formales oppositi, & incompossibiles, ergo licet possit idem subiectum miraculosè poni simul hìc, & alibi, tamen ipsum esse hìc non potest poni alibi; hoc enim esset sicut si calor

fieret frigidus. Et confirmatur, quia quies posset moueri; motus actualis posset quiescere; motus deorsum posset moueri sursum; rotunditas remanens rotunditas posset fieri quadrata, & coaptari, & congruere spatio quadrato, quæ omnia repugnant.

Ad 4. Nego rationes adductas contra replicationem per plura vbi circumscriptiua valere contra replicationem per vbicationes definitiuas. Prima ratio non valet, quia cum præsentia definitiua in pluribus locis sit insensibilis, principium distinguendi per sensum plura sensibilia non est præsentia definitiua in pluribus locis; ergo non falsificatur principium distinguendi res. Intellectus porrò non distinguit intelligibilia etiam homogenea per præsentiam in pluribus locis, sed per alia principia infalsificabilia. Secundo neque etiam ex eo, quod corpus replicetur definitiuè, sequitur partem esse æqualem toti. Ratio est, quia tunc pars esset æqualis toti, cum mensuraretur eadem mensura, ac totum; sed mensura rei non est vbicatio definitiua, sed solum circumscriptiua, per quam corpus ita vbicatur, vt palmus corporis correspondeat palmo vbicationis, semipalmus semipalmo, & sic de cæteris partibus; vbicatio verò definitiua, per quam totum

est

est sub tota vbicatione palmari, & totum sub qualibet parte vbicationis, non mensurat corpus ; ergo non sequitur, quod pars sit æqualis toti . Hinc desumitur ratio, cur eo ipso, quod corpus vbicatur per vbicationem palmarem, sit palmare, eo ipso, quod vbicatur per vbicationem bipalmarem, sit bipalmare ; Anima verò rationalis licet vbicetur per vbicationem bipalmarem, nòn sit bipalmaris. Ratio est, quia corpus naturaliter vbicatur circumscriptiuè, atque adeò commensuratiuè : Anima vbicatur definitiuè, atque adeò non commensuratiuè. Hinc etiam est, cur crescente vbicatione corporis, crescat corpus, Anima autem rationalis non crescat : neque enim est maior anima pueri, quam anima gigantis, nec est longior anima, quamuis sit in corpore longiore. Ideò etiam licet Anima vbicetur definitiuè, & per accidens per vbicationem figuratam, non est figurata ; ideò corpus Cristi in quantum est in hostia maiori non est maius ; in quantum est in hostia rotunda, vel quadrata, non est rotundum, neque quadratum, quia non commensuratur vbicationibus definitiuis, & per accidens.

Ad id, quod additur de quibusdam viris Sanctis, qui visi fuerunt simul in pluribus locis, dico miraculum potuisse

contingere multipliciter ſine reali replicatione. Primo, vt in altero locorum viderentur viſione quadam phantaſtica, & imaginaria cauſata ab Angelis per motum phantaſticum, ſicut contingit in ſomnijs. Secundo vt in altero locorum videretur viſione reali corpus aereum, formatum ab Angelis, & ſimile corpori reali illius Sancti, & vtrumque eorum, ſæpè accidit in viſionibus, & apparitionibus. Tertio vt miraculosè ſpecies viſibiles hominis diſtantis peruenirent ad oculos diſtantes, ita vt per illas viderent illum hominem diſtantem tamquam præſentem; ſicut aliquando per teleſcopium diſtantiſſima obiecta apparent vt propinqua.

Ad 5. Si corpus replicaretur circumſcriptiuè, ſequerentur abſurda dicta; at ſi replicetur ſolum definitiuè, & per accidens, vt contingit in corpore Chriſti, nullum ſequitur abſurdum. Nam corpus Chriſti in quantũ eſt in Euchariſtia non recipit in ſeipſo intrinſecè vllum motũ, ſed ſolum mouetur per accidens ad motum ſpecierum. Quod autem aliquid moueatur per accidens duobus motibus contrarijs, non recipiendo tales motus, non repugnat; quia eatenus motus ſunt contrarij, in quantum ſe excludunt ab eodem ſubiecto; ſed cum mouentur acciden-

cidentia Eucharistica, nullus motus recipitur in corpore Christi; ergo &c. Cum igitur duæ hostiæ mouentur motibus cõtrarijs, accidit aliquid simile, sicut cum duæ manus eiusdem hominis mouentur motibus contrarijs. Similiter non potest corpus Christi in seipsum impingere, ita vt hoc significet aliquid receptum in corpore Christi, sed solum impingit in seipsum per accidens, hoc est vnitur speciebus impingentibus in alias species, vel in corpus Christi circumscriptiuè vbicatum. Rursus corpora in quantum vbicantur definitiuè nihil possunt agere, neque pati, ideoque Christus in quantum est in hostia, neque potest frigefieri, neque calefieri, neque quidquam agere, sed solum habet potentias actiuas, ac passiuas, quas habet in Cœlo replicatas in Eucharistia; ergo non potest prout in hostia vulnerari, vel mori, sed omnes actiones, ac passiones recipiuntur in solis accidentibus, quibus corruptis, corpus Christi desinit esse in Eucharistia. Idem proportionaliter contingeret in alijs corporibus definitiuè replicatis; ergo omnia absurda illata sequerentur solum ex replicatione circumscriptiua, non autem ex definitiua, quam solam nos concedimus.

locis, possent etiam supernaturaliter plura corpora penetrari, ac poni in vnico loco. Vtrumq; autem videtur absurdum. Quæ enim sunt in vnico loco, eo ipso sunt vnum, quæ in pluribus sunt plura; sed non potest vnum corpus esse simul plura corpora, neque plura corpora esse vnum corpus; ergo corpora nec possunt supernaturaliter replicari, nec penetrari.

3. Si corpus replicaretur, deberent cum eo replicari omnia accidentia, quę sunt in corpore, e.g. albedo, scientia &c; ergo etiam deberet replicari vbicatio corporis, quod est impossibile.

4. Videtur esse vera sententia Scoti, & aliorum, quos refert, ac sequitur Suarius to. 3. in 3. partē disp 48. sect. 9. cum pluribus alijs recentioribus, quod corpus non solum sit miraculosè replicabile per plures vbicationes definitiuas per quas nimirum sit totum in toto, & totum in qualibet parte, eo pacto, quo corpus Christi in Eucharistia est totum in tota hostia, & totum in qualibet parte hostiæ, sed etiam quod possit replicari per plures vbicationes circumscriptiuas, per quas totum sit in toto, pars in parte, medietas in medietate &c; quià non est maior ratio de vna replicatione, quam de alia; immò difficilior videtur replicatio per vbicationem definitiuā; per illam enim non

solum

ſolum corpus ponitur in duplici loco, ſec etiam ponitur modo quodam mirabiliori, ità vt ſit totum in toto, & totum in medietate ſpatij. Adde quoſdā viros Sanctos viſos eſſe de facto in duplici loco per vbicationem circumſcriptiuam.

5. Si corpus replicaretur, poſſet poſt replicationem moueri pluribus motibus contrarijs, occurrere ſibi ipſi, & in ſe ipſum impingere; in vno loco vulnerari, in altero remanere ſine vulnere; in vno mori, in altero viuere; poſſet vnicus homo conſtituere exercitum innumerabilium hominum, quæ videntur abſurda, & impoſſibilia.

Reſpondeo: certum eſt primo, quod non poteſt corpus naturaliter replicari, & poni ſimul in pluribus locis. Vnuſquiſque enim videt non poſſe ſe naturaliter eſſe Romæ ſimul, & Neapoli.

Certum eſt ſecundo ex fide poſſe corpus miraculosè replicari, & poni in pluribus locis quaſi definitiuè, & in vno loco circumſcriptiuè, in altero quaſi definitiuè. Corpus enim Chriſti ſimul eſt circumſcriptiuè in Cœlo, ac quaſi definitiuè in Euchariſtia, ac in pluribus mundi locis, in quibus eſt Euchariſtia.

Tertio probabiliorem exiſtimo ſententiam Sanctorum Bonauenturæ, & Thomæ, quos præter omnes Thomiſtas ſequitur

tur Vasquez in 3 parte disp. 169. docentem, quod ne diuinitus quidem potest corpus replicari per plures vbicationes circumscriptiuas.

Probatur primo, quia principium proprium, ex quo per sensum venimus in cognitionem certam de distinctione inter homogenea sensibilia, non potest falsificari per vllam potentiam; sed principium proprium, ex quo venimus in cognitionem certam distinctionis inter res homogeneas sensibiles, est quod habeant diuersas vbicationes circumscriptiuas; e.g. ego videns albedinem A existentem in vno loco, & albedinem B existentem in alio, statim cognosco illas esse duas, & non vnam albedinem, nec aliunde venio in cognitionem talis distinctionis, quam ex vbicationum diuersitate; ergo ne per Diuinam quidem potentiam falsificari potest hoc principium; sed falsificaretur, si palmus albedinis replicaretur circumscriptiuè; viderem enim illum in duplici loco, & non esset distinctus; ergo &c.

Confirmatur, quia alioquin possemus dubitare, an omnes palmi albedinis, qui sunt in mundo, sint vnus numero palmus albedinis replicatus; an omnis materia sit vnica materia replicata; an omnia grana frumenti, quae de facto videmus, sint vnicum granum multipliciter replicatum.

Confirmatur secundo, quià principia quibus intellectus assentitur ex terminis, & non propter experientias sensibiles, falsificari non possunt; e.g. non possunt falsificari ista principia, *omne totum est maius parte: si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia &c*, quià nota sunt ex terminis; sed quod quæ sunt in pluribus locis circumscriptiuè sunt plura, notum est purè ex terminis, cum profectò nemo possit per vllam experientiam deprehendere, quod totum frumentum mundi non est vnicum granum replicatum; ergo licet non sit ęquè euidens hoc principium, ac alia, quorum exempla adduximus, est ęquè infalsificabile; nam etiam principia non omninò euidentia, sed probabilia, possunt esse omninò infalsificabilia.

Aduerte, quod sicut sensus principij: *omne totum est maius sua parte est*, omne, quod verè est totum, est maius parte: sic sensus principij: *quæ sunt circumscriptiuè &c*. est, quę verè sunt, non autem quæ videntur esse.

Probatur secundo conclusio, nam pars non potest esse æqualis toti nè diuinitus quidem; sed si posset corpus replicari circumscriptiuè, pars posset esse æqualis toti; ergo &c. Probatur minor, nam vbicatio circumscriptiua mensurat rem vbi-

catam

catam, eo quod palmus vbicationis correspondeat, & adęquetur palmo rei vbicatæ, digitus digito, & sic de alijs partibus; ergo tanta est res vbicata, quanta est vbicatio; sed posset vbicatio medietatis esse æqualis vbicationi totius, si medietas replicaretur per aliam vbicationem æqualem; ergo medietas posset esse ęqualis toti. Et confirmatur, quià quę sibi congruunt sunt æqualia; sed medietas replicata congrueret toti; ergo esset ęqualis toti.

Ad 1. Nego Animam rationalem in corpore replicari. Nam replicari est poni in duplici loco adæquato, seu in duplici loco non constituente vnum locum; at Anima rationalis non ponitur in duplici loco adæquato, sed solum in duplici loco partiali, siquidem locus capitis, & pedis constituunt vnum locum totalem totius corporis; ergo Anima rationalis non replicatur. Idem dic proportionaliter de Angelo, qui esset præsens toti cubiculo.

Ad 2. Concedo posse duo corpora penetrari miraculosè, vt est certum apud omnes Theologos, excepto Durando, qui quià in 4. dist. 14. quæst. 6. problematicè procedit, malè audit apud Scholasticos. Certum est enim Christum in natiuitate penetratum fuisse cum vtero Beatæ Virginis,

ginis, cum natus est, salua matris integritate. Dum opponitur, quià quæ sunt in uno loco sunt vnum corpus, nego hoc. Sicut enim plures gradus caloris, vel frigoris, licet penetrentur, adhuc distinguuntur, sic plura corpora miraculosè penetrata remanent distincta. Neque enim sicut principium cognoscendi distinctionem sensibilium homogeneorum est vbicatio, per quam sunt in diuersis locis, ita principium cognoscendi identitatem sēsibilium homogeneorum est penetratio, per quam sunt in eodem loco, vt patet exemplo allato graduum.

Circa penetrationem aduerte, quod si duo corpora penetrarentur, non posset unum sine nouo miraculo egredi ex altero. Ratio est, quia in hoc egressu quædam partes deberent successiuè penetrari cum alijs partibus, cum quibus ante non fuissent penetratæ; hæc autem noua penetratio requireret nouum miraculum.

Ad 3. Concedo, quod replicato corpore, replicentur omnia accidentia, quę per accidens sunt in loco per vbicationem corporis. Ratio est primo, quia quod est in subiecto, defertur à subiecto quocumque transfertur subiectum. Secundo quia ad hoc, vt aliquid sit per accidens in loco, sufficit, quod sit in subiecto, quod subiectum existit in tali loco, vt dictum

est

est quæst.26. ad quintum. Ex hoc patet, quod ne per Diuinam quidem potentiam potest replicari subiectum, quin replicentur ea omnia, quæ vbicantur per accidens per vbicationem subiecti. Patet secundo in Eucharistia sub speciebus panis esse concomitanter, & per accidens, licet non ex vi verborum, sanguinem, animã, & omnia accidentia, quæ Christus habet in Cœlo. Quoad sanguinem, & animam doctrina est de fide; quoad alia accidentia est communiter recepta. Patet tertio, cur licet vbicumque est pes, sit anima rationalis, non tamen vbicumque est anima, sit pes. Ratio est, quia anima est in loco per accidens; ergo eo ipso, quod pes sit in aliquo loco, anima pedi vnita est in loco pedis; at licet anima sit per accidens in loco capitis, tamen quia caput, quod est per se in eodem loco, exigit ne ibi sit pes, cum nequeat penetrari cum pede, etiam anima exigit, nè vbi est caput, ibi sit pes. Si tamen anima replicaretur per se, & acciperet aliquam vbicationem per se, traheret secum suum corpus.

Dum opponitur, quia deberet etiam replicari vbicatio corporis, nego sequelam cum sententia communi contra paucos Recentiores. Ratio est primo, quia replicato corpore, eatenus alia accidentia replicantur, quatenus sunt per accidens

in

in loco per vbicationem corporis; sed vbicatio est in loco essentialiter per se ipsam, immo est ipsum esse in loco; ergo non debet replicari. Secundo replicato subiecto, ea debent replicari, quæ possunt alibi tribuere subiecto suum effectum formalem; e.g. replicata anima Christi, replicari debet beatitudo Christi, quia potest etiam in loco replicationis animæ Christi tribuere effectum formalem beati; sed vbicatio si replicaretur, nunquam posset alibi tribuere effectum formalem subiecto, quia non potest facere, vt subiectum in terra sit in Cœlo, vt concedunt aduersarij; ergo vbicatio non debet replicari. Immo dico, vbicationem nè per Diuinam quidem potentiam posse replicari. Probatur, nam licet idem subiectum possit diuinitus recipere duas formas contrarias, & duos effectus formales contrarios, ita vt recipiat albedinem, & nigredinem, & fiat simul albũ, & nigrũ, tamen vnum contrarium non potest recipere effectum formalem sui cõtrarij; e.g. albedo non potest fieri nigra, calor non potest fieri frigidus; sed esse hic, & esse alibi sunt effectus formales oppositi, & incompossibiles; ergo licet possit idem subiectum miraculosè poni simul hic, & alibi, tamen ipsum esse hic non potest poni alibi; hoc enim esset sicut si calor

fieret frigidus. Et confirmatur, quia quies posset moueri; motus actualis posset quiescere; motus deorsum posset moueri sursum; rotunditas remanens rotunditas posset fieri quadrata, & coaptari, & congruere spatio quadrato, quæ omnia repugnant.

Ad 4. Nego rationes adductas contra replicationem per plura vbi circumscriptiua valere contra replicationem per vbicationes definitiuas. Prima ratio non valet, quia cum præsentia definitiua in pluribus locis sit insensibilis, principium distinguendi per sensum plura sensibilia non est præsentia definitiua in pluribus locis; ergo non falsificatur principium distinguendi res. Intellectus porrò non distinguit intelligibilia etiam homogenea per præsentiam in pluribus locis, sed per alia principia infalsificabilia. Secundo neque etiam ex eo, quod corpus replicetur definitiuè, sequitur partem esse æqualem toti. Ratio est, quia tunc pars esset æqualis toti, cum mensuraretur eadem mensura, ac totum; sed mensura rei non est vbicatio definitiua, sed solum circumscriptiua, per quam corpus ita vbicatur, vt palmus corporis correspondeat palmo vbicationis, semipalmus semipalmo, & sic de cæteris partibus; vbicatio verò definitiua, per quam totum

est

est sub tota vbicatione palmari, & totum sub qualibet parte vbicationis, non mensurat corpus; ergo non sequitur, quod pars sit æqualis toti. Hinc desumitur ratio, cur eo ipso, quod corpus vbicatur per vbicationem palmarem, sit palmare, eo ipso, quod vbicatur per vbicationem bipalmarem, sit bipalmare; Anima verò rationalis licet vbicetur per vbicationem bipalmarem, non sit bipalmaris. Ratio est, quia corpus naturaliter vbicatur circumscriptiuè, atque adeò commensuratiuè: Anima vbicatur definitiuè, atque adeò non commensuratiuè. Hinc etiam est, cur crescente vbicatione corporis, crescat corpus, Anima autem rationalis non crescat: neque enim est maior anima pueri, quam anima gigantis, nec est longior anima, quamuis sit in corpore longiore. Ideò etiam licet Anima vbicetur definitiuè, & per accidens per vbicationem figuratam, non est figurata; ideò corpus Cristi in quantum est in hostia maiori non est maius; in quantum est in hostia rotunda, vel quadrata, non est rotundum, neque quadratum, quia non commensuratur vbicationibus definitiuis, & per accidens.

Ad id, quod additur de quibusdam viris Sanctis, qui visi fuerunt simul in pluribus locis, dico miraculum potuisse

cidentia Euchariſtica, nullus motus recipitur in corpore Chriſti; ergo &c. Cum igitur duæ hoſtiæ mouentur motibus cõtrarijs, accidit aliquid ſimile, ſicut cum duæ manus eiuſdem hominis mouentur motibus contrarijs. Similiter non poteſt corpus Chriſti in ſeipſum impingere, ita vt hoc ſignificet aliquid receptum in corpore Chriſti, ſed ſolum impingit in ſeipſum per accidens, hoc eſt vnitur ſpeciebus impingentibus in alias ſpecies, vel in corpus Chriſti circumſcriptiuè vbicatum. Rurſus corpora in quantum vbicantur definitiuè nihil poſſunt agere, neque pati, ideoque Chriſtus in quantum eſt in hoſtia, neque poteſt frigefieri, neque calefieri, neque quidquam agere, ſed ſolum habet potentias actiuas, ac paſſiuas, quas habet in Cœlo replicatas in Euchariſtia; ergo non poteſt prout in hoſtia vulnerari, vel mori, ſed omnes actiones, ac paſſiones recipiuntur in ſolis accidentibus, quibus corruptis, corpus Chriſti deſinit eſſe in Euchariſtia. Idem proportionaliter contingeret in alijs corporibus definitiuè replicatis; ergo omnia abſurda illata ſequerentur ſolum ex replicatione circumſcriptiua, non autem ex definitiua, quam ſolam nos concedimus.

QVAESTIO XXIX.

An detur Vacuum.

VIdetur vera esse sententia antiquorum, quod detur vacuum 1. quia extra supremum Cœlum dantur spatia imaginaria corporibus vacua.

2. Si totum spatium esset plenum, corpora moueri non possent, quia non possunt intrare in plenum. Neque dicas, quod corpus cum mouetur, intrat in locum alterius corporis cedentis loco: nam de hoc altero corpore redit difficultas, quia cum per motum cedat loco, intrat in alium locum, & pellit aliud corpus, de quo redit difficultas; ergo cum mouetur vnum corpus, vel datur vacuum, vel totus mundus secundum omnes partes mouetur, & fluctuat, sicut contingit in aqua, cum in illam ingreditur lapis proiectus.

3. Aliquando corpus condensatur, & tunc occupat minus spatium, cum antea occuparet spatium maius; sed hoc esset impossibile, nisi tum implerentur aliqua vacua intercepta: quomodo enim aer, qui occupabat spatium bipalmare, contrahitur ad palmare, nisi repleat quasdam

dam vacuitates ? ergo.

4. Dolium tantundem vini capit vna cum vtribus, quantum ſine vtribus: vas tantundem aquæ capit cum cinere, quãtum ſine cinere, quæ non poſſent contingere ſine vacuo.

5. Corpus planum tangit aliud planũ immediatè, ita vt nihil mediet; ſed talis contactus fieri non poteſt ſine vacuo, ſaltem pro paruo tempore; ergo &c. Probatur minor: nam vt vnum planum alteri ſuprapoſitũ tangat illud, debet egredi totus aer interceptus; ſed non poteſt egredi, quin detur vacuum: dum enim aer correſpondens partibus medijs plani egreditur ex lateribus ſucceſſiuè, planum ſuperius manet eleuatum, & non coniungitur alteri plano; ergo in loco aeris egredientis intercipitur aliquod vacuũ.

6. Dum ſilex rumpitur ictu mallei, ſimul ſeparantur partes mediæ, & partes extremæ; ergo in medijs datur vacuum pro aliquo breuiſſimo tempore, antequã aer per motum ſucceſſiuum perueniat ad locum ipſarum.

7. Si fiſtula vitrea vltra duos cubitos longa, in qua ſit vnicum foramen apertum, ex vna extremitate impleatur argento viuo, quod vocatur etiam Hydrargirum, ſeu Mercurius, penitus aere excluſo, & digito ſuprapoſito foramini, ita

vt argentum viuum non possit egredi, fi-
tula inuertatur, & demergatur in alio
rgento viuo parato in vase, seu catino
ıbiecto, tum digito subducto, aperiatur
oramen, ita vt libera sit argento viuo
acultas egrediendi, ac descendendi, ar-
entum viuum descendet vsque ad certā
ıensuram fistulæ: deinde sursum aliquā-
ım ascendit, & post descendit, & sic ali-
uantulum fluctuat, ascendendo, ac de-
cendendo, donec tandem quiescat in
erta altitudine fistulæ. Posito hoc ex-
erimento, superior fistulæ pars rema-
et vacua aere, qui non potuit permeare
er vitrum, vtpote carens poris, vt com-
ertum est pluribus experientijs; rema-
et etiam vacua quolibet alio corpore;
rgo datur vacuum, & quidem satis ma-
num in rerum natura.

Respondeo cum Aristotele, omnibus
Peripateticis, & Philosophis penè om-
ibus, paucissimis exceptis, pluribus ex-
erimentis constare, quod natura refu-
it vacuum, adeò vt ad illud impedien-
um in alijs suis legibus dispenset. Pri-
ıo grauia non descendunt contra legem
ıæ grauitatis, cum nullum est aliud cor-
us potens in locum ipsorum subintrare
d vacuum impediendum. Ita si sit fistu-
ı ex vtraque parte perforata, & implea-
ır aqua, & claudatur foramen supe-
rius

rius, aqua non descendit, quia non potest aer subintrare in locum aquæ descẽdentis ad vacuum impediendum; si verò aperiatur foramen superius, statim aqua descendit, aere subintrante. Secundo grauia ascendunt contra suam grauitatem ad vacuum impediendum. Patet præsertim in machinis, quæ vulgo vocantur *Trombe*, ex quibus si superiore ex parte aer attrahatur, ascendit aqua etiam ex profundissima cisterna, vt aeri succedens impediat vacuum. Tertio quædam corpora, cum potest aliud corpus succedere in locum illorum, facillimè mouentur; si nullum corpus possit succedere, nulla vi possunt moueri. Patet in fistula, qua inflantur folles lusorij. Si enim claudendo foramen, impediatur aer, ne subintret, bacillus interior poterit aliquantulum trahi, dum rarefactus, aer succedere potest in locum bacilli, sed cum aer iam est rarefactus quantum potest, nulla vi potest amplius trahi bacillus, quia sequeretur vacuum, non potente succedere alio corpore in locum bacilli. Ratio verò, cur natura vsque adeò refugiat vacuum est, quia vacuum tolleret mutuam corporum continuitatem, & coniunctionẽ, quæ partialiter abrumpitur per vacua. Præterea natura vult, vt corpora possint vndique propagare

er lineam rectam, hoc est breuissimam, uas actiones accidentales, eo pacto, quo ol vndique propagat suam lucem: hæc utem propagatio non posset fieri per acuum, cum accidentia non possint propagari extra subiectum. Et quia etiam acua parua impedirent talem propagaionem, etiam parua vacua excluduntur natura, & quidem repugnantia naturaliter inuincibili, eo pacto, quo repugnantia ad mutuam corporum penetraionem est naturaliter inuincibilis. Si erò quæratur, à qua virtute corpora contra suam naturam moueantur ad vacuum implendum: respondeo, quod licet aliqui censeant, quod mouentur à Deo, vel Angelis, vel à seipsis, certum videtur, quod moueantur ab eo ipso, quod à loco suo dimouet corpus, cui debet aliud succedere ad vacuum impediendũ: e.g. ille idem, qui trahit aerem, eleuat etiam aquam, quæ succedit aeri ad vacuũ impediendũ. Sicut enim cum quis trahit funem, trahit etiam pondus funi alligatum, ita cum quis trahit aerem, trahit aquam aeri adhærentem, ideoque sentit pondus aquę, & quo plus aquæ eleuat, plus sentitur ponderis, ac debet adhiberi maior conatus.

Ad 1. Vacuum est locus actu existens carens corpore, cuius est capax: nullus

autem

autem locus actu existens est spatium imaginarium, vt dictum est quæst. 26. in responsione ad tertium; ergo in spatio imaginario non datur vacuum, cum non detur locus actualis.

Ad 2. Corpora possunt moueri per plenum, eo pacto, quo pisces mouentur per aquam. Sicut enim piscis ita ingreditur in locum aquæ anterioris, vt pellat aquam ab eo loco, ita nos ingredimur in locum aeris, pellendo aerem; sicut verò eodem tempore, quo piscis ingreditur in locum aquæ anterioris, aqua, quæ tangebat piscem à lateribus, & à tergo, succedit in locum piscis, aqua verò expulsa à pisce succedit in locum aeris lateralis, ita contingit, cum res mouentur in aere. Neque est necesse, vt fluctuet totus mundus, sicut cum piscis mouetur in Oceano, non fluctuat totus Oceanus; nam quodam quasi circuitu piscis intrat in locum aquæ anterioris, aqua anterior intrat in locum lateralis, aqua lateralis partim in locum piscis, partim in locum aquæ, quæ est à tergo piscis, hæc verò in locum piscis, & sic absoluitur motus. Addo aerem facillimè condensari, ac rarefieri. Cum igitur quis mouetur, aer anterior loco pulsus ita mouetur, vt etiã aliquantulum condensetur; aer succedens à tergo aliquantulum etiam rarefit,

dus grauissimæ statuæ, vel columnæ. Fac enim intercipiatur tenuissima tela aranei, numquid illa sustinebit pondus statuæ? Immo basis sustineret & telam, & velum, & pondus statuæ. Rursus si statua madefacta superponatur basi, pro aliquo tempore remanet madida; numquid igitur illa aqua intercepta sustinet statuam? Ex hoc verò exemplo aquæ respondetur ad instantiam, qua obijcitur, quia sequeretur, quod manus complanata non tangeremus lignum, & aquam, sed aerem interceptum. Nam idem argumentum potest fieri, cum habemus manum madefactam aqua. Tunc enim proculdubio aqua mediat inter manum, & lignum. Dicendum igitur, quod in istis casibus experimur per modum vnius tenuissimã aquam, vel aerem condensatum, & lignum, vel lapidem, & eius duritiem.

Ad 6. Dum silex scinditur ictu mallei, partes silicis non simul separantur, sed successiuè, & cum aliqua parua flexione, dum aer successiuè ingreditur. Patet autem experientia corpora etiam durissima esse capacia alicuius paruæ flexionis.

Ad 7. Ex experimento fistulæ plenæ argento viuo &c. respondeo hoc experimentum confirmare, quod non datur vacuum. Nam pluribus experientiis euin-

uincitur partem superiorem fistulæ re-
pleri aliquo corpore, quod præsertim
patet ex eo, quod si superior pars fistu-
læ calefiat, corpus illud rarescit, & ar-
gentum viuum aliquantulum descendit
deorsum; si eadem pars fistulæ frigefiat,
corpus illud condensatur, & argentum
ascendit sursum, ne detur vacuum; ra-
refactio autem, aut condensatio non
conueniunt vacuo. sed corpori. Sed
quonam corpore repletur pars illa su-
perior fistulæ? Dico, quod repletur ali-
quibus partibus subtilibus separatis ab
argento viuo, & rarefactis. *Probatur*
experientia. Nam si fistula impleatur
argento viuo non puro, sed admiscendo
aliquid aquæ, & deinde immergatur mo-
do dicto, tum aqua vtpote leuior super-
natabit argento viuo, & occupabit par-
tem supremam fistulæ; aperto foramine,
descendet argentum viuum, & aqua,
& videbuntur quędam corpuscula cer-
tatim per aquam ascendentia, & illam
inflantia quibusdam bullis; ergo hoc ex-
perimentum confirmat repugnantiam
vacui, cum natura mittat sursum sub-
sidium alterius corporis in locum Mer-
curij descendentis, ne detur vacuum.
Videri potest libellus P. Casati de
hoc experimento, cui titulus *Vacuum
proscriptum*, præsertim cap. 9. & 10.
in

QVAESTIO XXIX.

An detur Vacuum.

VIdetur vera esse sententia antiquorum, quod detur vacuum 1. quia extra supremum Cœlum dantur spatia imaginaria corporibus vacua.

2. Si totum spatium esset plenum, corpora moueri non possent, quia non possunt intrare in plenum. Neque dicas, quod corpus cum mouetur, intrat in locum alterius corporis cedentis loco: nam de hoc altero corpore redit difficultas, quia cum per motum cedat loco, intrat in alium locum, & pellit aliud corpus, de quo redit difficultas; ergo cum mouetur vnum corpus, vel datur vacuum, vel totus mundus secundum omnes partes mouetur, & fluctuat, sicut contingit in aqua, cum in illam ingreditur lapis proiectus.

3. Aliquando corpus condensatur, & tunc occupat minus spatium, cum antea occuparet spatium maius; sed hoc esset impossibile, nisi tum implerentur aliqua vacua intercepta: quomodo enim aer, qui occupabat spatium bipalmare, contrahitur ad palmare, nisi repleat quasdam

dam

dam vacuitates? ergo.

4. Dolium tantundem vini capit vna cum vtribus, quantum ſine vtribus: vas tantundem aquæ capit cum cinere, quãtum ſine cinere, quæ non poſſent contingere ſine vacuo.

5. Corpus planum tangit aliud planũ immediatè, ita vt nihil mediet; ſed talis contactus fieri non poteſt ſine vacuo, ſaltem pro paruo tempore; ergo &c. Probatur minor: nam vt vnum planum alteri ſuprapoſitũ tangat illud, debet egredi totus aer interceptus; ſed non poteſt egredi, quin detur vacuum: dum enim aer correſpondens partibus medijs plani egreditur ex lateribus ſucceſſiuè, planum ſuperius manet eleuatum, & non coniungitur alteri plano; ergo in loco aeris egredientis intercipitur aliquod vacuũ.

6. Dum ſilex rumpitur ictu mallei, ſimul ſeparantur partes mediæ, & partes extremæ; ergo in medijs datur vacuum pro aliquo breuiſſimo tempore, antequã aer per motum ſucceſſiuum perueniat ad locum ipſarum.

7. Si fiſtula vitrea vltra duos cubitos longa, in qua ſit vnicum foramen apertum, ex vna extremitate impleatur argento viuo, quod vocatur etiam Hydrargirum, ſeu Mercurius, penitus aere excluſo, & digito ſuprapoſito foramini, ita

vt argentum viuum non possit egredi, fistula inuertatur, & demergatur in alio argento viuo parato in vase, seu catino subiecto, tum digito subducto, aperiatur foramen, ita vt libera sit argento viuo facultas egrediendi, ac descendendi, argentum viuum descendet vsque ad certā mensuram fistulæ: deinde sursum aliquātulum ascendit, & post descendit, & sic aliquantulum fluctuat, ascendendo, ac descendendo, donec tandem quiescat in certa altitudine fistulæ. Posito hoc experimento, superior fistulæ pars remanet vacua aere, qui non potuit permeare per vitrum, vtpote carens poris, vt compertum est pluribus experientijs; remanet etiam vacua quolibet alio corpore; ergo datur vacuum, & quidem satis magnum in rerum natura.

Respondeo cum Aristotele, omnibus Peripateticis, & Philosophis penè omnibus, paucissimis exceptis, pluribus experimentis constare, quod natura refugit vacuum, adeò vt ad illud impediendum in alijs suis legibus dispenset. Primo grauia non descendunt contra legem suæ grauitatis, cum nullum est aliud corpus potens in locum ipsorum subintrare ad vacuum impediendum. Ita si sit fistula ex vtraque parte perforata, & impleatur aqua, & claudatur foramen superius

rius, aqua non descendit, quia non potest aer subintrare in locum aquæ descẽdentis ad vacuum impediendum; si verò aperiatur foramen superius, statim aqua descendit, aere subintrante. Secundo grauia ascendunt contra suam grauitatem ad vacuum impediendum. Patet præsertim in machinis, quæ vulgo vocantur *Trombe*, ex quibus si superiore ex parte aer attrahatur, ascendit aqua etiam ex profundissima cisterna, vt aeri succedens impediat vacuum. Tertio quædam corpora, cum potest aliud corpus succedere in locum illorum, facillimè mouentur; si nullum corpus possit succedere, nulla vi possunt moueri. Patet in fistula, qua inflantur folles lusorij. Si enim claudendo foramen, impediatur aer, ne subintret, bacillus interior poterit aliquantulum trahi, dum rarefactus, aer succedere potest in locum bacilli, sed cum aer iam est rarefactus quantum potest, nulla vi potest amplius trahi bacillus, quia sequeretur vacuum, non potente succedere alio corpore in locum bacilli. Ratio verò, cur natura vsque adeò refugiat vacuum est, quia vacuum tolleret mutuam corporum continuitatem, & coniunctionẽ, quæ partialiter abrumpitur per vacua. Præterea natura vult, vt corpora possint vndique propagare

er lineam rectam, hoc est breuissimam, as actiones accidentales, eo pacto, quo ol vndique propagat suam lucem: hæc utem propagatio non posset fieri per acuum, cum accidentia non possint pro-pagari extra subiectum. Et quia etiam acua parua impedirent talem propaga-tionem, etiam parua vacua excluduntur natura, & quidem repugnantia natu-raliter inuincibili, eo pacto, quo repu-gnantia ad mutuam corporum penetra-tionem est naturaliter inuincibilis. Si erò quæratur, à qua virtute corpora contra suam naturam moueantur ad va-cuum implendum: respondeo, quod licet liqui censeant, quod mouentur à Deo, el Angelis, vel à seipsis, certum vide-ur, quod moueantur ab eo ipso, quod loco suo dimouet corpus, cui debet aliud succedere ad vacuum impediendũ: .g. ille idem, qui trahit aerem, eleuat tiam aquam, quæ succedit aeri ad vacuũ mpediendũ. Sicut enim cum quis trahit unem, trahit etiam pondus funi alliga-tum, ita cum quis trahit aerem, trahit quam aeri adhærentem, ideoque sentit ondus aquę, & quo plus aquæ eleuat, lus sentitur ponderis, ac debet adhibe-i maior conatus.

Ad 1. Vacuum est locus actu existens arens corpore, cuius est capax: nullus

autem

autem locus actu existens est spatium imaginarium, vt dictum est quæst. 26. in responsione ad tertium; ergo in spatio imaginario non datur vacuum, cum non detur locus actualis.

Ad 2. Corpora possunt moueri per plenum, eo pacto, quo pisces mouentur per aquam. Sicut enim piscis ita ingreditur in locum aquæ anterioris, vt pellat aquam ab eo loco, ita nos ingredimur in locum aeris, pellendo aerem; sicut verò eodem tempore, quo piscis ingreditur in locum aquæ anterioris, aqua, quæ tangebat piscem à lateribus, & à tergo, succedit in locum piscis, aqua verò expulsa à pisce succedit in locum aeris lateralis, ita contingit, cum res mouentur in aere. Neque est necesse, vt fluctuet totus mundus, sicut cum piscis mouetur in Oceano, non fluctuat totus Oceanus; nam quodam quasi circuitu piscis intrat in locum aquæ anterioris, aqua anterior intrat in locum lateralis, aqua lateralis partim in locum piscis, partim in locum aquæ, quæ est à tergo piscis, hæc verò in locum piscis, & sic absoluitur motus. Addo aerem facillimè condensari, ac rarefieri. Cum igitur quis mouetur, aer anterior loco pulsus ita mouetur, vt etiã aliquantulum condensetur; aer succedens à tergo aliquantulum etiam rarefit,

& per hanc condensationem, ac rarefactionem citius absoluitur motus.

Ad 3. Respondet acutissimè Aristoteles 4.phys. tex.84 quod sicut corpus per seipsum est in potentia ad hoc, vt sit calidum, vel frigidum, calidius, vel minus calidum, rectum, aut curuum, album, aut nigrum, sic est in potentia ad hoc, vt sit magnum, aut paruum, maius, aut minus, bipalmare, vel palmare; & sicut idem corpus aliquando calore constituitur calidum, aliquando frigore constituitur frigidum, sic idem corpus aliquando magnitudine constituitur magnũ, aliquando paruitate constituitur paruum, aliquando magnitudine bipalmari constituitur bipalmare, aliquando magnitudine palmari constituitur palmare. Præterea sicut quando arcus intenditur, & fit magis curuus, fit magis curuus accipiendo maiorem curuitatem, non autem accipiendo aliquod aliud corpus curuum, sic cum corpus per rarefactioné fit maius, & occupat maius spatium, non accipit nouũ corpus, sed mutat paruitatem in magnitudinem; & cum per condensationem fit minus, & occupat minus spatium, non amittit vllam partem sui, sed mutat magnitudinem in paruitatem: ergo sine vllo vacuo, vel additione corporis potest corpus condensari, & rarefieri per mutatio-

nem

nē magnitudinum, ad quas eſt in potentia, ſicut poteſt caleſieri, vel frigeſieri per mutationem qualitatis. Dum opponitur quià corpus rarefactum euaderet maius ſeipſo, diſtinguo; euaderet maius, retinendo eandem magnitudinem, nego; mutando magnitudinem, concedo. Sicut quando arcus curuatur magis, & magis; ſit curuior ſeipſo, mutans curuitatem minorem in curuitatem maiorem, ſic corpus mutans paruitatem in magnitudinem ſit maius, quam eſſet ante, cum habebat minorem magnitudinem.

Ad 4. Si vera eſt experientia, quod dolium tantundem vini capiat cum vtribus, quantum ſine vtribus, dicendum, quod vinum in vtribus patitur aliquam condenſationem. Similiter ſi vera eſt experientia, quod vas plenum cinere tantundem aquæ capiat, quantum ſi in eo non ſit cinis, dicendum, quod tum cinis, tum aqua cōdenſatur, vt patet experientia. Nā ex aqua cineri admixta reſultat corpus valde denſum, & graue.

Ad 5. Quando vnum planum ſuprapoņitur alteri plano, non tangit illud immediate, itàvt nihil remaneat aeris intercepti. Intercipitur igitur veluti tenuiſſimum velum aeris condenſati à pondere plani ſuprapoſiti. Neque opponas, quod tenuiſſimum velum aeris ſuſtineret pondus

dus grauissimæ statuæ, vel columnæ. Fac enim intercipiatur tenuissima tela aranei, numquid illa sustinebit pondus statuæ? Immo basis sustineret & telam, & velum, & pondus statuæ. Rursus si statua madefacta superponatur basi, pro aliquo tempore remanet madida; numquid igitur illa aqua intercepta sustinet statuam? Ex hoc verò exemplo aquæ respondetur ad instantiam, qua obijcitur, quia sequeretur, quod manus complanata non tangeremus lignum, & aquam, sed aerem interceptum. Nam idem argumentum potest fieri, cum habemus manum madefactam aqua. Tunc enim proculdubio aqua mediat inter manum, & lignum. Dicendum igitur, quod in istis casibus experimur per modum vnius tenuissimā aquam, vel aerem condensatum, & lignum, vel lapidem, & eius duritiem.

Ad 6. Dum silex scinditur ictu mallei, partes silicis non simul separantur, sed successiuè, & cum aliqua parua flexione, dum aer successiuè ingreditur. Patet autem experientia corpora etiam durissima esse capacia alicuius paruæ flexionis.

Ad 7. Ex experimento fistulæ plenæ argento viuo &c. respondeo hoc experimentum confirmare, quod non datur vacuum. Nam pluribus experientiis euin-

uincitur partem superiorem fistulæ repleri aliquo corpore, quod præsertim patet ex eo, quod si superior pars fistulæ calefiat, corpus illud rarescit, & argentum viuum aliquantulum descendit deorsum; si eadem pars fistulæ frigefiat, corpus illud condensatur, & argentum ascendit sursum, ne detur vacuum; rarefactio autem, aut condensatio non conueniunt vacuo. sed corpori. Sed quonam corpore repletur pars illa superior fistulæ? Dico, quod repletur aliquibus partibus subtilibus separatis ab argento viuo, & rarefactis. Probatur experientia. Nam si fistula impleatur argento viuo non puro, sed admiscendo aliquid aquæ, & deinde immergatur modo dicto, tum aqua vtpote leuior supernatabit argento viuo, & occupabit partem supremam fistulæ; aperto foramine, descendet argentum viuum, & aqua, & videbuntur quędam corpuscula certatim per aquam ascendentia, & illam inflantia quibusdam bullis; ergo hoc experimentum confirmat repugnantiam vacui, cum natura mittat sursum subsidium alterius corporis in locum Mercurij descendentis, ne detur vacuum. Videri potest libellus P. Casati de hoc experimento, cui titulus *Vacuum proscriptum*, præsertim cap. 9. & 10.

in

in quo multa examinantur ad illud spectantia.

QVAESTIO XXX.

Vtrum in vacuo daretur motus.

Videtur vera sententia Auerrois, quod in vacuo nõ posset dari motus 1. quià vt Aristoteles arguit tex. 71. lib. 4. eadem est proportio velocitatis motus ad velocitatm motus; quæ est proportio resistentiæ medij ad resistentiam medij: ergo velocitas motus in vacuo non haberet proportionē ad velocitatem motus in pleno; sed si motus fieret in tempore, haberet proportionem, & illam eandem, quam tempus haberet ad tempus; ergo motus in vacuo fieret in instanti, & in non tempore, atque adeò instanti indiuisibili mobile conficeret totum spatium vacuum, quod est contrà essentiam motus, ad quē requiritur, vt prius conficiatur vna pars spatij, quam altera, atque adeò quod fiat in tempore diuisibili, cum in solo tempore diuisibili inueniatur prius, & posterius.

2. Vt Aristoteles arguit tex. 64. in vacuo corpora neque possent moueri motu naturali grauium, & leuium, quià non est

est maior ratio, cur in vnam potius partem, quam aliam: neque motu proiectorum, quià proiecta postquam separata sunt à proijciente, pelluntur à medio; neque motu progressiuo, nam quæ progrediũtur, sustinẽtur ab aliquo corpore, sicut animalia progredientia sustinentur à terra, pisces natantes ab aqua, aues volantes librantur in aere.

3. Grauitas, & leuitas, & aliæ virtutes motiuæ ñaturales sunt solum institutæ ad motum faciendum in casibus naturalibus; sed vacuum non potest dari naturaliter; ergo non posset efficere motum in vacuo.

4. Omnis motus velocior quocunque motu naturaliter possibili est supernaturalis, & miraculosus; sed motus in vacuo vtpote factus sine vlla resistentia medij esset velocior quocunque motu in pleno, qui solus est naturaliter possibilis; ergo motus in vacuo esset supernaturalis.

Respondeo discrepare interpretes Aristotelis. Auerroes enim, & alij putant Aristotelem ex propria sententia docuisse, quod determinata velocitas motus haberi non possit, nisi per ordinem ad resistentiam medij; & quià in vacuo nulla daretur resistentia medij, non posset in vacuo haberi determinata velocitas motus, atque adeò non posset dari motus in vacuo. S. Thomas, & Scotus censent Aristote-

stotelem assumere solum ex sententia Antiquorum, quod tota ratio velocitatis in motu habeatur per ordinem ad resistentiam medij, & ex hoc arguere ad hominem contrà antiquos, ostendẽdo, quod ex eorum principijs sequatur, quod in vacuo non possit motus habere velocitatem determinatam. Cæterum existimant secundum Aristotelem, & secundum veritatem, virtutem motiuam posse ex seipsa, & ex propria limitatione, præscindendo à resistentia medij, determinari ad certam velocitatem motus, eo pacto, quo virtus motiua Cœlorum determinatur ad certam velocitatem motus, etiamsi nullum medium resistat motui corporis cœlestis.

Vtraque sententia videtur probabilis, & est à nobis problematicè defendenda. Dico igitur primo iuxta sententiã S. Thomæ, & Scoti; grauia, & leuia moueri possent in vacuo, dummodo non sequeretur nouum vacuum, & noua corporum discontinuatio, & talis motus fieret in tempore diuisibili, & haberet determinatam velocitatem, quià virtus motiua esset determinata, & limitata ad gradũ certum velocitatis, etiamsi medium nihil resisteret. Dixi *dummodo non sequeretur nouum vacuum, & noua discomtinuatio corporum*; si enim per motum in vacuo deberet mobile discontinuari ex aliqua parte à quo-
cumque

cunque alio corpore, moueri non posset propter repugnantiam vniuersalem vacui. Ex quo colligitur, quod si hoc cubiculum esset vacuum, & pila plumbea tangeret fornicem cubiculi, non posset descendere deorsum, quia si descenderet, discontinuaretur à fornice, & nullum corpus succederet loco fornicis: si verò pila plumbea esset in medio cubiculi vacui, descenderet ad pauimentum ex opposita ratione.

Dico secundo: in vacuo corpora inæqualiter grauia, aut leuia, æquali velocitate mouerentur, atque adeò æquali velocitate descenderet pila plumbea grauissima, ac palea leuissima. Vt probem conclusionem, pono exemplum duorum Cursorum, qui haberent æqualem vim currendi, nisi grauarentur pondere, & haberent inæqualem vim currendi, si grauarentur pondere. Isti si currerent nudi, æquè velociter currerent; si currerent deferentes leue pondus, currerent penè æqualiter, sed robustior aliquantulum anteiret; si currerent grauati armatura ferrea, robustior curreret etiam duplò, vel triplò velocius; & si pondus augeretur, robustior aliquantulum curreret, infirmiori omnino immoto, & inhabili ad cursum. Colligitur ex sensibilibus experientijs, quod hoc pacto se habent in ordine

ordine ad motum corpora inæqualiter grauia, & leuia. Sint enim duæ pilæ eiusdem figuræ, ac magnitudinis, altera plumbea, altera lignea; licet pila plumbea sit plus, quam duplò grauior lignea, tamen in aere descendunt æquali penè velocitate, non autem plumbea descendit duplò velocius, vt docere videtur Aristoteles; in aqua verò non seruant illam proportionem velocitatis, quam habent in aere, sed velocitas pilæ plumbeæ multo magis excedit velocitatem ligneæ, supponendo, quod pila sit ex ligno non supernatante aquæ, eo quod sit grauius in specie, quam aqua. Posita hac experientia, quia aer propter suam subtilitatem, parum resistit motui, corpora valdè inæqualia in grauitate mouentur in aère velocitate penè æquali: quia aqua propter suam crassitiem valdè resistit motui, eadem corpora mouentur in aqua valdè inæqualiter; ergo signum est, quod grauia etiam inæqualia habent æqualem virtutem mouendi se, cum non est impedimentum, sed habent inæqualem virtutem vincendi impedimentum, & ad talem victoriam ordinatur excessus grauitatis; sed in vacuo nullum haberent impedimentum; ergo mouerentur æqualiter.

Dico tertio: probabilis est etiam sententia Auerrois, & fortasè Aristotelis, quod

quod in vacuo dari non posset motus, quia fieret in non tempore, siue in instanti indiuisibili.

Probatur inductione. Videmus enim, quod omnes causæ, quæ operantur sine obsistentia contrarij, in instanti producunt totum suum effectum, quem habent pro fine; & è conuerso illæ tantum causæ, quæ operantur cum obsistentia contrarij, producunt suos effectus paulatim, & in tempore, nec statim consequuntur suum finem: e. g. ignis statim producit in cubiculo totam lucem, quam potest in illo producere, quia lucem producit sine obsistentia contrarij, cum lux careat contrario; idem ignis non statim, sed paulatim, & successiuè producit calorem in eodem cubiculo, quia productioni caloris resistit frigus contrarium; sed graue positum in vacuo haberet pro fine peruenire ad centrum, & nullum esset medium resistens, nè statim perueniret; ergo statim perueniret ad centrum, & moueretur in non tempore. Neque dicas, quod motus habet successionem ex ipsa diuisibilitate spatij, per quod fertur mobile. Nam ideò habet successionem à spatij diuisibilitate, quia spatium diuidendum, & scindendum resistit motui; sed solum spatium plenum resistit motui; ergo solum spatium plenum causat succes-

cessio-

cessionem motus. Ad exemplum Cœli, quod mouetur in tempore, licet medium non resistat; respondeo corpus cœleste nō habere pro fine quietem, sed motum, per quem modo secundum partes sit in vna parte spatij, modo in alia; ergo cum habeat pro fine motum, non est mirum, si moueatur, etiam medio non resistente; at grauia, & leuia, & quæcumque mouentur motu recto habent pro fine quietem in aliquo termino; ergo cum medium non resistit, statim consequentur suum finem, & peruenient ad terminum, atque in eo quiescent. Fateor tamen exemplum Cœli, & Angelorum, qui mouentur successiuè, licet medium non resistat, reddere valde probabilem sententiam S. Thomę, & communem. Sed potest responderi, quod Angeli cum non mouentur per accidens simul cum aliquo corpore, cui assistunt, non possunt moueri successiuè, vt plures auctores docent.

Ad 1. Iuxta principia sententię, quod in vacuo daretur motus, non est eadem proportio velocitatis ad velocitatē eiusdem mobilis, quę resistentię ad resistentiam, cum non non tota determinatio velocitatis habeatur à resistentia, sed etiam à limitatione virtutis motiuę. Solum igitur est eadem proportio retardationis

tionis velocitatis debitę mobili ad velocitatem, quæ resistentię ad resistentiam. E.g. pilæ plumbeę debetur velocitas vt sex: aer retardat istam velocitatem, & imminuit ex ea vnum gradum: si aqua resistat duplò plus, quam aer, retardabit duplò plus, & imminuet duos gradus, atque adeò pila plumbea in aere descendet velocitate vt quinque, in aqua velocitate vt quatuor, in medio resistente duplo plus, quam aqua, velocitate vt duo; in medio resistente triplo plus, quam aqua, non poterit omninò moueri, quia si aqua tollit duos ex sex gradibus velocitatis, medium triplò resistentius tollet sex, atque adeò omninò motum impediet; in vacuo idem mobile mouebitur velocitate vt sex, quia nihil ex illa imminuetur; in medio resistente centuplò minus, quam aer, tolletur centesima pars vnius gradus velocitatis; & sic proportionaliter procedendo; ergo in vacuo mobile habebit determinationem velocitatis, in pleno semper mouebitur minus, quam in vacuo, seruata debita proportione.

Ad 2. In vacuo interminato non esset maior ratio, cur corpora mouerentur in vnam potius partem, quam in aliam; in vacuo terminato maior ratio esset distātia à circumferentia, & à medio. Quia enim

enim grauia non ęquè distarent ab omnibus punctis circumferentię, mouerentur ad medium, leuia mouerentur ad partem propinquiorem circumferentię. Quoad motum proiectorum, supposita sentèntia antiquorum, & fortasse Aristotelis, quod proiecta separata à proijciente pellantur à medio, non possent moueri in vacuo. Si verò mouentur à virtute impressa proiectis, vt indicat Aristoteles, & docent communiter Recentiores, adhuc non possent proijci à corporeo proijciente, quia non possent diuelli ab ipso; e.g. sagitta non posset diuelli ab arcu, pila non posset diuelli à bombarda sine nouo vacuo; possent tamen fortasse proijci ab Angelo. Concedo, quod in vacuo neque posset dari progressus corporum, neqne volatus, neque natatus ex rationibus allatis. Addo, quod si cubiculum esset vacuum, & aliquis haberet pedes super pauimentum, non posset illos eleuare, quia sequeretur nouum vacuum, neque posset repere, non eleuando pedes, quia pars pauimenti remaneret disconti-nuata à quolibet corpore. Posset moue re brachia, sed si manus tangeret pectus, vel aliam partem corporis, non posset illam amplius seiungere à tali parte, quia sequeretur nouum vacuum.

Ad 3. Licet grauitas sit instituta ad motum

motum faciēdum in casu naturali, tamen quià eadem esset sufficiens ad efficiendum motum in vacuo, posset efficere etiam motum in vacuo.

Ad 4. Nego, quod motus in vacuo esset velocior quocunque motu naturaliter possibili. Existimo enim, quod pila explosa à bombarda moueatur velocius, quam grauia mouerentur in vacuo.

QVAESTIO XXXI.

Vtrum tèmpus sit, & benè definiatur numerus motus secundum prius, & posterius.

PRimo videtur tempus non esse, aut vix esse, sed vel esse nihil, vel penè nihil, ideoque vix percipi posse 1. quia impossibile est aliquid esse, quod constat ex ijs, quæ non sunt; sed totum tempus infinitum, atque perpetuum constat ex præteritis, quæ non sunt amplius, & ex futuris, quæ non sunt adhuc; ergo tempus non est.

2. Vel tempus est motus primæ sphæræ, seu Cœli supremi, vt dixerunt quidam ex antiquis, vel est ipsa sphæra suprema; non potest esse motus, seu circu-

latio ſphæræ ſupremæ, quià ſi plures eſſent Cœli, eſſent plures motus, & tamen non eſſent plura tempora; nec poteſt eſſe ipſa ſphæra ſuprema, vt alij ex antiquis cenſuerunt, quia partes ſphæræ ſupremæ ſimul ſunt, partes temporis non ſimul ſunt.

3. Si dicatur cum Ariſtotele, quod tempus eſt *numerus motus ſecundum prius, & poſterius*, primo hæc definitio eſt obſcuriſſima. Secundo numerus motus ſecundum prius, & poſterius nihil aliud tandem eſt, quã numerus partium priorũ, ac poſteriorum in motu; ſed numerus partium priorum, ac poſteriorum in motu non diſtinguitur à motu; ergo tempus nõ diſtinguitur à motu, quod eſt falſum, & contrà Ariſtotelem. Tertio etiamſi vniuerſa quieſcerent, ac nullus daretur motus, adhuc daretur tẽpus, & poſſet dici, quanto tempore res quieſcerent; ergo tempus poteſt dari ſine motu, adeoq; non eſt numerus motus. Quarto vel tempus eſt numerus cuiuſcunque motus, vel eſt numerus ſolius motus primi mobilis, ſeu ſupremæ ſphœræ; ſi eſt numerus cuiuſcumque motus; ergo tot ſunt tempora, quot motus. Si eſt numerus motus primi mobilis; ergo ſi primum mobile quieſceret, & moueretur rota figuli, non daretur tempus, quod eſt falſum:
nam

nam verè rota figuli moueretur in tempore, & posset dici, quanto tempore fuisset mora.

4. Si tempus non est motus, sed aliquid consequens ad motum, seu mutationem, vel est aliquid consequens ad mutationem, quæ datur extrà animam, vel est aliquid consequens mutationem, quæ datur in anima, & intellectu nostro. Non potest dici, quod sit aliquid consequens ad mutationem, quæ datur extra animam. Cum enim quis manet in tenebris, & non cognoscit vllam mutationem exteriorem, sed solum aduertit in se mutationem, & successionē cogitationum, adhuc percipit fluxum temporis. Neque potest dici, quod sit aliquid consequens mutationem cogitationum factam in intellectu, & in anima, alioquin nemine cogitante, non daretur tempus, nec temporis fluxus, quod est absurdum.

5. Si tempus est numerus motus, non potest explicari, quid sit esse in tempore, vel in numero motus; vtrum ea solum, quæ mouentur, sint in tempore, an etiam quæ quiescunt; vtrum sola corpora sint in tempore, an etiam substantiæ spirituales, nimirum Deus, & Angeli sint in tempore.

6. Neque potest explicari, quo pacto tempus sit causa generationis, & corru-

ptionis rerum, ex quo ortum habuit fabula, quod Saturnus, græcè Chronos, quod significat tempus, filios, quos generabat, comederet; quod Iouem, hoc est Cœlum à Saturno generatum, quià productum in tempore, deuorare non potuerit, quià Cœlum vtpote incorruptibile non consumitur à tempore; quod Iupiter Saturnum ferreis vinculis ligauerit, quià tempus, seu numerus motus cœlestis alligatus est Cœlo, & quod Iupiter, alligato Saturno, tres eiusdem filios, Iunonem, hoc est aerem, Neptunum, hoc est aquam, Plutonem, hoc est terram seruauerit, nè à Saturno consumerentur; Cœlum namque conseruat tria hæc elementa, aquam, aerem, ac terram, ne totaliter consumantur à tempore, ex quibus deinde alia corpora per mixtionem generantur.

Respondeo, ac dico primo ex confessione Aristotelis, SS. Augustini, ac Thomę, tempus esse difficillimum intellectu: vnde S. Augustinus lib. 11. confessionum cap. 14 dicit *Qud est ergo tempus? Si nemo ex me quærat, scio, si quærenti explicare velim, nescio.* Et S. Thomas tract. primo de tempore addit difficultatem intelligendi tempus non solum oriri ex defectu virtutis intellectiuæ in nobis, sed etiam ex defectu intelligibilitatis in ipso tempore. Nam quæ minimam habent entitatem, mini-

minimam habent intelligibilitatem; sed materia prima, quæ secundum se non est actu, & tempus, & alia successiua, quæ non possunt existere actu secundum se tota, sed solum secundum aliquid indiuisibile sui, nimirum secundum præsens, seu nunc, minimam habent entitatem; ergo minimam habent intelligibilitatem, ac proinde difficillimè intelliguntur.

Secundo dico cum Aristotele, & S. Augustino, quod tempus non potest esse sine motu, & sine aliqua mutatione. Vt enim ait S. Augustinus cap. 14. lib. 11. cõfessionum post verba citata; *Fidenter tamen dico scire me, quod si nihil præteriret, non esset præteritum tempus: si nihil adueniret, non esset futurum tempus; & si nihil esset, non esset præsens tempus.* Tempus igitur includit mutationem, quà aliquid, quod non erat præteritum, euadat præteritum, aliquid, quod erat futurum, adueniat, & fiat præsens, & aliquid, quod erat prçsens, desinat esse prçsens, & euadat præteritum.

Tertio dico cum ijsdem: tempus non potest esse motus localis, neque motus alterationis, & sic de cæteris motibus. Probatur ex ratione Aristotelis, & S. Augustini, quià omnes isti motus mensurantur, ac durant tempore; ergo distinguuntur à tempore, quo mensurantur,

 & du-

& durant; e.g. motus, quo sol absoluit suam circulationem, & ab oriente redit ad orientem, de facto durat spatio vigintiquatuor horarum; posset tamen eandem circulationem perficere per motum duplò velociorem, qui proinde duraret solum spatio duodecim horarum; ergo aliud est motus, aliud est tempus, quo durat motus. De hoc tempore, quo mensuratur etiam motus primi mobilis, quærimus quid sit. In idem recidit ratio Aristotelis, quod motus est velox, vel tardus; dicitur autem tardus ex eo, quod multo tempore parum transit spatij; dicitur velox ex eo, quod paruo tempore multum transit spatij; ergo tempus, quo mensuratur tarditas, aut velocitas motus, quod tempus non est tardum, neque velox, sed longum, aut breue, distinguitur à motu.

Quarto dico cum Aristotele: tempus est numerus motus secundum prius, & posterius. Sensus est; numerus partium contradistinctarum priorum, ac posteriorum numerabilium in motu per numerationem intuitiuam.

Pro explicatione suppono tanquā per se notum intellectum finitum finito tempore non numerare successiuè nisi finitū, ac determinatum numerum; e.g. meus intellectus dicendo successiuè intra se, vnum,

vnum, duo, tria &c. ſpatio vnius horæ, etiamſi adhibeat totum conatum, non poterit nnmerare niſi millionem e.g: at verò non poterit etiam ſummo conatu eodem temporis ſpatio numerare numerum maiorem, e.g. centum millionum. Idem dic proportionaliter de quocunque alio intellectu. Perfectior enim ęquali tempore poterit numerare maiorem numerum, quam imperfectior, ſed tamen finitum, ac determinatum. Et confirmari poteſt exemplo virtutis motiuę finitę. Nam poteſt certo tempore percurrere ſolum ſpatium, ſeu quantitatem continuam, finitam, & certam; ergo intellectus finitus finito tempore poteſt ſolum percurrere numerum, ſeu quantitatem diſcretam finitam, & certam.

Hoc poſito, dico, quod tempus nihil eſt aliud, quam numerus partium motus, quę dum tranſeunt, poſſunt numerari ſucceſſiuè, & intuitiuè ab aliquo intellectu numerante quantum poteſt, vel abſolutè, vel cum certo conatu; e.g. tempus, quo durat vna circulatio Solis, eſt numerus partium motus, quę poſſunt numerari ab Intelligentia motrice dicente *vnum, duo* &c. ſeu numeret conatu ſummo, ſeu numeret conatu certo, ac determinato.

Hinc patet, quid ſit motus velocior,

aut tardior. Motus velocior est, in quo dum transit spatium æquale, numerabiles sunt pauciores partes. Motus tardior est, in quo dum transit spatium æquale, numerabiles sunt plures partes. Ita motus duplò tardior est, in quo cum pertranseat spatium æquale, numerabiles sũt duplò plures partes, quàm in alio motu transeunte spatium æquale, ac proinde duplo velociori; e. g. sint duo mobilia, & vtrumque conficiat vnum milliare, sed vnum duplò velocius, quàm aliud: in motu duplò tardiori numerabiles erunt ab aliquo intellectu centum milliones partium, in motu duplò velociori solùm quinquaginta milliones; tempus igitur motus duplò velocioris est duplò minus, quia continet duplò minorem numerum partium numerabilium; tempus motus duplò tardioris est duplò maius, quia continet duplò maiorem numerum partium numerabilium.

Patet secundo, quid sit momentum. Momentum dicitur à motu, & ex vocis etymologia significat paruum motum. Momentum igitur est minima pars motus, quę potest sumi ab aliquo intellectu intuitiuè numerante summo conatu, ac dicente *vnum, duo* &c. Quare idem est dicere, quod tempus est numerus motus, ac quod sit numerus momentorum sibi inuicem

cem succedentium, ita vt nullus alteri coexistat, sed vnum momentum sit prius, aliud posterius. Et quia intellectus perfectior potest velocius numerare, quam imperfectior, ideò potest sumere partes minores temporis, ac motus, dicendo, *vnum, duo* &c. Ideò momenta respectu intellectus perfectioris sunt minora, quàm respectu imperfectioris, & etiam in eodē motu plura momenta numerantur intuitiuè ab intellectu perfecto, quàm ab imperfecto, & supremus Angelus plura momenta numerat in motu primi mobilis, quàm numerent omnes Angeli inferiores.

Patet tertio, quænam sit prima mensura temporis. Mensura nihil est aliud, quam quantitas minor, & notior, quæ finities sumpta adæquat maiorem, ac ducit in cognitionem ipsius. Ita longitudines mensurari solent palmo, dicendo, quod est longitudo centum palmorum. Palmus enim est quantitas minor, & notior, quę centies sumpta adęquat magnitudinem centipalmarem. Notat Aristoteles, quod vnumquodque mensuratur per aliquid eiusdem generis: e.g. tempus mensuratur tempore, eo pacto, quo dies mensuratur horis, ac dicitur esse spatium vigintiquatuor horarum; annus mensuratur die; longitudo mensuratur longitu-

dine; numerus vnitate; centenarius enim numerus est vnitas centies sumpta. Addit Aristoteles, quod in vnoquoque genere dari debet aliqua prima mensura, quę non mensuretur alia mensura, sed innotescat per seipsam. Talis autem mensura est minimum talis generis, quod vel est indiuisibile secũdum se, vel quoad cognitionem sensitiuam, vel intuitiuam nostram, eo quod sumere non possimus aliquid minus illo. Et quidem numeri, seu quantitates discretę primo mensurantur vnitate, quę est indiuisibilis secundũ se. Quantitates continuę vtpotè diuisibiles in infinitum non mensurantur aliquo secundum se minimo, & indiuisibili, sed solum aliquo minimo quoad nos, qui non possumus sumere intuitiuè aliquid minus. Prima igitur mensura temporis est momentum. Nam momentum est minima pars, quam possumus sumere numerando, ac dicendo *vnum, duo* &c. Per momenta mensuramus lõgitudinem temporis, ac illud dicimus longum, in quo numeramus multa momenta, illud breue, in quo pauca. Tempus somni videtur nullum, quia nulla in eo numeramus momenta: tempus verò doloris solet videri longissimum, quia obiectum doloriferum vtpote vehementissimum cogit nos ad numeranda plurima momẽ-

ta.

ta. Ex eadem etiam ratione tempus otij, ac tędij videtur longum, quia qui nihil aliud agit, computat momenta temporis. E conuerso tempus gaudij, ac negocij videtur breue, quia qui fruitur obiecto iucundo, abripitur ab illo, ita vt nihil aliud cogitet, adeòque non numerat momenta temporis; quod valet etiam de eo, qui valdè est occupatus negotijs.

Ad 1. Distinguo maiorem: impossibile est aliquid esse, quod constat ex ijs, quæ non sunt simul, sed sunt successiuè, nego; quod constat ex ijs, quę neque sunt simul, neque successiuè, concedo; distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Tempus est ens successiuum, ac proinde constat ex partibus, quę non sunt simul, sed successiuè, vt Aristoteles docet 9 Metaph. & S. Thomas tract. primo de Tempore.

Ad 2. Concedo, quod tempus non est motus, neque est sphęra cœlestis, sed est aliquid consequens motum, vt explicatum est.

Ad 3. Optima est definitio temporis, quà dicitur esse *numerus motus secundum prius, & posterius*. Dum opponitur obscuritas, respondeo ex doctrina tradita quæstione 25. de motu, definitionem esse claram, quia explicat, & declarat naturam temporis, licet difficilè formetur, in

uantum conceptus clari, ac definitiui lifficilè, & à paucis formantur, sicut pauci clarè cognoscunt naturam rerum, præsertim valdè obscurarum, cuiusmodi est natura temporis.

Dum opponitur secundo, quia numerus partium priorum, ac posteriorum in motu non distinguitur ab ipso motu; sed tempus est talis numerus; ergo tempus non distinguitur à motu. Respondeo negando maiorem. Puto enim eumdem numero motum posse esse velociorem, & minus durare, vel tardiorem, & plus durare; sed si sit velocior, erunt in eo numerabilia pauciora momenta, si tardius, plura; ergo in motu numerus momentorum, per quod constituitur tempus, & duratio motus, distinguitur à motu, vt explicabitur etiam quæstione sequenti.

Dum opponitur tertio, quia si vniuersa quiescerent, adhuc daretur tempus; ergo tempus non est numerus motus: respondeo ex doctrina S. Augustini supra citati, quod si ita vniuersa quiescerent, vel quasi quiescerent, vt nihil præteriret, nihil adueniret, non esset tempus, quod includit præteritionem præteriti, & aduentum futuri, sed esset semper stans, & immobiliter fixa præsentia æternitatis. Ideò, quia ante creationem mundi erat solus Deus, in quo nihil præterit, nihil aduc-

aduenit,non erat tempus fluens,ſed æternitas ſtans; ergo tempus eſt numerus mutationum, ſecundum prius, & poſterius.

Dum opponitur quarto, ac quęritur, verum tempus ſit numerus cuiuſcumque motus, vel ſolum ſit numerus motus primi mobilis: reſpondeo tempus eſſe numerum motus, quo menſurantur omnes motus, tamquam prima, & certiſſima menſura ex natura rei; & quia omnes alij motus menſurantur motu primi mobilis, ideò propriè tempus eſt numerus motus, quo mouetur primum mobile.

Explicatur: nam in vnoquoque genere primum eſt menſura cæterorum;ſed primus omnium motuum eſt motus primi mobilis, à quo pendent alij motus tum cœleſtes, tum inferiores; ergo motus primi mobilis eſt menſura omnium aliorum motuum, præſertim cum habeat omnes conditiones menſuræ. Menſura enim omnium motuum debet eſſe aliquis motus vnus, ac ſimplex, continuus, indeficiens, & perpetuus, notiſſimus omnibus gentibus, & vniformis; ſed motus primi mobilis vtpote circularis eſt vnus, ac ſimplex; ſicut enim nulla linea eſt magis vna, ac ſimplex, quam circularis, cum neque componatur ex principio, fine, & medio,ſicut recta, & eodem modo ſecundum omnes partes ſe habeat ad cētrum,

ſic

sic nullus motus est simplicior circulari. Motus etiã primi mobilis est indeficiens, continuus, ac perpetuus, cùm motus recti vtpote terminati sint finiti, ac non perpetui. Præterea motus cœli est notissimus omnibus gentibus, & maximè vniformis, cum primum mobile eadem semper velocitate moueatur; ergo motus cœli habet omnes conditiones mensuræ. Ex alia parte dictæ conditiones non conueniunt vlli alteri motui. Nam motus recti, ad quos etiam reducuntur aliquo pacto alteratio &c. sunt terminati, atque adeò habent principium, & finem, & sic non habent tantam vnitatem, ac simplicitatem, quantam motus circularis; & eo ipso, quod habent principium, & finem non sunt perpetui: nec idem motus rectus potest esse notus omnibus gentibus. Demum non sunt vniformes. Nam motus recti naturales sunt velociores in fine, quàm in principio; motus recti violenti sunt velociores in principio, quàm in fine; ergo solus motus primi mobilis est mensura omnium motuum. Ideò omnes gentes mensurant motus, ac durationes per horas, dies, annos, & sæcula. Dies autem est vna circulatio primi mobilis; hora est vigesimaquarta pars circulationis &c. Si igitur cœlum quiesceret, non daretur propriè tempus, hoc
est

est numerus motus ex natura sua mensurantis omnes alios motus, sed daretur tempus minus propriè, hoc est numerus motus non habentis ex natura sua rationem primæ mensuræ. Tempus proprium est vnicum, & est numerus mensurans intrinsecè motum cœlestem, & mensurans extrinsecè cæteros motus. Tempus improprium, ac mensurans intrinsecè vnũquemque motum est multiplex. Nam motus lapidis descendentis mensuratur intrinsecè momentis in ipso numerabilibus: atque idem dic de cæteris motibus.

Ad 4. In quo quæritur, verum tempus sit numerus motus existentis in anima, vel extrà animam, dico, quòd tempus proprium, & ex natura rei habens rationem primæ mensuræ est numerus motus cœlestis existentis extrà animam: mutationes autem existentes in anima habent hunc numerum, seu tempus intrinsecum, quod propriè non est tempus. Hoc tempus intrinsecum immediatè numeramus, dum non aduertimus immediatè mutationes exteriores; & quia mutationes interiores animæ causantur aliquo pacto à motu Cœli, ideò tunc numeramus etiam motum cœli, tamquam effectum in sua causa: sicut quando aliquis pungitur ab aliquo exteriori, dum numerat id, quod patitur intrinsecè in tactu,

ctu, numerat etiam consequenter causam extrinsecam.

Ad 5. Sicut esse in loco propriè non est tantùm habere pręsentiam ad locum, sed etiam est mensurari à loco, cum quadam dependentia à corpore locante, in quo sensu corpora sunt in Cœlo tamquã in loco; sic esse propriè in tempore non est solum habere pręsentiam ad tempus, sed est mensurari tempore, cum quadam dependentia à primo motu; & quia sola corpora corruptibilia dependent à motu cœli, ideò propriè sola corpora corruptibilia sunt in tempore, & absolutè dicũtur temporalia, quia transeunt cum transitu temporis. Deus propriè non est in tempore, sed est præsens tempori per suã infinitam, & semper manentem, ac fixam ęternitatem. Definitur autem ęternitas à Boetio *interminabilis vitæ, tota simul, & perfecta possessio*, quia nimirum in esse diuino non est numerus priorum, ac posteriorum, pręterountium, & aduenientiũ, ac fluentium, sed est vnitas semper manens, cui nihil aduenit, ex qua nihil pręterit, ideòque in esse Diuino penitus immobili non est pręteritum, vel futurum; sed infinitum pręsens, tempora verò prętereunt, & adueniunt extrà Deum circa Diuinam semper manentem æternitatem, eo pacto, quo dum circulus mouetur, omnes

omnes lineæ ductę à centro ad circumferentiam, mouentur extrà centrum, & circà centrum fixum, & immobile. Angeli, & corpora incorruptibilia propriè non sunt in tempore, sed in æuo, & non sunt temporalia, sed æuiterna, quia non dependent in sua duratione à motu cœlesti, neque patiuntur aliquid, quo senescant, & veterascant, & properent ad interitum. Est autem æuiternum quod durat per durationem independētem à motu cœlesti, ac proinde non senescit, neq; veterascit. Aeuum est duratio independens à motu cœlesti, ac proinde non inducens inueterationem, vel senectutem.

Ad 6. Tempus est causa generationis, & corruptionis, non per se, sed solum per accidens: e.g. tempus dicitur causa, vt nascatur frumentum, non quia tempus producat frumentum, sed quia Sol, terra, semen, & aliæ causæ producunt frumentum in tempore; dicitur etiam causa mortis, non quia tempus causet mortem, sed quia morbi, vel aliæ causæ contrariæ corrumpunt calorem vitalem, & humidum radicale, & sic causant mortem, & corruptionem in tempore. Notat Aristoteles, quod potius tempus dicitur causa corruptionis, quàm generationis, quia causa corruptionis solet esse immanifesta. E. g. quando res veterascunt, ac sene-

senescunt, non apparet manifesta causa talis senescentiæ, ideoque tribuitur tempori, licet inueteratio non procedat à tempore, sed ab aliqua causa insensibili paulatim in tempore destruente.

QVAESTIO XXXII.

Vtrum creaturæ durent per durationem intrinsecam distinctam à durante, & tempore extrinseco.

VIdetur vera sententia Suarij disp. 50. met. sect. 2. Vasquez prima. parte disp. 33 cap. 3 & aliorum, allegantium Scotum, Gabrielem, Gregorium, OKamum, & Nominales, quod duratio non sit aliquid positiuum intrinsecum rei durãti, & ab ipsa distinctũ 1. quia si res permanẽtes, e.g. homo, Angelus &c. durarẽt per durationem distinctã, daretur in rebus perpetuus fluxus durationum: e.g. sicut perpetuò fluunt dies, horæ, anni, momenta &c. sic in Angelo perpetuò fluerent durationes intrinsecæ, horariæ, diurnę, annuæ, & momentaneæ; est autem absurdum, quod detur in rebus pręsertim permanentibus perpetuus fixus durationum

num; eo enim ipso non haberent esse fixum, & stabile, sed fluidum, ac successiuum.

2. Etiam entia successiua, e.g. motus durare deberent per durationem distinctam & quia ipsa duratio est ens successiuum, durare deberet per aliam distinctam durationem, & sic procederetur in infinitum.

3. Sequeretur, quod duratio esset essentialiter inconseruabilis. Illud enim per quod res existit nunc, non potest esse post; sed duratio est id, per quod res existit nunc; ergo nè per diuinam quidem potentiam potest conseruari.

4. Etiam negationes sunt indifferentes ad durandum magis, aut minus: e.g negatio mundi fuit ab æterno, & potuisset durare magis, aut minus; ergo etiam negationes durant per durationem distinctam, quod videtur absurdum.

5. Non potest explicari, vtrum duratio distinguatur ab existentia, vel non; vtrum distinguatur ab actione conseruatiua rei; vtrum sit substantia, vel accidens; modus, vel res; ens relatiuũ, hoc est essentialiter affixum tempori extrinseco, vel absolutum, & potens esse sine tempore extrinseco; vtrum creatura possit poni spoliata quacunque duratione; vtrum possit dari duratio creata indiuisibilis, ac

parti-

artibus carens, e.g. duratio horaria, in qua nullæ dentur partes &c; ergo duratio distincta à re durante non debet admitti.

Respondeo cum S. Bonauentura in secũdo; Conimbricensibus hic cap 14. q. 3. & 4 Ruuio quęst. 4. Arriaga, Cardinali de Lugo de Incarnatione quęst. 29 sect. 1 & recentioribus communiter; Creaturas durare per durationem distinctam perpetuo fluentem per momenta priora, ac posteriora, proportionaliter ad tempus extrinsecum. Probatur, quià quod secundum se est indifferens ad magis, aut minus durandum, & ad existendum hoc potius tempore, quam alio, constituitur durans, atque existens hoc tempore determinato per aliquid distinctum ipsi superadditum; sed mundus e.g. est indifferens ad durandum magis, vel minus: si enim productus fuisset mille annis antequam productus fuerit de facto, durasset plus, si productus fuisset ante vnicum annum, durasset minus: est etiam indifferens ad existendũ vno potius tempore, quam alio; ergo mundus durat per durationem superadditam. Idem dic de Angelis, de hominibus, & alijs entibus; quæ sunt in mundo.

Confirmatur, quia cum hoc, quod est durare, aut viuere centum annis addat viuenti magnam perfectionem, qua careret, si duraret, & viueret vnico momen-

to;

:o, talis duratio debet esse perfectio, & ıctualitas positiua intrinseca rei duranti, ıc proinde non potest formaliter consi- lere vel in mera negatione, vel in aliquo lecreto extrinseco Dei, vel in tempore :xtrinseco, quia possem esse ego, & pos- ent fluere centum anni temporis extrin- eci, quin ego durarem, & viuerem cen- um annis; ergo hoc, quod est durare centum annis, adderet supra meam exi- tentiam, qua durarem vnico momento, ıc suprà fluxum centum annorũ aliquid ntrinsecum mihi, quod flueret propor- ionaliter cum tempore extrinseco; & quidem id, quod addit esset positiuum, & nihi intrinsecum, vtpotè, maximè per- ficiens me.

Debet aduerti, quod hic non sumimus durationem strictè, in quantum significat permanentiam, & continuationem essen- di, quę supponat primum esse, in quo sen- su primum esse non est duratio; sed sumi mus durationem latę, in quantum signi- ficat id, quo res existit in aliquo instanti, seu tempore, primo, vel non primo, in quo sensu etiam id, quo res ponitur in primo instanti, vocatur duratio.

Ad 1. Concedo, quod in substantijs crea tis detur perpetuus fluxus durationum, dum nimirum priori durationi succedit posterior incompossibilis cum priori. In

solo

solo Deo nihil fluit, quià per suã semper præsentem, & infinitam æternitatem semper est, cum nihil ex illa præterierit, vel possit præterire, nihil aduenerit, vel possit aduenire. Ideò in Deo non est differentia futuri, & præteriti, sed est solum infinitum præsens. Dum infertur, quod Creaturæ essent entia fluida, & non stabilia, neque fixa; distinguo, sunt entia fluida secundum durationem, concedo; secundum essentiam, & existentiam; nego. Ego permaneo semper idem secundum meam essentiam, & existentiam, licet sim sub perpetuo fluxu, & mutatione durationum sibi inuicem succedentium; eo pacto, quo mobile, dum mouetur, est semper idem sub perpetuo fluxu motus, in quo motu vna pars succedit alteri.

Ad 2. Probabile mihi est, quod licet motus sit ens successiuum, eo quod nulla pars motus possit alteri coexistere, adhuc durat per durationem superadditam. Ratio est, quia videtur, quod possit idem motus esse velocior, aut tardior; sed si esset velocior, duraret minus, si tardior, duraret plus; ergo idem motus potest durare plus, aut minus; ergo durat per durationem distinctam. Ideò tempus distinguitur à motu, sicut modus à re. Dum opponitur; ergo etiam duratio durat per dura-

urationem distinctam, & proceditur in
ıfinitum, nego consequentiam. Est enim
bsurdum, quod ipsa hora duret plus, vel
ıinus, quod semihora duret per horam,
nnus duret centum annis, cum hæc sint
ısa duratio; eo pacto, quod licet idem
orpus possit fieri maius, aut minus, mu-
ındo magnitudinem, tamen magnitudo
almaris non potest fieri bipalmaris, vel
emipalmaris Rursus duratio, qua res est
unc, non potest esse alio tempore, ex
adem ratione, ex qua albedo non potest
eri nigra, quadratura non potest fieri
otunda, vt dictum quæst. 28. cum proba-
ım est vbicationem esse irreplicabilem.

Ad 3. Concedo, quod duratio sit essen-
ialiter inconseruabilis ex eadem ratione,
x qua vbicatio est essentialiter intrans-
eribilis, rotunditas est essentialiter in-
uadrabilis. Nam si duratio conseruare-
ur, ipsum nũc poneretur post, quod esset,
icut si rotunditas fierit quadrata, albedo
ıigrà.

Ad 4. Ex eo, quod negationes dura-
ent per durationem distinctam; respon-
leo hoc argumentum non valere contra
neam sententiam, qui dixi negationes
emper identificari cum aliquo positiuo.
Contraria sententia etiam ex hoc capi-
e est difficilis, quia sequitur ex illa,
uod dentur infinitæ negationes, contra
quas

quas valent argumenta inferius adducenda contra infinitum actu. Sequitur etiam, quod negatio mundi fuerit ab æterno, & durauerit per infinitum fluxum durationum, contra quod valent argumenta adducenda contra æternitatem mundi.

Ad 5. Duratio distinguitur ab existentia præsertim substantiali, licet aliqui oppositum doceant. Ratio est, quia substantia ex suo conceptu est primum subiectum actuale permanens; ergo constituitur per existentiam, atque actum permanentem, atque adeò actus, & existentia substantialis distinguitur à duratione perpetuò fluente. Confirmatur, quia sicut cum mobile mouetur, manet idem mobile actuale, ac suscipit in se motum fluentem; ità cum ego duro, ac transeo ex vna duratione in aliam, remaneo idẽ ens actuale, atque adeò cum eadem existentia, ac intrinsecè recipio durationem fluentem. Idem videtur dicendum de accidentibus permanentibus, e.g. de calore. Hinc patet ad aliud quæsitum, vtrum duratio substantiæ sit substantia, vel accidens. Dico, quod est accidens, cum sit contra rationem rei substantialis, quod permanere non possit, sed perpetuò fluat; vnde motus euidenter est accidens, quia perpetuò fluit. Probabile

etiam

etiam mihi eſt contra Arriagam,& quoſdam alios Recentiores, quod duratio diſtinguatur ab actione conſeruatiua,e.g. quod duratio mea diſtinguatur ab actione, qua ego conſeruor. Ratio eſt, quia poſſunt res accipere eandem durationem à diuerſis agentibus, e.g. poteſt lux, quæ conſeruatur in aere à Sole,cũ eadẽ duratione poteſt conſeruari à ſolo Deo;ergo duratio pendet ab agente per actionem diſtinctam.

Dum opponitur: eo ipſo,quod res intelligitur conſeruari, intelligitur durare; ergo duratio non addit aliquid ſupra conſeruationem: diſtinguo antecedens, intelligitur durare formaliter, nego; intelligitur durare radicaliter, concedo;& nego conſequentiam. Sicut eo ipſo,quod res eſt producta, intelligitur eſſe, & tamen non exiſtit formaliter per ipſam productionem, ſic in caſu noſtro.

Dum vlterius quæritur, vtrum duratio ſit modus, vel res, reſpondeo, quod eſt modus, quia exiſtentia poteſt eſſe ſine hac duratione, duratio non poteſt eſſe, quin vniatur intrinſecè huic exiſtentiæ. Addo, quod duratio non eſt pura relatio coexiſtentię ad tempus extrinſecum, quia etiamſi non eſſet vllum tempus extrinſecum, ego poſſem durare per eandẽ durationem. In hoc autem puncto philoſo-

losophandum est de duratione proportionaliter ad ea, quæ dicta sunt de vbicatione quæst. 27. Dico etiam, quod non potest existentia poni sine omni duratione: alioquin posset aliquid esse, & nunquam esse, quod est inintelligibile.

Ad vltimum quæsitum, in quo quæritur, an possit dari duratio creata indiuisibilis, e.g. duratio horaria, in qua idem sit durare per primam semihoram, ac per secundam: communiter respondent Recentiores negatiuè, quia sequeretur, quod homo durans per talem durationem, transacta semihora, non posset à Deo destrui; hoc autem repugnat subiectioni creaturæ, quæ debet ita esse cum timore, & tremore sub potenti manu Dei, vt pro quolibet instanti possit metuere, nè destruatur, & debeat accipere durationem tanquam nouum beneficiũ. Et licet Beati non possint à Deo destrui, quia promisit illis æternam conseruationem, disparitas est manifesta. Nam Beati sunt securi de sua æterna conseruatione ex diuina promissione: at creatura durans per durationem indiuisibilem esset certa de sua cõseruatione ex perfectione suæ durationis essentialiter indestruibilis per horam. Dum vrgetur, quia visio beata cognoscit seipsam nunquã esse destruendam à Deo, & est essentialiter vera; ergo est essentiali-

tialiter indeſtribuibilis per totam æternitatem: variè reſpondent Theologi. Facilior reſponſio eſt, quod viſio Beata cognoſcit ſe non deſtruendam, ita vt non detur Beato alia viſio æquiualens, & per hoc conciliatur deſtruibilitas viſionis cũ perfecta ſecuritate Beati de ſua æterna Beatitudine.

QVAESTIO XXXIII.

Vtrum conueniens ſit definitio Infiniti.

VIdetur non eſſe conueniens definitio, qua infinitum definitur ab Ariſtotele 3. Phy. tex. 63. *cuius ſecundum quantitatem accipientibus ſemper eſt aliquid aliud extrà accipere* 1. quia clarius infinitnm definitur quod finẽ nõ habet; ergo definitio Ariſtotelis reijcenda eſt tanquam obſcura.

2. Deus eſt infinitus ſecundum eſſentiam, ſapientiam, potentiam &c. & tamen cum quantitatem non habeat, non eſt id, cuius ſecundum quantitatem accipientibus ſemper eſt aliquid extrà accipere.

3. Sequeretur, quod quæcunque quantitas e.g. palmaris eſſet infinita. Nam ex

palmo semper est aliquid extrà accipere; possum enim accipere medietatem palmi, tum ex medietate relicta sumere aliam medietatẽ, & ex submedietate relicta sumere aliam medietatem, & cum quantitas sit diuisibilis in infinitum, semper possum sumere medietatem medietatis per totam æternitatem.

4. Demum definitio infiniti deberet proportionaliter cõuenire varijs speciebus infiniti, quæ sunt infinitum categorematicum, & syncategorematicum: infinitum in numero, in magnitudine, in intensione; sed non videtur hęc definitio conuenire speciebus infiniti; ergo non est bona.

Respondeo antiquos Philosophos confudisse infinitum cum toto, & infinito tribuisse definitionem totius. Dixerunt enim infinitum esse *extrà quod nihil* est. Patet autem hanc esse definitionem totius, & vniuersi. Sicut enim totus homo est, cui nihil deest eorum, quę spectant ad hominem, ità totum simpliciter, & vniuersum absolutè est, extrà quod nihil omninò est. At pariter est manifestum, quod ratio, & essentia infiniti non consistit in hoc, vt extrà illud nihil sit, cum ad infinitum neque sufficiat, neque requiratur, vt nihil sit extrà illud. Non sufficit quidem, quià si quantitas mundi ponatur determinatę ma-

magnitudinis, e.g. centum milliariorum; tum extrà quantitatem mundi nulla esset quantitas, & tamen quantitas mundi non esset infinita, sed finita, hoc est centum milliariorum. Similiter non requiritur ad infinitum, vt extrà illud nihil sit. Si enim ponantur infiniti homines, & ab ijsdem separentur decem, reliqui remanerent infiniti, & tamen extrà illos essent decem homines; ergo non requiritur ad infinitum, vt extrà illud nihil sit. Potius igitur infinitum est, *cuius semper est aliquid extrà*, ita vt accipiens ex illius quantitate semper possit aliam, & aliam quantitatem accipere, absque eo quod illam vnquam absumat.

Ad 1. Definitio illa, *infinitum est quod finem non habet*, nō est bona. Punctū enim vtpote indiuisibile non habet finem, neque principium, sed ipsummet est principium, aut finis, & tamen punctum non est infinitum. Addo, quod finitum non autem infinitum definiendum est per negationē. Finitum enim est quod non extenditur vlterius: at infinitum est, quod vlterius, & vlterius extenditur, ideoque secundum quantitatē accipientibus semper est aliud, & aliud extrà accipere. Hinc est, vt licet nomen infiniti sit grammaticaliter negatiuum, philosophicè sit positiuum. E conuerso nomen finiti licet grammaticaliter

positiuum, philosophicè est negatiuum.

Ad 2. Quantitas duplex est, formalis, ac virtualis. Quantitas formalis est, quę est diuisibilis in partes quantitatiuas. Virtualis est, quæ licet sit indiuisibilis, æquiualet tamen pluribus. Infinitum similiter duplex est, nimirum infinitum in quantitate formali, & infinitum in quantitate virtuali. Deus cum sit indiuisibilis, est infinitus non in quantitate formali, sed in quantitate virtuali. Infinitum in quantitate virtuali, est cuius secundum quantitatem virtualem accipientibus sẽper est aliud extrà accipere, non ex quo componatur, sed cui perfectè ęquiualet. In hoc sensu Deus est infinitus in omni genere. Primo est infinitus secundum esse, quià ex Diuino esse semper est accipere aliud, & aliud esse, cui perfectè æquiualet. Ità de facto per totam æternitatem ex esse diuino sumitur nouum, & nouum esse creatum, cui diuinum esse perfectè ęquiualet. Est infinitus secundum durationem indiuisibilem, quę est æternitas, quià ex Diuina æternitate mundus semper sumit nouam, & nouam durationem, cui perfectè æquiualet Diuina æternitas indiuisibilis. Est infinitum in sapientia, quià ex diuina sapientia possemus semper sumere nouam, & nouã sapientiam, semper addiscendo per totam ęter-

æternitatem. Est infinitus in potentia ex eadem ratione; ergo definitio allata etiàm ex hoc capite est optima, quià proportionaliter conuenit infinito secundum quantitatem virtualem.

Ad 3. Argumentum benè probat omnem quantitatem habere aliquam infinitaté diuisibilitatis, cum sit diuisibilis in infinitum, & possint ex ea semper sumi medietates medietatum sine termino, vt dicetur in quæst. de continuo. Non tamen sequitur, quod quælibet magnitudo sit infinita simpliciter, sed solum quod sit infinita secundum potentialem diuisionem. Magnitudo simpliciter infinita est, *cuius secundum quantitatem accipientibus semper est aliquid aliud extrà accipere per partes æquales vni certæ, & non communicantes.* Dicuntur autem partes non communicantes, quę totaliter, & adęquatè distinguuntur, ita vt nulla includat vllam partem alterius. Partes communicátes sunt, quę distinguuntur solum partialiter. Magnitudo palmaris non est simpliciter infinita in hoc sensu, quia licet possint ex illa sumi plures, & plures partes minores, & minores, e.g. medietas, & medietas medietatis sine vllo termino, tamen non possunt sumi nisi finitę partes ęquales vni certę, ac non communicantes.

Ad 4. Definitio allata conuenit pro-

portionaliter omnibus infinitis, ideoque est optima. Infinitum categorematicum est, cuius secundum quantitatem accipientibus, semper est aliquid extra accipere per partes actu positas. Infinitum syncategorematicum est, cuius secundum quantitatem accipientibus semper est aliquid extra accipere per partes partim positas actu, partim ponendas, aut possibiles poni, ita vt actu positę nunqnam sint infinitæ, sed ponendę, vel possibiles poni sint plures, & plures sine termino. Exemplis res explicabitur. Si mundus fuisset ab æterno, duratio mundi pręterita esset infinita categorematicè, quia possent ex ipsa semper sumi partes iam positę ęquales vni certę, ac non communicantes. E conuerso ex eo, quod mundus sit duraturus in ęternum, duratio mundi est infinita solum syncategorematicè, quia sumendo partes iam actu positas, e. g. numerando annos iam actu positos, solum sumentur partes finitę: nunquam enim erit verum, quod transierint infiniti anni: at sumendo annos non solum positos, sed ponendos, semper est extra accipere. Similiter si nunc darentur infiniti Angeli, essent infiniti categorematicè: at si Deus per singulos annos per totam æternitatem crearet nouos, & nouos Angelos, Angeli futuri essent infiniti

finiti

finiti solum syncategorematicè. Proportionaliter allata definitio conuenit infinito secundum numerum, magnitudinem, & intensionem. Infinitum enim in numero est multitudo, cuius secundum numerum accipientibus semper est aliud extra accipere. Infinitum in magnitudine est magnitudo, cuius secundum quantitatem continuam accipientibus semper est aliquid extra accipere per partes æquales vni certæ, ac non communicantes. Infinitum in intensione est, cuius secundum quantitatem intensiuam accipientibus semper est aliquid extra accipere per partes non communicantes, & ęquales vni certę.

QVAESTIO XXXIV.

Vtrum possit dari Infinitum categorematicum, vel syncategorematicum.

EX vna parte videtur vera sententia quorundam, quod repugnet omne infinitum etiam syncategorematicum, quia omnia argumenta, quę adducuntur ad probandam impossibilitatem infiniti categorematici, æquè probant impossibilita-

itatem infiniti syncategorematici; ergo
repugnat infinitum categorematicum,
epugnat etiam syncategorematicum.

Ex alia parte videtur esse possibile
quodlibet infinitum, non solum syncategorematicum, sed etiam categorematicum, & actu existens &c. 1. quia certum
est mundum posse durare, immò de facto
duraturum in æternum per durationem
quandam infinitam à parte post, in qua
erunt infiniti anni, dies, & horæ &c; sed
omnia argumenta, quę afferuntur contra
quodlibet infinitum categorematicum,
vel syncategorematicum, valent æquè
contra infinitatem annorum futurorum
per totam æternitatem.

2. Deus potest facere, vt nunc existant omnes homines, qui possunt nunc
existere; sed omnes homines, qui possunt
nunc existere, sunt infiniti; ergo Deus
potest facere, vt nunc existant homines
infiniti. Probatur minor; multitudo excedens omnem numerum finitum assignabilem est infinita; sed multitudo hominũ
potentium nunc existere excedit omnem
numerum assignabilem; nam quocumque
assignato, potest existere multitudo maior;
ergo multitudo hominum potentium nũc
existere est infinita.

3. Quotiescumque aliqua sunt possibilia seorsim, & nullum eorum habet repugnan-

gnantiam cum altero, possunt etiam poni simul; sed homines possibiles infiniti sunt possibiles seorsim, & nullus eorum habet repugnantiam cum altero; ergo homines infiniti possibiles possũt poni simul. Probatur maior; quia eo ipso, quod homo est possibilis, equus est possibilis, leo est possibilis, & non habent vllam incompossibilitatem, possunt simul poni homo, equus, & leo; idem valet de alijs; ergo vniuersim quotiescũque aliqua sunt possibilia seorsim, & nullum eorum repugnat cum altero, possunt poni simul.

4. Infinita virtus debet posse producere infinitum effectum: alioquin hæc virtus esset frustrà, si non posset producere effectum sibi correspondentem iuxtà proportionem; sed Deus habet virtutem infinitam; ergo Deus potest producere effectum infinitum. Confirmatur, quia causa potest operari simul vbicumque est; e g. ignis vbicumque est potest calefacere; sed Deus vtpotè immensus est in spatio infinito; ergo potest simul operari in spatio infinito; ergo potest producere effectum extensum per infinitum spatium.

5. Videtur, quod de facto mundus sit infinitus. Tum enim esset infinitus, cum non daretur vltimus terminus mundi; sed non datur vltimus terminus mundi; s

enim daretur vltimus terminus, eatenus esset vltimus, quatenus nihil esset vltrà illũ; sed *vltra* significat spatiũ, ergo daretur spatium vltrà mundum, quod spatium non esset vltimum ex eadem ratione. Præterea si quis constitueretur in vltimo termino mundi, & iaceret sagittam, vel illa moueretur, & iam daretur spatium vlterius, per quod moueretur; vel non moueretur; ergo aliquid resisteret motui, & iam daretur aliquid vltrà vltimum terminum mundi resistens motui. Adde, quod est inintelligibile, quo pacto vltrà vltimum terminum mundi non sit vllum spatium; sed spatium est aliquod ens; ergo aliquod ens est infinitum.

6. Deus est infinitus; merita Christi sunt infinita; in continuo dantur actu partes infinitæ; species numerorum sunt infinitæ; mathematici sępè assumunt, quod potest describi linea in infinitum; ergo potest dari, immò datur de facto infinitum actu.

Respondeo in hac quęstione primo assumendum esse tanquam certum, quod dari potest, & de facto dabitur infinitum in duratione. Mundus enim de facto durabit in æternum, Angeli, & Anima rationalis in ęternum conseruabuntur per infinitos annos, & primus motor potest Cœlum mouere per totam ęternitatem,

atque

atque adeò infinito tempore à parte post nec est vllus Philosophus, qui de hoc dubitauerit propter summam rei euidentiam.

Secundo quia in vnaquaque materia, quod est manifestũ assumi debet tanquam principium ad discurrendum de cæteris; idcirco in materia de infinito, infinitum in duratione, quod est manifestum, assumi debet tanquam principium ad discurrendum de cæteris infinitis. Hinc est, vt Aristoteles omnia infinita definiat per infinitum in duratione dicens, infinitum esse, ex quo semper est extrà accipere; illud autem *semper* significat æternitatem, hoc est infinitum in duratione.

Tertio quia innata est nobis via, vt ex effectibus procedamus ad causas, ex hoc effectu infinito nobis noto, nimirum ex infinito in duratione procedere debemus ad probandam infinitatem primi principij, & primæ causę, hoc est Dei. Ideò Aristoteles 8. Phys. ostendit primum motorem, & primum principium habere infinitam virtutem, & potentiam, quia mouet Cœlum infinito tempore. Effectus enim infinitus requirit in causa virtutẽ, & potentiam infinitam. Et licet Durandus in primo dist. 43. quæst. 1. quem plures sequuntur, dicat quod ratio Aristotelis nihil valet; sequeretur enim, quod etiam

An-

Angeli ſecundi motores haberent virtutem infinitam in vigore, cum etiam ipſi moueant Cœlos infinito tempore; tamen eadem facilitate, qua Durandus aſſerit rationem Ariſtotelis nihil valere, poſſumus nos dicere obiectionem Durandi nihil valere, & rationem Ariſtotelis eſſe optimam, & vnicam, quæ poſſit afferri à poſteriori, ad probandam ex effectibus infinitam Dei virtutem, & potentiam. Eſt optima, quia eſt manifeſtum, quod virtus indiuiſibilis, quæ tota ſimul exiſtens indiuiſibiliter eſt perfectè ſufficiens ad ponendum effectum infinitum, eſt virtus infinita; ſed virtus, qua primus motor mouet, eſt indiuiſibilis tota ſimul exiſtens, & perfectè ſufficiens ad ponendum æternũ, atque infinitum motum; ergo virtus, qua primus motor mouet, eſt infinita. E conuerſo virtus, quę in quantum eſt actu, eſt ſolum ſufficiens ad ponendum effectum finitum, ſolum eſt finita; ſed virtus, qua mouent Angeli ſecundi motores, in quãtum eſt actu eſt ſolum ſufficiens ad mouendum finito tempore, & motu finito, & vt moueant motu maiori, debent accipere Angeli nouum, & nouum actum; E.g. Angeli ſecundum quod exiſtunt in hac hora, poſſunt ſolum mouere motu finito durante ſolum per hanc horam, vt verò moueant hora ſequenti, debent

bent conseruari hora sequenti, & à primo motore accipere durationem, qua actu existant, & possint mouere per horam sequentem; ergo virtus Angelorum in quantum est actu, potest solum mouere finito tempore, in quantum verò est in potentia ad durandum vlterius, & vlterius, accipiendo nouam, & nouam durationem, potest mouere tempore maiori, ac maiori: ergo Angeli habent actu virtutem solum finitam coniunctam cum potentia accipiendi duratione maiorem, & maiorem, per quam possint efficere motum maiorem, & maiorem. Addidi hanc esse vnicam rationem à posteriori ad probãdam infinitam virtutem primi motoris. Nam à posteriori virtus infinita non potest colligi, nisi ex effectu infinito; sed non est alius effectus infinitus euidenter possibilis, quam motus, ac duratio ergo infinitas motus, ac durationis est vnicum medium ad probandam infinitam potentiam primi motoris. Ex infinita deinde potentia primi motoris probari potest à posteriori, quod sit infinitus secundum essentiam, licet à priori infinitas secundum essentiam probetur aliunde, ex eo quod sit à se, & ex infinitate essentiæ probetur infinitas virtutis à S. Thoma prima parte quæst. 7. art. 1. & quæst. 25. art. 2.

Quar-

Quarto posito, quod Deus habeat infinitam potentiam, & virtutem, repugnātia infiniti non potest oriri ex eo, quod primum principium habeat virtutem finitam, & limitatam; ergo solum oriri poterit ex eo, quod infinitum si daretur, includeret aliquam implicantiam, & repugnantiam; si verò infinitum nullam dicat repugnātiam: eo ipso constat infinitum posse dari, cum infinita virtus possit facere quidquid non implicat contradictionem, & repugnantiam.

Quinto hinc patet esse falsam, & irrationabilem sententiam illorum, qui dixerunt dari certum, & finitum numerum creaturarum possibilium, suprà quem augeri non possint; e.g. homines possibiles esse solum in numero quodam certo: idēque dicunt de alijs rebus. Ratio est, quia est irrationabile, quod virtus infinita multiplicare non possit aliquam naturam multiplicabilem, nisi vsque ad certum terminum; sed Deus habet virtutem infinitam, & natura humana est multiplicabilis; ergo est irrationabile, quod homines multiplicari non possint, nisi vsque ad certum terminum. Et confirmatur, quia quis non videat esse irrationabile, quod virtus infinita possit solum producere decem homines? nam cur non vndecim? eadem irrationabilitas apparet in

in quocumque alio numero assignabili ergo eo ipso, quod aliqua natura est multiplicabilis, multiplicabilis est in infinitũ. Confirmatur, quia si quis diceret virtutem infinitam non posse mouere, nisi centum annis, vel mille, diceret aliquid irrationabile; sed eadem omninò irrationabilitas apparet in asserendo, quod homines possibiles sint solum centum, vel in quocumque alio numero assignabili; ergo &c. Adde, quod eo ipso, quod virtus Dei est infinita, limitatio non potest oriri ex parte materiæ; nam Deus producit ipsam materiam, non autem producit res ex materia præexistente; ergo potest etiam producere materiam maiorem, & maiorem sine termino. Ideò sententia communis scholasticorum penè omnium docet creaturas esse multiplicabiles in infinitum sine termino.

Sexto remanet præcipua quæstio, an possit dari infinitum categorematicum actu simul existens. Dico cum S. Thoma 1. parte quæst. 6. Scoto in secundo dist. 1. quæst. 3. S. Bonauent. in primo dist. 43. quæst. 3. Durando in primo eadem dist. 43. quos ex nostris sequuntur Suarius, Conimbricenses, Ruuius, Toletus, & alij: repugnat infinitum categorematicum actu existens, seu sit infinitum in numero, seu in magnitudine, seu in intensione.

Vt

Vt probem conclusionem, præmitto, quod facilè est afferre rationes contra infinitum categorematicum; sed difficile est ità illas proponere, vt non æquè valeant contra infinitum syncategorematicum. Ideò gladio simul pugnandum, & clypeo, & ita dirigenda sunt tela in aduersarios, vt simul cum ipsis non feriant nos.

Prima, & fundamentalis ratio desumitur ex principijs S. Thomæ, & Aristotelis. Omnis enim magnitudo, & multitudo infinita est talis, vt in ratione multitudinis, ac magnitudinis sit eiusdem speciei, ac rationis cum qualibet alia multitudine, ac magnitudine infinita; sicut enim omnes numeri septenarij in ratione numeri sunt eiusdem omninò speciei, ac rationis, quia sibi mutuo congruunt, & omnes lineæ centum palmorum, in ratione longitudinis sunt eiusdem speciei, quia si sibi inuicem superponantur, mutuo congruunt, sic omnes infinitæ magnitudines, & multitudines in ratione multitudinis, ac magnitudinis sunt eiusdem speciei, quia sibi inuicem applicatæ mutuo congruunt, vt melius etiam patebit inferius; sed ex alia parte repugnat, quod omnes infinitæ magnitudines, & multitudines sint eiusdem speciei, ac mutuo congruant; est enim de ratione multitudinis, ac magnitudinis, vt per quamlibet

libet additionem, vel ablationem variet speciem, vt patet inductione; septenarius enim non est eiusdem specici cum senario, nec illi congruit, quia addit vnam vnitatem; quinarius est diuersæ speciei, ac senarius, quia quinario deficit vna vnitas; similiter longitudo vndecim palmorum, ac longitudo decem palmorum specie differunt, nec possunt sibi congruere ex eadem ratione: si verò omnes magnitudines, ac multitudines infinitæ essent eiusdem speciei, per quamcumque additionem, vel ablationem finitam non variarent speciem, quia semper remanerent magnitudo, ac multitudo infinita, adeoque eiusdem speciei, ac ante; ergo repugnat infinita multitudo, ac magnitudo.

Addo, quod non solum multitudo infinita remaneret infinita, atque adeò eiusdem speciei, subtracto quocumque numero finito, sed etiam remaneret infinita, subtractis pluribus, & pluribus multitudinibus infinitis sine termino per totam æternitatem. Demonstratur euidenter. Sit infinita multitudo Angelorum. In hac multitudine sunt infiniti binarij, infiniti ternarij, infiniti milliones, & infiniti milliones millionum, & sic de quocumque numero finito maiori, & maiori. Est enim per se notum, quod numerus finitus non potest contineri solum finities

in

n multitudine infinita; ergo quicumque numerus finitus continetur infinities in multitudine infinita. Hoc posito, si ex singulis infinitis centenarijs Angelorum subtraherentur nonaginta nouem, & vnus relinqueretur, multitudo infinita, subtractis nonaginta nouem multitudinibus infinitis, remaneret infinita, atque adeò eiusdem rationis, & speciei, ac ante: & ita posset quis per totam æternitatem subtrahere milliones, & milliones infinitatum, ita vt reliquum remaneret infinitum, & eiusdem rationis, ac ante.

Apparebit vis rationis, explicando illam magis in particulari. Sint duę multitudines infinitę Angelorum ita ordinatæ, vt singuli Angeli vnius multitudinis sint associati cum singulis Angelis alterius multitudinis. Proculdubio istæ duæ multitudines essent omninò æquales. Ex octauo enim axiomate lib. 1. Euclidis, quæ sibi mutuò congruunt sunt æqualia; sed istæ duæ multitudines sibi mutuò cōgruunt, cum singuli Angeli corresponderent singulis; ergo istæ duæ multitudines sunt æquales, & est per se notum, quod cum singuli congruunt singulis, tota multitudo congruit, & est æqualis toti multitudini. Iam subtrahantur ex vna multitudine, quæ vocetur multitudo A, duo Angeli, dico, quod adhuc multitudo

rema-

:manens erit infinita, atque adeò ęqua-
s, & potens congruere multitudini B.
robatur, quia multitudines, quæ si adap-
ntur, sibi mutuò congruunt, sunt ęqua-
:s; sed multitudo A reliqua post abla-
onem duorum Angelorum si adaptetur
oti multitudini B congruit illi; ergo est
qualis multitudini B. Probatur minor;
nguli ex Angelis reliquis multitudinis
A procedant ita, vt primus associetur cũ
rimo multitudinis B, secundus cum se-
undo, & sic de reliquis: sibi mutuo con-
gruent, nec erit vllus in multitudine
B, qui non habeat socium ex multitudine
A; si enim aliquis remaneret dissociatus,
essent duo vltimi; sed vltimi in infinito
non dantur ex ea parte, qua est infini-
tum, vt est per se notum, & inferius de-
monstrabitur; ergo multitudo infinita A
ęqualis multitudini B remanet ęqualis,
duobus subtractis; immò remanet ęqua-
lis, etiamsi subtraherentur infinitę infi-
nitates per totam ęternitatem, quia adhuc
remanet infinita, atque adeò remanet ta-
lis, vt si coaptetur multitudini B, asso-
ciando singulos singulis, possit illi con-
gruere; sed repugnat, quod ęquale post
subtractionem remaneat ęquale; ergo
repugnat infinitum. Confirmatur, quia
ex Euclide axiomate primo libri primi,
quę eidem sunt ęqualia, & inter se sunt
ęqua-

ę qualia; sed tota multitudo A, & pars ipsius reliqua post subtractionem sunt ęquales toti multitudini B; ergo pars,& totum sunt inter se ęqualia,quod est contra 9. axioma Euclidis.

Secundo potest idem argumentum applicari magnitudini. Sint enim duæ lineę infinitæ sibi mutuò congruentes. Profectò erunt æquales, cum æqualia sint, quę sibi mutuo congruunt. Auferantur ab vna, quæ vocetur A, decem palmi, dico, quod reliquum remanet æquale lineæ B, à qua nihil est ablatum. Illa enim sunt æqualia, quorum vnum, si superponatur alteri, congruet; sed si linea A remanens superponatur toti lineę B, ità vt primum punctum lineæ A superponatur primo puncto lineę B, istæ duę lineæ congruent sine excessu, & defectu; ergo linea A reliqua, ablatis decem palmis, est ęqualis toti lineæ B; ergo tota linea A, & eius pars, cum sit æqualis eidem tertio, sunt æquales inter se. Nec solum linea A potest remanere æqualis lineæ B, ablatis decem palmis, sed etiam ablatis infinitis. Si enim ex linea A auferatur secundus palmus, quartus, sextus, & alij infiniti per numeros pares, & reliqui retrahantur, ità vt tertius vniatur secundo, quintus tertio, & sic de alijs, component vnam lineam infinitam, quæ congruet, atque adeò erit æqualis toti

oti lineæ B; & si rursus auferantur infi-
iti palmi per numeros pares, & reliqui
etrahantur, adhuc conficient vnam li-
eam congruentem toti lineę B; ergo to-
um, & pars, continens, & contentum
ongruent eidem tertio, ac erunt illi
qualia; ergo totum, & pars erunt ęqua-
a inter se.

Tertio potest idem argumentum appli-
ari quantitati virtuali, seu magnitudini
erfectionis. Sint duæ multitudines infi-
itæ entium ęqualium in perfectione;
equitur, quod istæ multitudines sint peni-
us æquales inter se. Quoties enim duę
ultitudines sunt tales, vt singula vnius
nt æqualia singulis alterius, & singulis
nius correspondeant singula alterius, to-
es tales multitudines sunt inter se æqua-
s; sed singula entia vnius multitudinis
ssent æqualia singulis alterius, & singula
orresponderent singulis; ergo tota mul-
tudo esset æqualis in perfectione toti
ultitudini; sed si ex vna multitudine
uferretur vnum, adhuc reliquum rema-
eret ęquale ex eodem argumento; ergo
ars esset æqualis toti, cum esset æqualis
dem tertio. Rursus sint infinita entia
æqualia in perfectione, ità vt secundum
perfectius primo, tertium perfectius
cundo, & sic de alijs; collectio entium
er numeros pares, nimirum collectio se-
cundi

cundi, quarti, sexti erit perfectior collectione entium dispositorum per numeros dispares, nimirum collectione composita ex primo, tertio, quinto &c. Quoties enim in aliqua collectione singula sunt perfectiora singulis alterius, & singula correspondent singulis alterius, toties talis collectio est perfectior altera collectione; sed singula contenta in collectione parium sunt perfectiora singulis contentis in collectione disparium, & singula correspondent singulis; nam secundum est perfectius primo, quartum tertio, & sic de alijs; ergo tota collectio parium est perfectior, quam tota collectio disparium. Iam ex collectione disparium auferatur primum, inuertetur ordo. Omnia enim, quæ erant disparia, euadent paria, & è conuerso; nam secundum euadet primum, tertium euadet secundum, & sic de reliquis; ergo per idem argumentum probabitur, quod collectio ante parium, nunc disparium, sit imperfectior; ergo collectio, quæ erat perfectior, tota seruata euadit imperfectior alia, quę non fuit tota seruata, cum fuerit ex illa ablatum vnum, quod est absurdum. Sequitur enim, quod imperfectius, diminuta perfectione, euadat perfectius. Possunt eadem argumenta pluribus alijs modis vrgeri, sed sufficiant

allati

allati : facilè enim poterit vnusquisque alias rationes similes inuenire.

Respondent primo, quod in infinitis non datur æqualitas, nec inæqualitas, quę sunt proprietates solius finiti.

Sed contra, quia ex axiomate 8. Euclid s, quæ sibi mutuò congruunt sunt æqualia; sed ostensum est, quod infinitæ multitudines, ac magnitudines sibi congruerent; ergo essent ęquales; & est per se notum, quod quantitates sibi mutuò congruentes sunt ęquales, seu finem habeant, seu non. Hinc verò reijcitur etiam responsio, qua dicunt, quod vnum infinitum est maius alio. Dato enim, quod sit maius, ostenditur, quod simul sit ęquale, quia alteri suprapositum congruit. Ita si darentur infiniti homines, benè probant aduersarij, quod capilli essent plures, quam homines, sed simul probatur, quod essent totidem capilli, quot homines, quia possent illi ijdẽ capilli ita distribui, vt singuli ijdem homines haberent tantum vnum capillum. Habeat enim vnusquisque millionem capillorum; ergo infinitis hominibus correspondent infiniti milliones capillorum. Iam abradantur omnibus capilli, & primus millio capillorum distribuatur in primum millionem hominũ, dando singulis hominibus vnum capillum; secundus

 millio

millio capillorum distribuatur eodem pacto secundo millioni hominum; cum dentur infiniti milliones hominum, poterunt illis distribui infiniti milliones capillorum, dando singulis vnum capillum; ergo capilli, qui sunt plures, quam homines, sunt etiam totidem, quot homines, quod implicat. Eodem argumento ostenditur, quod si singuli ex hominibus infinitis haberent vnum aureum, possent iidem aurei ita distribui, vt singuli acciperent duos, tres, & in quocumque numero finito, immò ita, vt singuli acciperent infinitos. Nam proijciantur illi aurei in vnum aceruum, & hic aceruus diuidatur in duas infinitates, & vna infinitas detur primo homini; infinitas reliqua diuidatur rursus in duas infinitates, & vna detur secundo homini; poterunt hoc pacto procedendo, ex illo aceruo extrahi infinitę infinitates, & distribui infinitis hominibus, ita vt singuli acciperent suam infinitatem.

Respondent secundo, quod omnia infinita possunt sibi congruere, & correspondere, si certo modo adaptentur, ideoque sunt ęqualia quoad correspondentiā. Dum infertur; ergo pars, & totum sunt ęqualia, quia congruunt, & correspondent eidem tertio; respondent, distinguendo; sunt ęqualia quoad continentiā, ne-

gant; quoad correſpondentiã,conceduut. Pars ſemper eſt minor toto quoad continentiam, quia ſemper totum vltra partẽ continet aliquid aliud; at ſi tum pars,tum totum ſunt infinitum, poſſunt eſſe ęqualia quoad correſpondentiam,quia poſſunt eidem correſpondere, & congruere.

Sed contra, quia eſt manifeſtum, quod non ſolum totum continet aliquid vltra partem, ſed etiam propter iſtam continentiam pars, & totum non poſſunt congruere eidem menſurę, & eſſe ęqualia inter ſe: hoc autem aſſumitur in illis principijs; *pars non eſt æqualis toti; quæ ſibi congruunt ſunt æqualia; quæ eidem ſunt æqualia, & inter ſe ſunt æqualia*, quę ſunt principia vniuerſalia, & per ſe nota, abſtrahendo à finito, vel infinito. Si verò limitentur ad infinitum, etiam principia de contradictorijs poterunt limitari ad infinitum. Et ſanè in magnas anguſtias redacti ſunt aduerſarij, ſi coguntur concedere, quod principia illa non ſunt vera vniuerſaliter, ſed ſolum in rebus finitis.

Reſpondent tertio hęc argumenta ſolum probare ex ſuppoſitione, quod repugnet infinitum vtrinque terminatum: at dari poteſt infinitum vtrinque terminatum,quo poſito,argumenta non habent vim.

Sed contra primo, quia est per se notum infinitum ex ea parte, ex qua est infinitum, non habere finem, & terminum; e.g. linea infinita versus Orientem non habet finem, & terminum versus Orientem: ęternitas infinita à parte post non habet finem, & vltimum annum à parte post; ęternitas infinita à parte ante non habet principium, & primum annum à parte ante. Ideò est falsa imaginatio eorum, qui imaginantur primum annum, aut primum instans, à quo inceperit ęternitas à parte ante.

Secundo ponamus, quod in æternitate à parte ante detur primus annus, inter quem, & annum pręsentem medient infiniti anni. Si quis creatus fuisset in primo anno ęternitatis, incipiendo ab eo anno, iam pertransisset infinitos annos: est autē impossibile, quod aliquis incipiendo ab vno anno pertranseat infinitos annos: alioquin etiam nos incipiendo ab hoc anno, possemus peruenire ad tempus, in quo iam vixissemus per annos infinitos; ergo si Deus nobis promitteret vitam per annos infinitos, adhuc possemus peruenire ad vltimum annum vitę nostrę. Addo, quod daretur vnum infinitum annorum post aliud infinitum annorum, quod est absurdum.

Tertio ponamus dari lineam infinitā

vtrinque terminatâ, in qua detur primus, & vltimus palmus infinitè distantes, ita vt inter illos medient infiniti palmi: aliqui palmi distant infinitè à primo; nam vltimus ex suppositione distat infinitè à primo, & penultimus similiter distat infinitè, & antepenultimus &c. Rursus aliqui palmi distant solum finitè à primo; nam secundus distat solum finitè à primo, tertius similiter à quarto &c. Hoc posito, vel palmi distantes finitè à primo sunt finiti, vel infiniti; non possunt esse finiti, e.g. centum; alioquin si soli centum distarent finitè, centesimus primus statim distaret infinitè, quod implicat. Adijciendo enim finitæ distantię vnicum palmum, fieret distantia infinita. Sj verò dicatur, quod palmi finitè distantes à primo sunt infiniti, vel in ijs datur vltimus, vel non; si datur vltimus; ergo datur aliquis palmus, de quo est verum, hic palmus distat finitè, & tamen immediatè sequens distat infinitè, quod implicat; quia non potest finita distantia euadere infinita per additionem vnius palmi, immò nec per additionem quorumcumque finitorum palmorum; vel non datur vltimus palmus finitè distantium, & si id dicatur; ergo infinitum palmorum finitè distantium à primo non habet vltimum. De hoc infinito, quod datur eo

 ipso,

ipso, quod detur infinitum vtrinque terque terminatum, redeunt argumenta facta. Nam sint duę infinitates Angelorum, quorum singuli finitè distent à primo, ita vt non detur vltimus, nec terminus finitè distantium, istæ duæ sunt æquales, & post ablationem remanent æquales; ergo solutio allata concedit nouum absurdum, hoc est infinitum vtrinque terminatum, & tamen non soluit argumenta facta, quandoquidem in infinito vtrinque terminato includitur aliud infinitum non terminatum, de quo redeunt argumenta.

Infertur, quod infinitum si daretur, nō posset esse figuratum. Ratio est, quia figura definitur ab Euclide, quę sub aliquo, vel aliquibus terminis comprehenditur; at corpus infinitum, eo ipso quod esset infinitum, non posset claudi, & comprehendi terminis; ergo non posset esse figuratum. Potest etiam id confirmari, discurrendo per singulas figuras. Corpus infinitum non posset esse rotundum, quia in rotundo datur vnicum centrum, à quo omnes lineę rectę ad circumferentiam ductę sunt ęquales. At si corpus esset infinitū vndiq; omnia puncta assignabilia essent centrū, quia à quolibet pūcto assignabili lineę rectę vndiq; ductæ essent infinitæ, atque adeò æquales; ergo &c.

Re-

Respondent quarto hęc argumenta recurrere contra infinitū existens obiectiuè in mente Dei, & contra infinitum syncategorematicum; & primo contra infinitum existens in mente Dei. Deus enim videt vnico intuitu omnes homines possibiles, ac videt illos esse infinitos, & continere plures, immò infinitas infinitates: rursus videt duas infinitates hominum esse ęquales, & quod si ab vna auferantur aliqui homines, tales infinitates remanerent ęquales; ergo videt, quod pars est ęqualis toti, & redeunt argumenta facta contra infinitum.

Sed contra, quia verè Deus videt omnes homines possibiles, immò omnia entia possibilia, & etiam impossibilia vnico intuitu, sed ita videt, vt videat, quo pacto sint possibilia, & quo pacto sint impossibilia, ita vt eo modo poni nequeant; e. g. Deus videt esse possibiles omnes horas huius diei, sed videt illas ita esse possibiles, vt non possint existere simul, sed possint existere solum successiuè, ita vt vna sit post aliam; videt esse possibiles amorem, & odium eiusdem obiecti in eodem homine, sed videt esse possibiles ad existendum seorsim, non autem ad existendum simul. In casu nostro videt omnes homines possibiles, sed videt illos esse possibiles ad existendum per col-

lectiones finitas in infinitum, & videt esse impossibiles ad existẽdum per vnam collectionem infinitam. Hoc posito, cũ videt duas collectiones infinitas esse impossibiles ad existendum, videt illas non esse ęquales: ęqualia enim sunt quę possunt ita existere, & coaptari, vt inuicem congruant; sed duę collectiones infinitæ hominum non possunt ita existere, & coaptari, vt inuicem congruant; ergo duę collectiones infinitę non videntur esse ęquales. Probatur minor; nam ea, quę non possunt existere, neque possunt coaptari, neque possunt congruere; sed duæ collectiones infinitæ hominum non possunt existere; ergo non possunt coaptari, neque congruere. Immo videt Deus, quod propter hoc ipsum infinitas hominum est impossibilis, quia si daretur, esset ęqualis, & non esset equalis cuilibet alij infinitati. Videt quidẽ Deus duas hominum infinitates habere quandam ęqualitatem negatiuam, per quam vtraque, vtpotè impossibilis, caret omni perfectione, atque adeò sunt ęquales in omnimoda carentia cuiuslibet perfectionis: sed quod totum, & pars habeant istam ęqualitatem negatiuam, per quam vtrumque careat omni perfectione, non repugnat. Ita quatuor Chimerę, & vna Chimera habent ęqualitatem in hoc, quod tum quatuor,

tuor, tum vna illarum caret omni perfectione. Hinc etiam patet, cur si infinitum est possibile, valeat argumentum à singulis ad omnes, dicendo: singula sunt ęqualia singulis, & singula correspondent singulis; ergo tota collectio est æqualis positiuè toti collectioni: at si infinitum est impossibile, argumentum non valeat. Ratio est, quia si infinitum est impossibile, collectio hominum est Chimera; ergo ex eo, quod singula possibilia sint æqualia singulis, eo quod inuicem congruant, non potest inferri, quod collectio sit æqualis collectioni, ac possit collectioni congruere, cum vtraque collectio vtpotè non potens existere, nec possit congruere.

Potest argumentum vrgeri contra infinitum syncategorematicum potens existere successiuè per totam æternitatem. Si enim Deus, incipiendo ab hac die, crearet hominem, & Angelum, & singulis diebus crearet nouum hominem, & nouum Angelum per totam æternitatem à parte post, tot essent homines futuri, quot Angeli; ergo tota collectio Angelorum creandorum esset ęqualis toti collectioni hominum creandorum. Ponamus, quod Deus omittat creare decem Angelos, & cum primo homine creet vndecimum Angelum, cum secundo homine

duodecimum Angelum, & ſic procedendo; crearet omnes Angelos, quot in primo caſu, exceptis decem; ſed tunc iſti Angeli, ſubtractis decem, adhuc eſſent æquales ijſdem hominibus, cum mutuò ſinguli correſponderent ſingulis; ergo tota collectio Angelorum creandorum eſſet æqualis toti hominum collectioni; ergo pars eſſet æqualis toti, cum eſſet æqualis eidem tertio, hoc eſt eidem hominum collectioni; ergo redeunt argumenta còntra infinitum ſyncategorematicum, quod concedimus eſſe poſſibile.

Reſpondeo eodem pacto, quod infinitum ſyncategorematicum eſt ità poſſibile ſecundum partes, vt ſit impoſſibile ſecundum totum. Eſt enim ità poſſibile, vt ſint plures, & plures anni, plures, & plures homines, vt implicet, quod vnquam ſit, aut fuerit tota æternitas; aut tota collectio hominum infinitorum, aut infinitorum Angelorum; ergo licet homines, & Angeli futuri ſint æquales ſecundum plures, & plures collectiones, quæ poſſunt eſſe, & erunt de facto, adhuc non erunt æquales ſecundum totam infinitatem, ſecundum quam nec erunt, nec poſſunt eſſe; e.g. homines, & Angeli futuri erunt æquales ſecundum primam collectionem duorum, ſecundum collectionem trium, ſecundum collectionem quatuor,

tuor, & sic de reliquis collectionibus, quia de omnibus istis collectionibus erit verum aliquando, quod sint positæ; at secundum collectionem infinitorum non erunt æquales, quia ista collectio secundum infinitatem nunquam erit, immò non est possibile, vt vnquam sit; ergo cum secundum infinitatem sint collectiones chimericæ, atque impossibiles, non possunt secundum illam habere equalitatem positiuam, sed ad summum negatiuam.

Ex eadem ratione non valet de infinito successiuo: singulæ partes, & singulæ collectiones finitæ Angelorum futurorum sunt æquales singulis partibus, seu collectionibus finitis hominum futurorum, & singulę collectiones correspondent singulis; ergo tota collectio Angelorum futurorum est æqualis toti collectioni hominum futurorum. Collectiones enim finitæ ideò sunt æquales, quià possunt esse, & erunt aliquando, sed collectio infinita nec potest esse, nec erit vnquam; ergo collectio infinita nòn est æqualis collectioni infinitę, sed ad summum habet quandam inæqualitatem negatiuam, & impropriã, per quam omnes huiusmodi collectiones carent omni perfectione, omni positiua æqualitate, qua possint ità poni, vt inuicem congruant, & omni positiua maioritate, vel minoritate, per quam possint

ità poni, vt se inuicem excedant, vel excedantur.

Vrgent: potest dici *tota æternitas, omnes anni futuri*; ergo tota æternitas, & omnes anni futuri non sunt Chimeræ; ergo possunt inuicem comparari secundum æqualitatem, vel inæqualitatem. Respondeo quosdam negare, quod dici possit *tota æternitas, omnes anni futuri*. Sed isti deberent instituere noua vocabularia, & nouas leges loquendi, abrogatis locutionibus receptis ab omnibus, etiam à sacris scriptoribus. Concedo igitur, quod possumus vti, non autem abuti similibus modis loquendi in legitimo sensu. Legitimus sensus locutionum est, *dabitur tota æternitas*, hoc est erunt anni plures, & plures sine termino, nec est vlla annorum collectio, quę futura non sit; *dabuntur omnes anni futuri*, hoc est quælibet collectio finita annorum dabitur aliquando; nam aliquando iam erunt transacti milliones annorum, & milliones millionum, & sic de aliis. Sensus verò falsus est: *dabitur tota æternitas*, hoc est æternitas habet aliquam intrinsecam totalitatem, secundum quam erit aliquando, vel esse potest; hæc enim totalitas est Chimera, vt probatum est. Et quia vt procedat argumentum de comparationibus, per quas dicitur, *vna infinitas est æqualis alteri*, debent

bent tales infinitates comparari secund aliquam totalitatem intrinsecam imag natam in ęternitate, quæ totalitas e Chimera, ideò procedunt solutiones a latę. Stet igitur, quod æternitas non ha bet, nec potest habere totalitatem intrin secam, sed ad summum extrinsecam pe denominationem à cognitione, in qua existunt simul omnes anni æternitatis, li cet illa cognitio cognoscat, quod ann æternitatis secundum totalitatem intrin secam sunt Chimera, atque adeò non in cludunt plures infinitates positiuè æqua les, vel maiores, sed solum infinitates chimericas, adeòque æquales negatiuè.

Vrgent adhuc: Deus incipiendo ab hoc momento, posset mihi dare vnam co gnitionem, secundo momento meliorem, tertio meliorem, & sic in infinitum per totam ęternitatem. Daretur ergo duplex ordo cognitionum. Primus complectens cognitiones dandas per numeros pares, hoc est momento secundo, quarto &c: secundus complectens cognitiones dandas per numeros dispares, hoc est momento primo, tertio, quinto &c. Si igitur Deus daret mihi optionem eligendi, vel cognitiones per numeros pares, vel per numeros dispares, vter ordo esset eligibilior? Non essent equè eligibiles, alioquin sequeretur, quod ablata prima cognitio-

ne, remanerent ęquè eligibiles. Nec etiã potest explicari, cur vnus ordo esset eligibilior altero.

Respondeo argumentum allatum efficaciter probare, quod non essent ęquè eligibiles tales ordines. Dum quæritur, vter esset eligibilior? respondeo, quod ordo disparium, dummodo in excessu seruent eandem proportionem, ita vt secundum proportionem, secundum quam cognitio secunda excedit primam, tertia excedat secundam, & sic de alijs. Probatur, quod ordo disparium sit eligibilior, quia per ipsum inciperem prius frui aliqua cognitione. Confirmatur, quia si esset eligibilior ordo parium, cum ablata prima dispari, reliquæ cognitiones dispares mutarentur in pares, sequitur, quod ordo disparium imminutus per ablationẽ vnius cognitionis, euaderet eligibilior, quod est absurdum. Confirmatur secundo, quia ordo parium, ac disparium conuenit in hoc, quod sicut post quodcumque par erit dispar melius illo, sic post quodcumque dispar erit par melius illo secundum eandem proportionem; ergo ex hoc capite non est, cur vnus ordo sit eligibilior altero; sed differunt in hoc, quod licet ante quodcumque par sit aliquod dispar, non tamen ante quodcumque dispar est par; nam ante primum absolutè

solutè, quod est dispar, nullum est omninò; ergo ex hoc capite eligibilitas disparium est maior. Similiter si daretur optio viuendi solum per annos dispares, vel viuendi solum per pares, eligibilior esset vita per dispares, quia prius inciperet: neque est dubium, quin quilibet prudens præeligeret vitam per dispares, vt prius inciperet viuere. Eodem pacto respondetur argumento desumpto ex probabilitatibus. Quæritur enim, si Deus incipiens ab hoc anno creet singulis annis vnum hominem, & ego sciam per reuelationem, quod creandus est Petrus, est ne probabilius mihi, quod sit creandus vno ex annis disparibus, an verò vno ex annis paribus? Respondeo, quod est probabilius, quod vno ex disparibus ex ratione allata. Cum enim pares, & dispares conueniant in hoc, quod post quodcumque est aliud, differant in hoc, quod licet ante quodlibet par detur dispar, non tamen ante quodlibet dispar detur par, hinc habetur fundamentum probabilitatis aliqualiter maioris, licet excessu quodam valdè paruo, & incommensurabili, hoc est tali, vt non possit per ablationem reduci ad equalitatem. Addo aliqua argumenta desumpta ex comparatione probabilitatum posse solui negãdo suppositum. Dum enim dicitur probabilius esse Petrum

rum creandum in vna ſerie annorum, quam in alia, ſupponitur eſſe probabile; ſed non eſt probabile; probabile enim eſt, *quod plerumque contingit*; ſed comparando duo infinita contradiſtincta, non datur plerumque; ergo. Ex eadem ratione non eſt improbabile; improbabile enim eſt, quod *rarius contingit*; ſed ſi non datur plerumque, nec datur rarius; ergo. Dum igitur quæritur, quid ſit probabilius, vel improbabilius, negandũ eſt ſuppoſitum, cũ neutrum comparatorũ ſit probabile, vel improbabile, ſed purè dubiũ, eo pacto, quo meo intellectui hæc propoſitio, *aſtra ſunt paria*, non eſt probabilis, nec poſitiuè improbabilis, ſed purè dubia.

Inſtant: Poteſt Deus ſucceſſiuè creare infinitos homines, includendo Petrum, vel eoſdem infinitos, excluſo Petro; ſed videt, quod abſolutè melius eſt illos creare, Petro incluſo, quàm excluſo; ergo datur inæqualitas inter creationem omnium cum Petro, & creationem eorundẽ ſine Petro; ſed creatio omnium cum Petro, & creatio omnium, excepto Petro, non habent inæqualitatem reſpectu collectionis infinitorum hominum contradiſtinctorum; ergo ſunt inæqualia inter ſe, & non ſunt inæqualia eidem tertio, quod repugnat.

Re-

Respondeo concedo maiorem. Ad minorem respondeo, quod cum dicitur, *melius est creare omnes cum Petro, quam sine Petro*, vel sensus est, quod collectio omniũ inclusо Petro, est perfectior secundum suam totalitatem, quam collectio omniũ excluso Petro, & iam responsum est supra; vel sensus est, quod melius, & congruentius est Deo creare omnes cum Petro, quam sine Petro, & fortasse congruentius est Petrum omittere, quam creare, immò congruentius est sistere in aliquo numero finito, quam procedere in infinitum, ideoque Deus de facto sistet in numero finito hominum; vel sensus est, quod Petro melius erit, vt eligatur collectio, in qua includitur, quam collectio, in qua non includitur, & hoc est verum, sed nihil sequitur contra nos; vel sensus est, quod collectioni reliquorum infinitorum melius est, quod etiam Petrus producatur, quam non producatur, & fortasse melius esset reliquis Petrũ omitti, eo quod futurus sit perniciosus, quam produci; & præterea in hoc sensu etiam tertiæ collectioni posset esse melius Petrum produci, quam non produci; ergo illa propositio in quocumque sensu accipiatur, vel est falsa, vel non est ad rem.

Atque hic aduerte doctrinam vtilem ad solutionem plurium difficultatum, quod licet

icet totum semper sit melius parte secũlum se sumptum, non semper est melius mihi, & eligibilius à me ; e.g. duæ intellectiones eiusdem obiecti solo numero distinctæ sunt totum, & collectio perfectior vnica intellectione, & tamen non est mihi eligibilior collectio duarum intellectionum, quam vnica intellectio. Ratio est, quia est æquè bonum mihi intelligere obiectum per vnicam intellectionem, ac per duas solo numero distinctas, ideoque secunda intellectio esset mihi omninò superflua. Potest ergo contingere, quod duæ infinitates essent æquè eligibiles, non tamen sequitur, quod essent æquè perfectæ, ac bonæ in seipsis perfectione, ac bonitate absoluta, sed solum quod essent ęquè bonæ mihi.

Ad argumentum contra possibilitatem infiniti syncategorematici ex eo, quod omnia argumenta adducta contra infinitum categorematicum, valent æquè contra syncategorematicum, iam est responsum.

Ad 1. pro infinito categorematico ex eo, quod omnia argumenta contra illud valeant etiam contra infinitum successiuum in duratione, iam est responsum.

Ad 2. Ex eo, quod Deus possit facere quidquid potest nunc facere: respondeo primo indirectè argumẽtum esse manife-

stè

ſtè ſophiſticum, & ab omnibus ſoluendū. Certum eſt enim, quod Deus poſſet alicui promittere, *Ego non puniam te in æternum*. Facta hac promiſſione, Deus poſſet punire quantum poſſet punire, & tamen non poſſet punire tanto tempore, ita vt non poſſet punire diuturniore tempore abſque eo, quod faceret contra ſuam promiſſionem. Reſpondeo ſecundo directè diſtinguo propoſitionem; Deus poteſt facere quidquid poteſt facere, & ly *quidquid* eſt diſiunctum, concedo; & ly *quidquid* eſt aliqua collectio determinata poſſibilis, nego; & diſtinguo minorem ſi numerus Creaturarum non eſſet certus, vel infinitum non eſſet poſſibile, Deus non poſſet facere quidquid poteſt facere, ita vt ly *quidquid* ſit diſiunctum; nego minorem; ita vt ly *quidquid* ſit aliquid determinatum, concedo minorem; & nego conſequentiam. Cum dicitur, *poteſt facere quidquid poteſt facere*, ly *quidquid* poteſt ſumi dupliciter; primo vt ſignificetur ly *quidquid* eſſe aliquam collectionem determinatam poſſibilem ſimul exiſtere, quæ collectio ſit quidquid Deus poteſt facere, ita vt nihil poſſit illi ſuperaddi, & ſi hoc intelligatur, propoſitio eſt neganda, vtpotè quæ manifeſtè petit principiū. Concluſio enim noſtra eſt, quod nulla collectio finita eſt quidquid Deus poteſt

facere

acere, quia Deus poteſt facere plura, & plura ſine termino, nec vlla collectio nfinita eſt quidquid Deus poteſt facere, quia omnis collectio infinita repugnat, & vtrumque probamus. Dum ergo aduerſarij ſumunt propoſitionem in hoc ſenſu, petunt principium, quia petunt, vt ſibi concedatur id, quod eſt in quæſtione, & à nobis negatur non gratis, ſed ex validis rationibus. Secundo ly *quidquid* poteſt ita ſumi, vt ſignificetur diſiunctum ex quacumque collectione finita, ità vt de ſingulis affirmetur, quod poſſunt à Deo produci, & ſenſus ſit, Deus poteſt facere binarium, vel ternarium, vel quaternarium, &c. ita vt poſſit facere quamcumque collectionem finitam, nulla excluſa; & in hoc ſenſu propoſitio eſt vera, etiamſi Deus poſſit producere plura, & plura ſine termino, & non poſſit producere infinitũ actu. Dum opponitur: quidquid Deus poteſt facere excedit quemcumque numerum finitum, adeoque eſt infinitum; ſed Deus poteſt facere quidquid poteſt facere; ergo Deus poteſt facere infinitum: diſtinguo maiorem, quidquid poteſt facere, ſi ſumatur pro diſiuncto, & quocumque membro diſiuncti, eſt infinitum, nego; ſi ſumatur pro collectione, concebo, & diſtinguo minorem; Deus poteſt facere quidquid poteſt facere, ſumendo ly

quidquid pro singulis membris disiunc-ti, concedo minorem; sumendo ly *quidquid* pro collectione, nego minorem; & nego consequentiam. Eodem pacto respondeo ad propositiones illas, *Deus potest facere maximam Creaturam, quam potest facere*; nego enim suppositum talium propositionum. Supponunt enim id, quod est probandum, quod nimirum detur maximum, & perfectissimum eorum, quæ Deus potest facere. Et confirmatur manifestè, quia posset per hoc argumentum probari dari vltimum annum æternitatis, quia Deus potest facere vltimum annum, quem potest facere: posset probari dari maximum numerum finitum, quia Deus potest facere maximum numerum finitũ, quem potest facere, quæ sunt absurda.

Ad 3. Ex eo, quod quoties aliqua sunt possibilia seorsim, & nullum eorum habet repugnãtiam cum altero, possunt etiã poni simul, distinguo maiorem, si non repugnant ratione simultatis omnium, concedo maiorem; si repugnant ratione simultatis omnium, nego maiorem: distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Si decem homines sunt possibiles seorsim, & nullus eorum repugnet cum altero, poni possunt etiã simul, quia neque repugnant ratione simultatis, per quam constituunt numerum denariũ.

At

At in casu nostro, licet homines infiniti non habeant repugnantiam ad existendũ seorsim, neque ad existendum simul per collectiones finitas, adhuc habent repugnantiam ad existendum simul secundum collectionem infinitam ratione infinitatis, vt est probatum; ergo licet possint poni seorsim singulæ finitæ collectiones, adhuc non possunt poni simul secundum totam infinitatem.

Ad 4. Distinguo maiorem: virtus infinita debet posse producere effectum infinitum categorematicum, vel syncategorematicum, concedo; categorematicum, nego; concedo minorem; & distinguo eodem pacto consequens. Virtus infinita non debet posse facere chimeram; ostensum est autem infinitum categorematicũ, esse chimeram; ergo virtus infinita non debet posse facere infinitum categorematicum. Sufficit ergo, quod possit facere aliquid maius, & maius sine termino. Et sanè sicut si quis posset infinita facilitate ferre pondus maius, & maius sine termino, haberet manifestè infinitam virtutem ferendi, vtpotè sine proportione maiorem quacumque virtute finita, sic ex eo, quod Deus possit producere plura, & plura, maiora, & maiora sine termino, manifestè habet virtutem productiuam infinitam.

Dum

Dum vrgetur, quia causa debet posse
perari vbicumque est, distinguo; causa
perans per voluntatem, nego; non ope-
ans per voluntatem, sed purè ex neces-
tate naturæ, transeat. Causa operans
urè ex necessitate naturæ, vbicumque
st, & quãdocumque est operatur, cum
on sit maior ratio, cur operetur vno
otius tempore, vel loco, quam alio; at
ulla huiusmodi causa potest esse incor-
orea, vel infinita; causa ergo infinita
ebet esse incorporea, & operans per
oluntatem; & hæc sicut per voluntatem
imitat numerum, & tempus effectuum
roducendorum, ita limitat etiam ma-
nitudinem eorundem ex eadem ratio-
e. Hinc patet responsio ad exemplum
le igne. Nam ignis est causa corpòrea,
& operans ex necessitate naturę: at Deus
est virtus infinita operans per volunta-
tem, & per illam determinans effectum
ad certum numerum, tempus, & locum.
Addo, quod sicut ignis vbicumque, &
quandocumque est, producit in se per
actionem immanentem, & ex necessitate
naturę suam lucem, & per lucem suum
calorem, ita Deus vbicumque, & quan-
documque est, ex necessitate naturę pro-
ducit in se per actionem immanentem
suum Filium, & Verbum, qui est lux, &
splendor lucis ęternę, & per Filium
pro-

producit per aliam actionem immanenté Spiritum Sanctum, qui est amor, & sequitur ad Verbum, sicut calor sequitur ad lucem.

Ad 5. Nego mundum esse infinitum, & dico illum esse finitum, & terminatū. Dum vrgetur, quia terminus mundi est vltra quem nihil est aliud; sed ly *vltra* significat spatium; ergo datur spatium vltra mundum; distinguo minorem; ly *vltra* significat spatium purè cognitum, sed non existens actu, concedo; significat spatium non purè cognitum, sed actu existens, nego; & nego consequentiam. Vt sit verum, quod vltra mundum non est aliud corpus, non est necesse, vt ly *vltra* significet spatiū quoddam existens, sed sufficit, quod significet spatium cognitum, & negatum; sicut cum dicitur, quod prçter Deum Christianorum non est alius Deus, ly *alius Deus* non significat alium Deum existentem, sed solum alium Deum non existentem, immò nec possibilé existere, atque adeò purè cognitum, & negatum.

Dum vrgetur, quia si quis constitutus in mundi extremo, iaceret sagittam, si talis sagitta non moueretur vltra mundū, resisteret aliquod corpus, nego hoc, ac dico, quod non moueretur, non quia aliquod corpus resisteret, sed quia non esset

esset vltra mundum medium, per quod moueretur.

Dũ additur, quod videtur inintelligibile, quo pacto vltra vltimum mundi terminum non detur spatium actu existens, dico hanc imaginationem de spatijs vltra mundum fundari in eo, quod nos non videmus vllum corpus, quod non claudatur alio corpore maiori, ideoque etiam mundum concipimns tamquam corpus rotundũ vndique clausum. Sed hæc imaginatio corrigi debet per rationem.

Ad 6. Deus est infinitus, & merita Christi sunt infinita; sed ex hoc ipso habetur non posse dari infinitum compositum ex pluribus infinitatibus. Nam Deus est vnicum infinitum simplex, & indiuisibile, ac tres Personæ sunt quidem infinitæ, sed non sunt tria infinita, sed vnicum infinitum per vnicam infinitatem indiuisibilem essentiæ Diuinæ. Merita etiam Christi sunt infinita per vnicam infinitatem Diuini Verbi, à quo dignificantur. Debet autem aduerti, quod merita Christi secundum entitatem, & perfectionem creatam sunt finita, & limitata; ideoque duo actus Christi secundum perfectionem creatam, quam habent, sunt perfectiores vno, sicut totum est perfectius parte. At in quantum sunt infinita, includunt infinitam dignitatem Verbi Diuini, & in-

quantum illam includunt, duo merita non sunt maiora, quam vnum, quia vtrumque est infinitum, non duabus infinitatibus, sed vnica, & indiuisibili infinitate Verbi Dei.

Potest opponi: ex Diuina infinitate sequitur, quod totum non sit maius parte; ergo de infinito non est verum, quod totum sit maius parte. Probatur antecedens: nam collectio ex Deo, & mundo simul est totum, Deus autem est pars huius collectionis; sed collectio ex Deo, & mundo non est perfectior, ac melior Deo tantum; ergo totum non est melius parte.

Respondeo, sequitur, quod totum purè extensiuum non sit maius extensiuè, quam pars, nego; quod non sit maius intensiuè, quam pars, concedo; & nego consequentiam. Collectio ex Deo, & mundo est totum quoddam purè extensiuum, quia per additionem mundi perfectio Dei non augetur, neque intenditur, sed purè quodammodo extenditur, in quantum additur aliqua perfectio distincta à perfectione Diuina; ideò hoc totum est quodammodo perfectius extensiuè, quia dicit non solum perfectionem Diuinam, sed etiam perfectionem mundi, & nullo pacto est perfectius intensiuè. Totum autem est maius parte secundum illam

illam rationem, secundum quam aliquid addit supra partem. Addo, quod Deus non est propriè pars, quia pars est aliquid imperfectum, Deus autem est perfectissimus, & continet intensiuè, & eminenter totam perfectionem collectionis ex Deo, & mundo, immò ex Deo, & pluribus mundis, cum habeat adęquatissimam virtutem, & sufficientiam ponendi tales collectiones. Addo, quod aggregatum aliquando potest esse imperfectius aliquo contento in tali aggregato, si aggregatum addat non solam perfectionem, sed etiam imperfectionem supra id, quod continetur in tali aggregato. Cum ergo aggregatum ex Deo, & mundo addat supra Deum, qui est pura perfectio, magnam imperfectionem mundi, potest esse imperfectius Deo solo, qui est perfectissimus. Videtur enim, quod id, quod vltra perfectionem addit imperfectionem, non sit ita perfectum, sicut id, quod dicit puram perfectionem continentem eminenter omnem perfectionem sine vllo defectu.

Dum opponuntur alia infinita, quæ videntur dari, cuiusmodi sunt infinitas partium in continuo, & infinitas negationum, ac infinitas numerorum, respondeo, quod de infinitate continui agetur inferius; de infinitate negationum dictum

est in Logica, quod negationes actiuæ, quę dantur, sunt solum finitę; de infinitate numerorum actum est in hac quęstione, ostendendo, quod sunt infiniti syncategorematicè, hoc est plures, & plures sine termino, non autem sunt infiniti categorematicè. Dum demum opponitur, quod mathematici assumunt lineam infinitam: respondeo cum Aristotele, & S. Thoma, quod nomine lineę infinitę intelligunt lineam productam quantumcumque voluerimus, ita vt habeat illam proportionem ad alias lineas datas, qua proportione indigent ad suam demonstrationem.

QVAESTIO XXXV.

Vtrum solus Deus sit infinitus in essentia, & perfectione.

VIdetur primo, quod Deus non sit infinitus in essentia: quod enim ita est hic, vt non sit alibi, est finitum secundum locum; ergo quod ita est hoc, vt non sit aliud, est finitum secundum essentiam; sed Deus ita est hoc ens, vt non sit aliud ens; neque enim Deus est lapis, vel equus; ergo

ergo Deus non est infinitus secundum essentiam.

2. Non potest explicari, in quo consistat infinitas essentiæ, an in hoc, quod æquiualeat infinitis; an potius in hoc, quod non possit habere maius, vel æquale.

3. Videtur, quod etiam creaturæ possint esse infinitæ secundum essentiam. Nam ideò Deus est infinitus, quia ęquiualet infinitis creaturis; sed etiam multæ creaturę ęquiualent infinitis entibus, e. g. vnicus homo ęquiualet infinitis, immò omnibus brutis, cum omnia bruta possibilia non adęquent perfectionem vnici hominis, vel Angeli; ergo quędam creaturę habent perfectionem infinitam.

4. Posset dari cognitio aliqua creata cognoscens distinctè infinita, immo multi Theologi docent, quod de facto Christus habet distinctam cognitionem creatam infinitarum creaturarum; sed cognitio cognoscens distinctè infinita æquiualet quoad perfectionem infinitis cognitionibus talium obiectorum, atque adeò est infinita in perfectione; ergo potest dari infinitum creatum in perfectione.

Respondeo ex S.Th. 1 p.quæst. 7. art. primo infinitum esse, quod non habet finem, à quo finiatur, & limitetur. Constat autem inductione, quod potentia, seu ma-

teria terminatur, ac finitur per formam, seu actum, actus autem, seu forma terminatur per materiam, & subiectum: e. g. materia prima secundum se habet quamdam infinitatem potentialem, per quam potest fieri omnia corpora; potest enim per formam hominis fieri homo, per formam equi fieri equus &c. finitur autem, ac contrahitur per formam, & per formam hominis contrahitur, ac terminatur ad hoc, vt sit homo, per formam equi contrahitur ad hoc, vt sit equus; quantitas etiam secundum se habet quandam infinitatem, per quam est figurabilis infinitis figuris, & potest constitui rotunda, quadrata, triangularis &c. & per figuram, quæ est forma quantitatis, contrahitur, & terminatur ad hoc, vt sit rotunda, vel quadrata; & si quantitas non terminaretur per vllam figuram, eo ipso remaneret cum quadam infinitate; formæ etiam materiales terminantur, ac contrahuntur per hoc, vt sint in materia, ideoque Anima rationalis, quæ potest separari à materia, & Angeli, qui sunt abstracti penitus à materia, habent quamdã infinitatem, per quam intelligendo possunt fieri omnia. Confirmatur inductio ex abstractione per intellectum. Eo enim ipso, quod formæ per intellectum abstrahantur à materia, acquirunt quandam

infi-

infinitatem, e.g. albedo abstracta eo ipso est vniuersalis, & communicabilis infinitis subiectis; ergo verè formæ contrahũtur à subiecto, & per abstractionem à subiecto accedunt ad infinitatem; sed esse est forma, & actus, cum sit maximè actuale, & formale, vt patet; omne enim potentiale actuatur, & formatur per esse; ergo esse eo ipso, quod sit omninò abstractum, ac separatum ab omni materia, potentia, ac subiecto, est infinitum; sed Diuinum esse est penitus separatum ab omni materia, potentia, ac subiecto, cum sit esse non receptum in alio, sed per se omninò subsistens, neque in Deo distinguatur esse, & id quod est, vel essentia, & existentia; ergo Diuinum esse est penitus infinitum, & interminatum; ergo Deus est infinitus in essentia, & in perfectione, quæ consequitur essentiam. Ex hac infinitate sequitur infinitas virtualis, per quam ex esse Diuino vtpotè vndique interminato possunt accipi plura, & plura esse sine termino, quam infinitatem explicauimus quæst. 32. in responsione ad tertium. Rursus sequitur infinitas consistens in hoc, quod non possit excogitari quidquam maius Deo, absque eo quod videatur id apertè implicare. Sicut enim si sit corpus vndique infiguratum, atque adeò interminatum figura, non possumus

cogitare corpus maius, quin in eo videamus implicantiam, sic si sit quoddam esse vndique interminatum, & illimitatum, non possumus absque contradictione excogitare maius ens.

Ad 1. Quod ita est hic, vt nō sit alibi, est finitum secundum locum; ergo quod ita est hoc, vt non sit aliud, est finitum secundū essentiam; distinguo consequens, si ly *esse hoc* significet contractionem, & limitationem essendi, concedo; si significat illimitationem omnimodam, nego. Dum dicitur, quod aliquid est hoc ens, ly hoc potest significare omnimodam illimitationem, vt sensus sit *est ens vndique illimitatum*, & tunc proculdubio quod est hoc, non est finitum, sed infinitum: potest etiam significare quandam determinationem, & restrictionem essendi, & tunc quod ita est hoc, vt non sit aliud, est finitum. Hęcceitas Dei, per quam est hoc ens, significat omnimodam illimitationem; ergo non limitat Deum, licet hæcceitates creaturarum limitent creaturas. Cum igitur dicitur, quod Deus non est equus, non est leo &c. sensus est, quod Deus non limitatur limitatione equi, limitatione leonis &c. ideoque semper differt à quacumque creatura, & à quocumque alio ente, sicut illimitatum à limitato.

Ad 2. Iam explicatum est, in quo consistat


sistat infinitas essentiæ. Consistit enim in hoc, vt sit esse illimitatum. Ex hac verò infinitate sequitur etiam infinitas virtualis, per quam æquiualet perfectè pluribus, & pluribus entitatibus, & infinitas consistens in hoc, vt non possit excogitari quidquam maius, vel æquale sine contradictione.

Ad 3. Ex eo, quod multæ creaturæ æquiualent perfectè infinitis creaturis; ergo sunt infinitè perfectæ; nego antecedens. Vt enim vnum æquiualeat perfectè pluribus, non sufficit, vt sit perfectius illis etiam simul sumptis, sed debet continere in se totam perfectionem illorum; sed vnicus homo, licet sit perfectior omnibus brutis, adhuc non continet perfectionem brutorum perfectè, cum non habeat robur leonis, odoratum canis &c; ergo homo non æquiualet brutis perfectè; ergo non est infinitè perfectus. Solum igitur habet perfectionem altioris ordinis. Perfectio autem altioris ordinis consistit in hoc, vt licet aliquid non contineat perfectè totam perfectionem plurium, adhuc non possit ab illis adæquari. In hoc sensu linea est altioris ordinis, quam punctum; nam puncta neque finities, neque infinities multiplicata possunt adæquare lineā; superficies est altioris ordinis, quam lineæ, quia lineæ, neque infinities replica-

tæ possunt adæquare superficiem; corpus est altioris ordinis, quam superficies ex eadem ratione; peccatum mortale est altioris ordinis, quam peccatum veniale, quia infinita peccata venialia non possunt adæquare malitiam vnici peccati mortalis, & tamen peccatum mortale non habet malitiam simpliciter infinitam, quia non continet perfectè, sed solum imperfectè malitiam peccatorum venialium. Argumentum autem calculatorium in his materijs non infert infinitatem, quia ad inferendam infinitatem requiritur perfecta continentia, sed solum infert aliquid altioris ordinis, vt patere potest exemplis allatis. Addo non solum creaturam non æquiualere perfectè infinitis, sed neque duobus. Ratio est, quia quælibet creatura importat aliquam perfectionem specificam, vel indiuidualem, qua caret quælibet alia; ergo nulla creatura continet perfectè perfectionem alterius, cum non contineat perfectionem indiuidualē illius. Solet quæri, vtrum saltem inter creaturas detur omnium perfectissima. Respondeo negatiuè, quia cum distantia cuiuscumque creaturæ à Deo sit infinita, eo ipso sunt possibiles creaturæ perfectiores, & perfectiores sine termino.

v Ad 4. Primo dico, quod licet daretur cognitio creata cognoscens distinctè infi-

infinita, adhuc non æquiualeret perfectè finitis, quarum singulæ cognoscerent vnū ex ijs, ex allata ratione. Secundo dico probabile esse, quod repugnet cognitio creata distincta cognoscens infinita. Sint enim duę cognitiones creatæ, quarum vna, quæ vocetur A cognoscat vnam infinitatem hominum; alia, quæ vocetur B, cognoscat aliam infinitatem æquali omninò claritate; istę cognitiones essent æquales in perfectione. Sit tertia cognitio, quę vocetur C, cognoscens infinitatem cognitam cognitione B, excepto vnico homine; ista cognitio C esset æqualis cognitioni B cognoscenti eandem infinitatem, incluso tali homine, quia esset æqualis eidem tertię cognitioni. Quod verò cognitio C sit ęqualis cognitioni A, probatur, quia cognoscunt æquali claritate duas infinitates contradistinctas. Sed est absurdum, quod duæ cognitiones sint ęquales in perfectione, si vna cognoscat totum id, quod cognoscit altera, & aliquid aliud; ergo est absurdum, quod cognitio B, & cognitio C sint ęqualis perfectionis.



De Quantitate, & Continuo.

QVAESTIO XXXVI.

Vtrum Quantitas sit accidens speciale.

VIdetur vera esse sententia Nominalium, & aliorum, quod quantitas molis non sit accidens speciale distinctum à substantia, & à cæteris accidentibus, sed quod tum substantia, tum accidentia per seipsa sint quanta, ita vt per seipsa habeant partes distinctas, & postulent, vt tales partes localiter extendantur, & ponatur vna extra aliam; e. g. substantia panis per seipsam est quanta, & per seipsam habet partes distinctas, & postulat, vt tales partes non penetrentur localiter, sed vna sit extrà aliam; calor panis, color, sapor, & cętera accidentia per seipsa sunt quanta ex eadem ratione; ex quo colligunt, quod in composito tot sunt quantitates, quot entitates materiales, & quod plures quantitates inuicem penetrantur, & quod in Eucharistia non remanet quantitas identificata cum substantia panis, sed solum quantitas identifi-

tifi-

tificata cum accidentibus: 1. quia si esse vlla necessitas ponendi quantitatem molis distinctam à substantia, & cęteris accidentibus, vel ex ratione naturali, vel ex mysterio Eucharistiæ: non ex ratione naturali, quia nullum habemus naturale indicium talis distinctionis; non ex mysterio Eucharistiæ, quia licet in Eucharistia remaneat quantitas, tamen remanet sola quantitas identificata cum accidentibus, non autem quantitas identificata cum substantia panis.

2. Si quis esset effectus formalis quantitatis distinctæ, vel esset dare substantiæ, & cæteris accidentibus distinctionem partium, & contra est, quia substantia, & cætera accidentia per seipsa, & per suam actualitatem habent partes distinctas; vel esset localiter extendere partes in spatio; & contra est, quia partes extenduntur in loco formaliter per vbicationem, non per quantitatem; vel esset reddere partes impenetrabiles inuicem, & cum aliis partibus, & contra est, quia partes substantiæ materialis per seipsas, & per suam materialitatem ante omne accidens reddi possunt formaliter impenetrabiles; ergo non est vllus effectus formalis quantitatis distinctæ.

3. Si Deus conseruaret substantiam sine quantitate, adhuc substantia remane-

ret

et cum partibus extensis, ac nòn pene-
ratis; ergo quantitas non requiritur ad
oc,vt partes substantiæ non penetrētur.
4. Non potest explicari, vtrum sub-
antia sit subiectum immediatum aliorum
ccidentium, vel non, sed sit subiectum
nmediatum solius quantitatis, cætera
erò accidentia recipiantur immediatè in
ola quantitate; vtrum quantitas concur-
at ad sustentanda cætera accidentia; er-
o &c.

Respondeo Aristotelem vbique doce-
e, quod quantitas est accidens à substan-
ia distinctum. Nam præterquamquod
ecundo Metaph. tex.17. & latius lib.13.
& 14. Metaphys. probat ex professo quā-
itatem non esse substantiam, septimo
Metaphys.tex.octauo ait; *longitudo, latitu-
do, & profunditas quantitates quædam sunt,
sed non substantia. Quantitas enim non est
substantia, sed magis cui hæc primo insunt.*
Aristotelem sequuntur Auerroes, & alij
Interpretes, ac omnes penè Philosophi,
ac Theologi; S. Thomas tertia parte
quęst.77. art. 2. Scotus in quarto dist.12.
quęst.secunda, & alij, quos refert, ac se-
quitur Suarius disp. 40. metaph. sect. se-
cunda. Ratio naturalis, quæ mouit Ari-
stotelem ad ponendam distinctionem
quantitatis à substantia, & cæteris acci-
dentibus, est quia videmus in rebus ma-
teria-

terialibus, e.g. in lapide molem quandam sensibilem primo, & per se longam, latã profundam, primo & per se localiter extensam in spatio, cuius partes respuunt penetrari inter se, ita vt vna medietas molis penetrari non possit cum alia medietate, neque cum alijs molibus, sed omnes moles se inuicem expellant ab eodem loco; videmus hanc molem primo, & per se localiter moueri, & transferri ex vno loco in alium, primo, & per se diuidi sed hæc moles primo, & per se sensibilis distinguitur à substantia, & à cęteris accidentibus; à substantia quidem, quia substantia secundum se est insensibilis, hęc autem moles est sensibilissima; & confirmatur, quia in Eucharistia remanet moles, vt patet ad sensum, substantia autem non remanet, vt est de fide; à cæteris verò accidentibus, quia albedo, calor &c. non sunt primo, & per se longa, lata, & profunda, sed per accidens ratione molis, in qua sunt; non mouentur primo, & per se, sed per accidens ad motum molis, qua deferuntur; non possunt diuidi primo, & per se, sed per accidens ad diuisionem molis; rursus albedo, calor &c. habent partes secundum se penetrabiles, vt patet, quia plures gradus albedinis, aut caloris penetrantur in eadem parte subiecti, sed albedo, & calor redduntur impenetra-

ret cum partibus extensis, ac nòn penetratis; ergo quantitas non requiritur ad hoc, vt partes substantiæ non penetrētur.

4. Non potest explicari, vtrum substantia sit subiectum immediatum aliorum accidentium, vel non, sed sit subiectum immediatum solius quantitatis, cætera verò accidentia recipiantur immediatè in sola quantitate; vtrum quantitas concurrat ad sustentanda cætera accidentia; ergo &c.

Respondeo Aristotelem vbique docere, quod quantitas est accidens à substantia distinctum. Nam præterquamquod secundo Metaph. tex. 17. & latius lib. 13. & 14. Metaphys. probat ex professo quātitatem non esse substantiam, septimo Metaphys. tex. octauo ait; *longitudo, latitudo, & profunditas quantitates quædam sunt, sed non substantia. Quantitas enim non est substantia, sed magis cui hæc primo insunt.* Aristotelem sequuntur Auerroes, & alij Interpretes, ac omnes penè Philosophi, ac Theologi; S. Thomas tertia parte quęst. 77. art. 2. Scotus in quarto dist. 12. quęst. secunda, & alij, quos refert, ac sequitur Suarius disp. 40. metaph. sect. secunda. Ratio naturalis, quæ mouit Aristotelem ad ponendam distinctionem quantitatis à substantia, & cæteris accidentibus, est quia videmus in rebus materia-

terialibus, e. g. in lapide molem quandam sensibilem primo, & per se longam, latã profundam, primo & per se localiter extensam in spatio, cuius partes respuunt penetrari inter se, ita vt vna medietas molis penetrari non possit cum alia medietate, neque cum alijs molibus, sed omnes moles se inuicem expellant ab eodem loco; videmus hanc molem primo, & per se localiter moueri, & transferri ex vno loco in alium, primo, & per se diuidi; sed hæc moles primo, & per se sensibilis distinguitur à substantia, & à cęteris accidentibus; à substantia quidem, quia substantia secundum se est insensibilis, hęc autem moles est sensibilissima; & confirmatur, quia in Eucharistia remanet moles, vt patet ad sensum, substantia autem non remanet, vt est de fide; à cæteris verò accidentibus, quia albedo, calor &c. non sunt primo, & per se longa, lata, & profunda, sed per accidens ratione molis, in qua sunt; non mouentur primo, & per se, sed per accidens ad motum molis, qua deferuntur; non possunt diuidi primo, & per se, sed per accidens ad diuisionem molis; rursus albedo, calor &c. habent partes secundum se penetrabiles, vt patet, quia plures gradus albedinis, aut caloris penetrantur in eadem parte subiecti, sed albedo, & calor redduntur impenetra-

tra-

trabiles secundum suas partes ratione molis, in qua sunt; ergo quantitas, seu moles sensibilis distinguitur à substantia, & cæteris accidentibus. Hinc patet falsum esse, quod in composito tot sint quantitates, quot entitates materiales. Constat enim in composito esse vnicam molem sensibilem, vt dictum est. Patet etiam falsum esse, quod in Eucharistia non remanet quantitas substantiæ. Nam remanet moles sensibilis sensibiliter affecta cæteris accidentibus primo, & per se mobilis, diuisibilis &c. Ideò S. Thomas tertia parte quæst. 77. habet. *Respondeo dicendum, quod necesse est dicere accidentia alia, quæ remanent in hoc Sacramento, esse sicut in subiecto in quantitate dimensiua panis, vel vini remanente; primo quidem per hoc, quod ad sensum apparet aliquod quantum esse ibi coloratum, & alijs accidentibus affectum, nec in talibus sensus decipitur.*

Ad 1. Pro distinctione quantitatis à substantia est ratio naturalis ex eo, quod quantitas sit moles primo, & per se sensibilis, & impenetrabilis cum alia mole, diuisibilis &c. substantia verò non est sensibilis per se, sed solum per accidens: ideoque Aristoteles secundo de Anima text. 65. ait, substantiam esse sensibilem per accidens, quantitatem per se. Confirmatur ratione Theologica ex Eucharistia,

ristia, in qua remanet moles sensibilis, substantia non remanet.

Ad 2. Effectus formalis quantitatis nō est tribuere substantię distinctionem metaphysicam partium; nam partes substantię distinguuntur per seipsas. Effectus igitur formalis quantitatis est tribuere substantiæ, & cæteris accidentibus distinctionem quasi physicam, per quam possint sensibiliter diuidi. Si enim lignum e. g. careret quantitate, adeoque esset penetrabile, eo ipso non posset diuidi serra, vel cultro, aut alio instrumento, quia cum conaremur tale lignum diuidere, ferrum penetraretur cum ligno indiuiso, & conatum eluderet; ergo per quantitatem molis dantem partibus substantiæ impenetrabilitatem, communicatur illis diuisibilitas sensibilis. Hinc patet sensus definitionis, qua Aristoteles definit quantum 5.metaph.cap.13.dicens: *Quantum, est, quod est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vtrumque, vel vnumquodque vnum quid, & hoc aliquid aptum est esse.* Debet enim intelligi, quod quantum ratione quantitatis est diuisibile sensibiliter modo explicato. Concedo etiam, quod effectus formalis quantitatis non est partes extēdere in spatio locali, cum hic sit effectus vbicationis. Est igitur effectus formalis quantitatis, vt sit moles primo, & per se impe-

impenetrabilis cum alia mole, & constans ex partibus inuicem impenetrabilibus, ideoque postulans, vt vna pars ponatur localiter extra aliam. Talis autem moles est primo, & per se receptiua motus, vbicationis, & aliorum accidentium, vt explicatum est. Debet autem aduerti, quod licet miraculosè vnum corpus penetretur cum alio, remanent quanta, quia quantitas consistit non in actuali impenetratione, sed in mole postulante impenetrationem, quę moles remaneret.

Ad 3. Si Deus miraculosè conseruaret substantiam sine quantitate, possent partes substantiæ remanere localiter extensę, ac non penetratę, quia actualis impenetratio non habetur formaliter à quantitate, sed ab vbicatione, per quam vna pars sit localiter extra aliam. Sed licet remanerent actu impenetratę, essent penetrabiles tum inter se, tum cum alijs corporibus, cum carerent mole, cui primo conuenit impenetrabilitas. Addit S. Thomas, quod tum partes substantiæ possent ità inuicem penetrari, vt non facerent extensionem, sed redigerentur ad punctum, quia actualis extensio debetur substantię solum ratione quantitatis, qua tunc careret.

Ad 4. Communior opinio docet quantitatem recipi immediatè in substantia, cæte-

cętera accidentia recipi immediatè in quantitate molis, seu dimensionibus. Videtur autem id patere ad sensum, vt docet S. Thomas verbis citatis. Nam videmus, quod moles sensibilis primo, & per se mouetur, vbicatur, dealbatur, calefit, &c ergo accidentia Eucharistica primo, & per se recipiuntur immediatè in mole sensibili, hoc est in quantitate, cum in Eucharistia videamus molem sensibilem figurari, moueri &c. Hinc patet multiplex discrimen inter quantitatem, & alia accidentia Eucharistica. Primo quantitas diuina virtute remanet sine vllo subiecto; cætera accidentia remanent subiectata in quantitate. Secundo quantitas acquirit modum essendi, quo existit per se, & extrà subiectum, atque adeo ad modum substantiæ; cętera accidentia, cum subiectentur in quantitate, non acquirunt talem modum essendi. Tertio quantitas per modum essendi ad modum substantiæ euadit vicesubstantia, vt ex S. Thoma contra Scotum docet Caiet. in 3. partem quęst. 77. art. 14. quia cum modo essendi substantiæ acquirit virtutem substantię in ordine ad sustentationem, atque eductionem cęterorum accidentium: ex quo saluatur, quo pacto possint agentia naturaliter calefacere, frigefacere, & mouere Eucharistiam; educuntur enim hæc

acci-

accidentia ex potentia, non quidem substantię, & materiæ, sed vicesubstantię, ac vicematerię, hoc est quantitatis existentis ad modum substantię. Quarto patet, quo pacto modus essendi, quem habet quantitas, conueniat essentię accidentis, quę est, vt sit entis ens, aut substantię ens. Ratio est, quia sufficit ad accidens, quod sit ens substantię, vel vicesubstantię. Vltimo demnm patet id, quod diximus cap. de Vnione, quod accidentia dum conseruantur extrà subiectum, habent diuersum esse, ac habeant in subiecto, esse doctrinam expressam S. Thomæ prima parte quęst. 77. art. primo ad quartum: *Dicendum, quod accidentia dum erant in sustantia panis, & vini, non habebant ipsa esse, sed substantia habebat esse per ea; sed cum consecrantur, post consecrationem ipsa accideutia habent esse, vnde sunt composita ex esse, & quod est.*

QVAESTIO XXXVII.

Vtrum Continuum componatur ex indiuisibilibus secundum magnitudinem.

VIdetur vera esse sententia Zenonis, & plurium antiquorum, quam vtpotè

tè omnium clarissimam omnes vellent sequi, si inuenirent modum soluendi argumenta, quibus premitur, quod omne continuum componatur ex finitis indiuisibilibus carentibus omni magnitudine, ita vt non possit esse quidquam minus ipsis, quæ vocantur indiuisibilia mathematica; e.g. quod tempus componatur ex solis instantibus indiuisibilibus, ita vt non possit in illis esse vlla pars nec excogitari quicquam minus instanti, eo quod instans sit ipsum minimum carens magnitudine: similiter, quod magnitudines permanentes componantur ex punctis omninò indiuisibilibus, atque carentibus omni magnitudine, & extensione, ita vt nihil possit esse minus puncto: sicut igitur numerus componitur ex finitis vnitatibus indiuisibilibus, sic tempus componitur ex finitis instantibus indiuisibilibus, magnitudines ex finitis punctis, e.g hora componitur ex millione instantium linea palmaris constat ex mille punctis mille lineę faciunt superficiem quadratam, cuius singula latera sint palmaria mille superficies faciunt corpus cubicum, & sic de alijs &c. 1. quia hoc pacto optimè, & clarissimè percipitur compositio continui alioquin imperceptibilis.

2. Omnis multitudo est multitudo vnitatum;

tum; sed continuum est multitudo partiũ; ergo continuum est multitudo vnitatum; sed si omnes partes continui essent diuisibiles, omnes partes continui essent multitudo aliarum partium, nec vnquam deueniretur ad vnitatem, quæ non esset multitudo; ergo continuum esset multitudo multitudinum sine termino, nunquam deueniendo ad vnitatem, quæ non esset multitudo multitudinum.

3. Et est argumentum Zenonis, quod vocatur Achilles argumentorum. Si continuum esset diuisibile in infinitum, esset impertransibile: infinitę enim partes, quarum vnaquęque debet pertransiri post aliam, pertransiri nequeunt tempore finito; sed in magnitudine palmari e.g. darentur infinitę partes, quarum vnaqnęque deberet pertransiri post aliam; nam antequam mobile pertranseat totum palmum, pertransire debet medietatem palmi, antequam pertranseat medietatem, debet pertransire medietatem medietatis, seu quartam partem palmi; antequam pertranseat quartam partem, debet pertransire octauam partem palmi, & sic in infinitum; ergo magnitudo palmaris non potest pertransiri. Neque respondeas cum Aristotele hic tex. 19. infinitas partes magnitudinis posse pertransiri infinitis partibus temporis. Nam vt ipsemet Aristote-

ſtoteles fatetur lib.8. tex.68. hęc reſponſio transfert difficultatem à magnitudine ad tempus. Sequeretur enim, quod hora pertranſiri non poſſet. Nam antequam transeat hora, debet tranſire ſemihora, ante ſemihoram quadrans, ante quadrantem ſemiquadrans, & ſic in infinitum; ergo hora non poſſet pertranſiri. Non enim poſſunt pertranſire infinitę partes vna poſt aliam, ſeu ſint ęquales vni certę, ſeu non, ſed minores, & minores. Nam impertranſibilitas non oritur ex æqualitate, ſed ex infinita multitudine partium, quarum vna debet pertranſiri poſt aliam.

4. Si in continuo dantur indiuiſibilia, componitur ex indiuiſibilibus; ſed in tempore dantur inſtantia indiuiſibilia, in magnitudine puncta, lineę, & ſuperficies indiuiſibiles, vel omninò, vel ſecundum aliquam diuiſionem; ergo continuum conſtat ex indiuiſibilibus.

5. Demonſtrationes Ariſtotelis valent ſolum contra compoſitionem continui ex indiuiſibilibus finitis; ergo poſſumus ſaltem concedere, quod conſtet ex indiuiſibilibus infinitis.

Reſpondeo Ariſtotelem, quem ſequuntur omnes Peripatetici cum Mathematicis lib.6.phyſ.demōſtrare primo ex ipſa definitione continui, quod continuum permanens non componatur ex indiuiſibili-

bilibus: secundo quod eadem sit ratio de motu, & tempore, quę sunt continua fluentia: tertio demonstratiuè concludere ex velocitate motus, quod nullum omninò continuum componatur ex indiuisibilibus.

A textu igitur primo vsque ad quintũ sic arguit. Si continuum componeretur ex indiuisibilibus, e.g. linea ex punctis, vel ita componeretur, vt indiuisibilia essent inter se continua, vel vt essent contigua, vel vt se haberent consequenter secundũ definitiones allatas quinto physic. tex. 25. nullũ ex his dici potest; ergo &c. Probat minorem, & primo, quod linea componi non possit ex punctis, quæ sint, continua, vel contigua. Continua enim sunt *quorum extrema sunt vnum*; contigua *quorum extrema sunt simul*; sed quod partibus caret non habet extremum; vt enim aliquid habeat extremitatem, debent in eo distingui extremitas, & quod habet extremitatem; ergo puncta neque possunt esse continua, neque contigua. Confirmatur, nam si duo puncta se tangunt, vel se tangunt secundum se tota, vel secundum partem; non secundum partem, cum partibus careant; ergo secundum se tota; sed quæ tangunt se secundum se tota, sunt simul, & non separata loco, sed penetrata; penetratio enim duorum

duorum est, per quam vnum penetrat, a tangit totaliter aliud, ita vt nihil sit quod non tangat, ea verò, quæ penetrantur, non faciunt extensionem, & continuitatem, cum partes continuę debean esse localiter separatæ; ergo duo puncta se inuicem tangentia non faciunt continuum. Adde, quod si secundum punctum tangit primum, tertium etiam, quartum & omnia alia tangunt primum. Quod enim tangit totaliter aliud in eo ipso in quo illud tangit totaliter quoddam tertium, eo ipso tangit illud tertium; sed tertium punctum tangeret totaliter secundum, & secundum tangeret primum secundum se totum, sicut secundum se totum tangitur à tertio; ergo tertium punctum tangeret primum, & sic de cæteris; sed si centum puncta sint ita posita, vt omnia se totaliter tangant, non possunt facere extensionem, vel lineam continuam palmarem e. g; ergo linea continua non potest constare ex punctis se tangentibus. Ex eadem ratione superficies non potest constare ex lineis indiuisibilibus secundum latitudinem se tangentibus, quia tales lineæ penetrarentur in latitudine, vtpotè se totaliter tangentes, adeoque non facerent extensionem latitudinis; nec profunditas constare potest ex pluribus superficiebus.

ret cum partibus extensis, ac nòn penetratis; ergo quantitas non requiritur ad hoc, vt partes substantiæ non penetrẽtur.

4. Non potest explicari, vtrum substantia sit subiectum immediatum aliorum accidentium, vel non, sed sit subiectum immediatum solius quantitatis, cætera verò accidentia recipiantur immediatè in sola quantitate; vtrum quantitas concurrat ad sustentanda cætera accidentia; ergo &c.

Respondeo Aristotelem vbique docere, quod quantitas est accidens à substantia distinctum. Nam præterquamquod secundo Metaph. tex. 17. & latius lib. 13. & 14. Metaphys. probat ex professo quãtitatem non esse substantiam, septimo Metaphys. tex. octauo ait; *longitudo, latitudo, & profunditas quantitates quædam sunt, sed non substantia. Quantitas enim non est substantia, sed magis cui hæc primo insunt.* Aristotelem sequuntur Auerroes, & alij Interpretes, ac omnes penè Philosophi, ac Theologi; S. Thomas tertia parte quęst. 77. art. 2. Scotus in quarto dist. 12. quęst. secunda, & alij, quos refert, ac sequitur Suarius disp. 40. metaph. sect. secunda. Ratio naturalis, quæ mouit Aristotelem ad ponendam distinctionem quantitatis à substantia, & cæteris accidentibus, est quia videmus in rebus materia-

terialibus, e.g. in lapide molem quandam sensibilem primo, & per se longam, latã profundam, primo & per se localiter extensam in spatio, cuius partes respuunt penetrari inter se, ita vt vna medietas molis penetrari non possit cum alia medietate, neque cum alijs molibus, sed omnes moles se inuicem expellant ab eodem loco; videmus hanc molem primo, & per se localiter moueri, & transferri ex vno loco in alium, primo, & per se diuidi; sed hæc moles primo, & per se sensibilis distinguitur à substantia, & à cęteris accidentibus; à substantia quidem, quia substantia secundum se est insensibilis, hęc autem moles est sensibilissima; & confirmatur, quia in Eucharistia remanet moles, vt patet ad sensum, substantia autem non remanet, vt est de fide; à cæteris verò accidentibus, quia albedo, calor &c. non sunt primo, & per se longa, lata, & profunda, sed per accidens ratione molis, in qua sunt; non mouentur primo, & per se, sed per accidens ad motum molis, qua deferuntur; non possunt diuidi primo, & per se, sed per accidens ad diuisionem molis; rursus albedo, calor &c. habent partes secundum se penetrabiles, vt patet, quia plures gradus albedinis, aut caloris penetrantur in eadem parte subiecti, sed albedo, & calor redduntur impene-

trà-

rabiles secundum suas partes ratione molis, in qua sunt; ergo quantitas, seu moles sensibilis distinguitur à substantia, & cæteris accidentibus. Hinc patet falsum esse, quod in composito tot sint quantitates, quot entitates materiales. Constat enim in composito esse vnicam molem sensibilem, vt dictum est. Patet etiam falsum esse, quod in Eucharistia non remanet quantitas substantiæ. Nam remanet moles sensibilis sensibiliter affecta cæteris accidentibus primo, & per se mobilis, diuisibilis &c. Ideò S. Thomas tertia parte quæst. 77. habet. *Respondeo dicendum, quod necesse est dicere accidentia alia, quæ remanent in hoc Sacramento, esse sicut in subiecto in quantitate dimensiua panis, vel vini remanente; primo quidem per hoc, quod ad sensum apparet aliquod quantum esse ibi coloratum, & alijs accidentibus affectum, nec in talibus sensus decipitur.*

Ad 1. Pro distinctione quantitatis à substantia est ratio naturalis ex eo, quod quantitas sit moles primo, & per se sensibilis, & impenetrabilis cum alia mole, diuisibilis &c. substantia verò non est sensibilis per se, sed solum per accidens: ideoque Aristoteles secundo de Anima text. 65. ait, substantiam esse sensibilem per accidens, quantitatem per se. Confirmatur ratione Theologica ex Eucharistia,

ristia, in qua remanet moles sensibilis, substantia non remanet.

Ad 2. Effectus formalis quantitatis nō est tribuere substantię distinctionem metaphysicam partium; nam partes substantię distinguuntur per seipsas. Effectus igitur formalis quantitatis est tribuere substantiæ, & cæteris accidentibus distinctionem quasi physicam, per quam possint sensibiliter diuidi. Si enim lignum e. g. careret quantitate, adeoque esset penetrabile, eo ipso non posset diuidi serra, vel cultro, aut alio instrumento, quia cum conaremur tale lignum diuidere, ferrum penetraretur cum ligno indiuiso, & conatum eluderet; ergo per quantitatem molis dantem partibus substantiæ impenetrabilitatem, communicatur illis diuisibilitas sensibilis. Hinc patet sensus definitionis, qua Aristoteles definit quantum 5.metaph.cap.13.dicens: *Quantum est, quod est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vtrumque, vel vnumquodque vnum quid, & hoc aliquid aptum est esse*. Debet enim intelligi, quod quantum ratione quantitatis est diuisibile sensibiliter modo explicato. Concedo etiam, quod effectus formalis quantitatis non est partes extēdere in spatio locali, cum hic sit effectus vbicationis. Est igitur effectus formalis quantitatis, vt sit moles primo, & per se impe-

mpenetrabilis cum alia mole, & constans ex partibus inuicem impenetrabilibus, ideoque postulans, vt vna pars ponatur localiter extra aliam. Talis autem moles est primo, & per se receptiua motus, vbicationis, & aliorum accidentium, vt explicatum est. Debet autem aduerti, quod licet miraculosè vnum corpus penetretur cum alio, remanent quanta, quia quantitas consistit non in actuali impenetratione, sed in mole postulante impenetrationem, quę moles remaneret.

Ad 3. Si Deus miraculosè conseruaret substantiam sine quantitate, possent partes substantiæ remanere localiter extensę, ac non penetratę, quia actualis impenetratio non habetur formaliter à quantitate, sed ab vbicatione, per quam vna pars sit localiter extra aliam. Sed licet remanerent actu impenetratę, essent penetrabiles tum inter se, tum cum alijs corporibus, cum carerent mole, cui primo conuenit impenetrabilitas. Addit S. Thomas, quod tum partes substantiæ possent ità inuicem penetrari, vt non facerent extensionem, sed redigerentur ad punctum, quia actualis extensio debetur substantię solum ratione quantitatis, qua tunc careret.

Ad 4. Communior opinio docet quantitatem recipi immediatè in substantia, cæte-

cętera accidentia recipi immediatè in quantitate molis, seu dimensionibus. Videtur autem id patere ad sensum, vt docet S. Thomas verbis citatis. Nam videmus, quod moles sensibilis primo, & per se mouetur, vbicatur, dealbatur, calefit, &c ergo accidentia Eucharistica primo, & per se recipiuntur immediatè in mole sensibili, hoc est in quantitate, cum in Eucharistia videamus molem sensibilem figurari, moueri &c Hinc patet multiplex discrimen inter quantitatem, & alia accidentia Eucharistica. Primo quantitas diuina virtute remanet sine vllo subiecto; cætera accidentia remanent subiectata in quantitate. Secundo quantitas acquirit modum essendi, quo existit per se, & extrà subiectum, atque adeo ad modum substantiæ; cętera accidentia, cùm subiectentur in quantitate, non acquirunt talem modum essendi. Tertio quantitas per modum essendi ad modum substantiæ euadit vicesubstantia, vt ex S. Thoma contra Scotum docet Caiet. in 3. partem quęst. 77. art. 14. quia cum modo essendi substantiæ acquirit virtutem substantię in ordine ad sustentationem, atque eductionem cęterorum accidentium: ex quo saluatur, quo pacto possint agentia naturaliter calefacere, frigefacere, & mouere Eucharistiam; educuntur enim hæc acci-

accidentia ex potentia, non quidem substantię, & materiæ, sed vicesubstantię, ac vicematerię, hoc est quantitatis existentis ad modum substantię. Quarto patet, quo pacto modus essendi, quem habet quantitas, conueniat essentię accidentis, quę est, vt sit entis ens, aut substantię ens. Ratio est, quia sufficit ad accidens, quod sit ens substantię, vel vicesubstantię. Vltimo demnm patet id, quod diximus cap. de Vnione, quod accidentia, dum conseruantur extrà subiectum, habent diuersum esse, ac habeant in subiecto, esse doctrinam expressam S. Thomæ prima parte quęst. 77. art. primo ad quartum: *Dicendum, quod accidentia dum erant in sustantia panis, & vini, non habebant ipsa esse, sed substantia habebat esse per ea; sed cum consecrantur, post consecrationem ipsa accideutia habent esse, vnde sunt composita ex esse, & quod est.*

QVAESTIO XXXVII.

Vtrum Continuum componatur ex indiuisibilibus secundum magnitudinem.

VIdetur vera esse sententia Zenonis, & plurium antiquorum, quam vtpotè

tè omnium clarissimam omnes vellent sequi, si inuenirent modum soluendi argumenta, quibus premitur, quod omne continuum componatur ex finitis indiuisibilibus carentibus omni magnitudine, ita vt non possit esse quidquam minus ipsis, quæ vocantur indiuisibilia mathematica; e.g. quod tempus componatur ex solis instantibus indiuisibilibus, ita vt non possit in illis esse vlla pars nec excogitari quicquam minus instanti, eo quod instans sit ipsum minimum carens magnitudine: similiter, quod magnitudines permanentes componantur ex punctis omninò indiuisibilibus, atque carentibus omni magnitudine, & extensione, ita vt nihil possit esse minus puncto: sicut igitur numerus componitur ex finitis vnitatibus indiuisibilibus, sic tempus componitur ex finitis instantibus indiuisibilibus, magnitudines ex finitis punctis, e.g. hora componitur ex millione instantium, linea palmaris constat ex mille punctis, mille lineę faciunt superficiem quadratam, cuius singula latera sint palmaria; mille superficies faciunt corpus cubicum, & sic de alijs &c. 1. quia hoc pacto optimè, & clarissimè percipitur compositio continui alioquin imperceptibilis.

2. Omnis multitudo est multitudo vnitatum;

cum; sed continuum est multitudo partiũ; ergo continuum est multitudo vnitatum; sed si omnes partes continui essent diuisibiles, omnes partes continui essent multitudo aliarum partium, nec vnquam deueniretur ad vnitatem, quæ non esset multitudo; ergo continuum esset multitudo multitudinum sine termino, nunquam deueniendo ad vnitatem, quæ non esset multitudo multitudinum.

3. Et est argumentum Zenonis, quod vocatur Achilles argumentorum. Si continuum esset diuisibile in infinitum, esset impertransibile: infinitę enim partes, quarum vnaquęque debet pertransiri post aliam, pertransiri nequeunt tempore finito; sed in magnitudine palmari e.g. darentur infinitę partes, quarum vnaquęque deberet pertransiri post aliam; nam antequam mobile pertranseat totum palmum, pertransire debet medietatem palmi, antequam pertranseat medietatem, debet pertransire medietatem medietatis, seu quartam partem palmi; antequam pertranseat quartam partem, debet pertransire octauam partem palmi, & sic in infinitum; ergo magnitudo palmaris non potest pertransiri. Neque respondeas cum Aristotele hic tex. 19. infinitas partes magnitudinis posse pertransiri infinitis partibus temporis. Nam vt ipsemet Aristote-

teles fatetur lib.8. tex.68. hęc respon- transfert difficultatem à magnitudine tempus. Sequeretur enim, quod hora rtransiri non posset. Nam antequam nseat hora, debet transire semihoram, te semihoram quadrans, ante quadran- m semiquadrans, & sic in infinitum; go hora non posset pertransiri. Non im possunt pertransire infinitę partes na post aliam, seu sint ęquales vni certę, u non, sed minores, & minores. Nam npertransibilitas non oritur ex æquali- te, sed ex infinita multitudine partium, uarum vna debet pertransiri post aliam.

4. Si in continuo dantur indiuisibilia, omponitur ex indiuisibilibus; sed in empore dantur instantia indiuisibilia, in nagnitudine puncta, lineę, & superficies ndiuisibiles, vel omninò, vel secundum liquam diuisionem; ergo continuum onstat ex indiuisibilibus.

5. Demonstrationes Aristotelis valent olum contra compositionem continui ex ndiuisibilibus finitis; ergo possumus sal- em concedere, quod constet ex indiuisi- oilibus infinitis.

Respondeo Aristotelem, quem sequun- ur omnes Peripatetici cum Mathema- icis lib.6.phys.demõstrare primo ex ipsa definitione continui, quod continuum permanens non componatur ex indiuisi- bili-

duorum est, per quam vnum penetrat, ac tangit totaliter aliud, ita vt nihil sit, quod non tangat, ea verò, quæ penetrantur, non faciunt extensionem, & continuitatem, cum partes continuę debeant esse localiter separatæ; ergo duo puncta se inuicem tangentia non faciunt continuum. Adde, quod si secundum punctum tangit primum, tertium etiam, quartum, & omnia alia tangunt primum. Quod enim tangit totaliter aliud in eo ipso, in quo illud tangit totaliter quoddam tertium, eo ipso tangit illud tertium; sed tertium punctum tangeret totaliter secundum, & secundum tangeret primum secundum se totum, sicut secundum se totum tangitur à tertio; ergo tertium punctum tangeret primum, & sic de cæteris; sed si centum puncta sint ita posita, vt omnia se totaliter tangant, non possunt facere extensionem, vel lineam continuam palmarem e. g; ergo linea continua non potest constare ex punctis se tangentibus. Ex eadem ratione superficies non potest constare ex lineis indiuisibilibus secundum latitudinem se tangentibus, quia tales lineæ penetrarentur in latitudine, vtpotè se totaliter tangentes, adeoque non facerent extensionem latitudinis; nec profunditas constare potest ex pluribus superficiebus.

Probat iam alteram partem minoris, quod scilicet linea non constet ex punctis consequenter se habentibus. Illa enim consequenter se habent, *inter quæ nihil mediat eiusdem generis*; sed eo ipso, quod duo puncta non se tangunt, mediat aliquid inter illa, & non aliud, quam punctum, si linea componitur ex solis punctis; ergo puncta non se habent consequenter. Ex his concludit definitionem materialem continui: *continuum est, quod est diuisibile in semper diuisibilia*. Cum enim sit ostensum, quod non est diuisibile in indiuisibilia, sequitur, quod sit diuisibile in semper, & in infinitum diuisibilia. Dixi hanc esse definitionem materialem, quia explicat partes materiales, ex quibus componitur continuum. Definitio verò formalis est illa altera, *continua sunt, quorum extrema sunt vnum*. Nam per vnitatem extremorum, tamquam per causam formalem partes semper diuisibiles continuantur. Definitio perfecta explicans vtramque causam intrinsecam est; *continuum est, quod est diuisibile in semper diuisibilia, quorum extrema sunt vnum*.

Secundo, quia rationes allatæ ex contactu videntur valere solum in quantitate permanente in qua solum datur proprius contactus, siquidem partes temporis, ac motus propriè non se tangunt, ideò Aristote-

ſtoteles à tex. 4. ad vigeſimumſecundum probat eandem eſſe rationem de magnitudine, motu, ac tempore: ac primo de motu oſtendens, quod ſi magnitudo componitur ex indiuiſibilibus, etiam motus conſtat ex indiuiſibilibus. Primo ergo probat de motu. Si linea *A.B.C.* conſtet ex tribus punctis indiuiſibilibus A, & B, & C, etiam motus, quo mobile mouetur per tria puncta A,B,C, conſtabit ex tribus partibus indiuiſibilibus, per quarum primam mobile ſit in A, per ſecundam in B, per tertiam in C. Si enim pars motus, per quam tranſit per A indiuiſibile, eſt diuiſibilis; ergo in tali motu ſunt duæ partes, per quarum primam mobile fuit in prima parte puncti A, per ſecundam in ſecunda parte puncti A; ſed hoc repugnat, cum punctum A ſupponatur partibus carens; ergo pars motus, per quam mobile tranſit per A, non habet partes priores, & poſteriores, ſed eſt indiuiſibilis. Idem dic de ſecunda parte motus, per quam mobile tranſit punctum B, de tertia, & de alijs; ergo partes motus tranſeuntes partes indiuiſibiles lineæ ſunt pariter indiuiſibiles.

Secundo probat Ariſtoteles triplici ratione, quod ſi magnitudo eſt diuiſibilis in infinitum, etiam tempus eſt diuiſibile in infinitum, & è conuerſo, ſi tempus eſt

diuisibile in infinitum, etiam magnitudo est diuisibilis in infinitum.

Prima ratio desumitur ex duobus mobilibus æquè velocibus. Sit magnitudo A B diuisibilis in infinitum, & mobile pertranseat totam magnitudinem vno quadrante; aliud mobile æquè velox dimidiam magnitudinem transibit tempore duplo minori; quartam partem magnitudinis transibit tempore quadruplo minori, & sic de cæteris partibus; ergo si magnitudo est diuisibilis in infinitum, etiam tempus est diuisibile in infinitum. Rursus tempus, e.g. hora sit diuisibilis in infinitum, etiam magnitudo, quam mobile pertransit in hora, erit diuisibilis in infinitum. Nam si mobile in hora transit totam magnitudinem; ergo mobile æquè velox in semihora transibit dimidium magnitudinis, in quarta parte horæ quartam partem magnitudinis; ergo magnitudo est diuisibilis, sicut tempus.

Secunda ratio desumitur ex duobus mobilibus inæqualiter velocibus. Pro qua supponit duo demonstranda. Primum est, quod mobile velocius æquali tempore pertranseat magnitudinem maiorem, quam tardius. Patet. Incipiant enim simul moueri velocius, & tardius in eadem magnitudine A. B. post aliquod tempus velocius peruenit ad B, tardius

adhuc

adhuc non peruenit, alioquin si simul peruenirent, non motum fuisset magis tardè; ergo æquali, & eodem tempore velocius percurrit totam magnitudinem, tardius partem; sed tota magnitudo est maior parte; ergo eodem tempore velocius percurrit maiorem magnitudinem.

Secundum est: mobile velocius æqualē magnitudinem conficit minori tempore, quam tardius. Probat, quia quod mouetur velocius, non mouetur tardius, neque æquè velociter; sed si æqualem magnitudinem conficeret tempore ęquali, ac tardius, moueretur ęquali velocitate, ac tardius, & si tempore maiori percurreret ęqualem magnitudinem, ac tardius, moueretur minus velociter, ac tardius; ergo æqualem magnitudinem pertransit tempore non maiori, nec ęquali, ac proinde minori.

His pręmissis, sit magnitudo A B, supra quam eodem tempore, hoc est spatio vnius horæ moueantur duo mobilia, alterum duplo velocius, alterum duplo tardius, vel habentia quamcumque aliam proportionem velocitatis: spatio vnius horæ mobile duplo velocius percurrit totam magnitudinem A B; ergo mobile duplo tardius conficit dimidium magnitudinis spatio vnius horę; ergo magnitudo diuiditur bifariam à mobili duplo

ardiori in puncto, quod vocetur C. Rursus si mobile duplo tardius conficit magnitudinem A C spatio vnius horæ, mobile duplo velocius conficit eandem magnitudinem A C tempore duplo minori, hoc est in semihora; ergo mobile duplo velocius diuidit bifariam tempus horæ. Rursus si in semihora mobile duplo velocius conficit magnitudinem A C, mobile duplo tardius in eadem semihora conficit magnitudinem duplo minorem, ac diuidit magnitudinem A C. bifariam in D: & è conuerso, si mobile duplo tardius in semihora conficit magnitudinem A D, mobile duplo velocius tempore duplo minori, hoc est in quadrante, conficit eandem magnitudinem A D, atque adeò diuidit semihoram bifariam. Si mobile duplo velocius in quadrante conficit magnitudinem A D, mobile duplo tardius in eodem quadrante conficiet magnitudinem duplo minorem, & diuidet magnitudinem A D in E, & sic semper procedendo mobile duplo tardius diuidit magnitudinem bifariam in infinitum, dum eodem tempore conficit magnitudinem duplo minorem, & mobile duplo velocius diuidit tempus in infinitum, dum eandem magnitudinem conficit tempore duplo minori.

Tertia ratio ad ostendendum, quod tem-

tempus sit similiter diuisibile, ac magnitudo, desumitur ex eodem mobili. Si enim mobile regulariter motum totam magnitudinem A B conficit spatio vnius horæ, dimidium magnitudinis cōficiet dimidio temporis, quartam partem magnitudinis quarta parte temporis, millesimam partē magnitudinis millesima parte temporis, ac proinde si magnitudo est diuisibilis in infinitum, etiam tempus est diuisibile in infinitum.

Tertio ostensa proportione inter magnitudinem, motum, ac tempus quoad diuisibilitatem, vel indiuisibilitatem, probat Aristoteles ex velocitate motus, quod continuum non constat ex indiuisibilibus, alioquin indiuisibile diuideretur. Nam omni tempore, quo mouetur mobile velocius, mouetur tardius, ita tamen, vt tardius minus magnitudinis pertranseat, quā velocius. Sit ergo mobile duplo velocius, & mobile duplo tardius. Mobile duplo velocius tribus instantibus transeat magnitudinem trium punctorum; ergo mobile duplo tardius iisdem tribus instātibus transibit dimidium talis magnitudinis; sed dimidium trium punctorum est punctum, ac dimidium puncti; ergo punctum indiuisibile diuidetur, quod est absurdum. Rursus mobile tardius in instanti indiuisibili temporis promouetur

per punctum; ergo mobile velocius promouebitur per punctum tempore minori, quam instans; ergo diuidetur indiuisibile temporis.

Vrgetur argumentum. Nam sequeretur, quod mobile velocissimum, & mobile tardissimum si continuò mouerentur per horam, conficerent spatium æquale. Ponamus enim, quod hora componatur ex mille instantibus indiuisibilibus. Mobile tardissimum primo instanti horæ non posset promoueri spatio minori, quam puncto, alioquin punctum diuideretur; mobile velocissimum non posset promoueri per punctum tempore minori, quam instanti, alioquin instans diuideretur. Rursus mobile velocissimum non posset per instans promoueri duobus punctis, alioquin vel in eodem instanti simul esset in duobus punctis, & sic replicaretur, vel transiret ad secundum punctum, non transeundo per primum, quod est contra continuitatem motus; ergo in primo instanti motus æqualiter promoueretur mobile velocissimum, ac mobile tardissimum; idem valet de secundo, tertio, & alijs instantibus; ergo mobile velocissimum, & tardissimum dum continuo mouentur, æqualiter mouentur.

Vnica responsio ad hoc argumentum potest esse negando suppositum, quod scili-

ſcilicet motus non velociſſimus omnium poſſibilium poſſit eſſe continuus. Motus enim continuus, hoc eſt qui ſingulis inſtantibus temporis tranſit ſingula puncta magnitudinis, eſt ſummè velox; motus non ſummè velox eſt, per quem mobile non ſingulis inſtantibus temporis promouetur per aliquod punctum magnitudinis, ſed per aliqua inſtantia ceſſat, & quieſcit à motu, & prout pluribus, aut paucioribus, longioribus, aut breuioribus morulis interrumpit motum, eo eſt tardior, aut velocior.

Contra iſtam reſponſionem eſt, quia ſequitur, quod nauis, quæ moueretur ita velociter, vt ſpatio vnius horæ conficeret vigintiquinque milliaria, moueretur ſolum per millioneſimam partem horæ, alijs verò partibus horę quieſceret. Probatur ſequela. Nam quędam ſtellę fixę ſpatio vnius horę conficiunt ſpatium maius pluſquam per millionem vicium vigintiquinque milliaribus; ergo etiamſi motus talium ſtellarum eſſet velociſſimus omnium poſſibilium, adhuc nauis poſt motũ vnius inſtantis deberet quieſcere per pluſquam millionem inſtantium. Rurſus pila bombardę, vt docent periti, duobus minutis conficit quatuor milliaria; ſed eodem tempore quędam ſtellę fixę conficiunt pluſquam octingenta quadraginta millia

illiariorum, quę se habent ad quatuor illiaria, sicut plusquam centum millia d vnum; ergo pila bombardę, dum mouetur, post vnum instans motus, quiescit plusquam centum millibus instantiũ, quod videat quis possit sibi persuadere. Et confirmatur, quia virtus motiua bombardæ, quę est adeò vehemens, & violenta, post vnicum instans motus per centũ millia instantium maneret otiosa, quod est absurdum. Quid enim facit tot instantibus quietis? & cur virtus, quæ per centum millia instantium nón potuit producere vllum motum, illis elapsis, rursus incipit motum producere? Confirmatur, nam virtus motiua in hoc instanti non potest mouere, neque in sequentibus instantibus vsque ad centum millia; ergo nec illis transactis poterit mouere, cum non sit aucta, vel mutata.

Vrgetur validissimè argumentum ex motu circulari. Cum enim rota voluitur circulariter in seipsa, radij rotæ, seu lineæ rectæ ductæ à centro ad circumferentiam mouentur, ita vt puncta magis distantia à centro velocius moueantur, ac designent circulum externum maiorem circulis internis designatis à punctis interioribus radij minus distantis à centro: sed si quantitas componeretur ex punctis, non possent velocius moueri puncta remotiora,

ra, quam propinquiora, cum neque plus, neque minus promouerentur, quam per punctum spatii; ergo &c. Neque valet hic recursus ad morulas. Nam dum mouetur punctum remotius, etiam propinquius centro debet moueri; alioquin linea, & radius flecteretur, vel rumperetur, quod est contra experientiam.

Confirmatur, quia potest linea recta, manente vno puncto immoto, versari in gyrum, in quo motu præter centrum cætera puncta continuè mouentur, ita vt remotiora à centro moueantur velocius, propinquiora tardius; ergo puncta remotiora in vno instanti vel conficiunt plusquam punctum, atque adeò replicantur, & simul ponuntur in pluribus punctis; vel saltant ab vno puncto ad aliud, non transeundo per medium; vel puncta propinquiora centro mouentur spatio minori, quam puncto, atque adeò puncta sunt diuisibilia; vel puncta remotiora mouentur, quiescentibus vicinioribus, atque adeò linea flectitur, aut rumpitur. Nec dicas lineam flecti, sed flexione minima, & insensibili. Nam contra est, quia talis flexio deberet esse valdè sensibilis. Ponamus enim lineam centum punctorum, in qua primum punctum sit centrum immotum, sequitur, quod quando punctum remotissimum à centro in

gyratione promotum est per puncta 50, adhuc medietas lineę maneret immota; nam centesimum punctum motum est per 50. puncta; sed nonagesimum nonum vtpotè propinquius centro, motum est minus, quam centesimum; ergo nonagesimum nonum ad summum est motum per puncta 49; sed nonagesimum octauum est motum minus nonagesimo nono; ergo ad summum est motum per 48. puncta, & sic de alijs; ergo quinquagesimum primum punctum motum est solum vno puncto; ergo quinquagesimum, & reliqua propinquiora centro, quę minus sunt mota, quam quinquagesimum primum, nihil sunt mota, atque adeò medietas lineę quieuit, & mansit immota; ergo dum centesimum punctum motum est 50. punctis versus vnam partem, atque adeò spatio æquali medietati lineæ, alia medietas lineę mãsit immota; ergo inflexio vtpotè ęqualis medietati lineæ deberet esse maximè sensibilis. Confirmatur, quia sequeretur, quod circulus exterior, & includens non esset maior interiore, & incluso. Nam cum linea recta, vno puncto immoto, circumducitur in gyrum, singulis instantibus, quibus mouetur punctum remotius à centro, mouentur etiam puncta propinquiora centro; ergo mouentur ęqualiter, cum neque plus, neque minus pun-

clo

cto possint moueri; ergo spatium, pe quod mouentur, est æquale; sed puncta remotiora à centro mouentur per circulum exteriorem, propinquiora per interiorem, ergo circulus externus est æqualis interno, quod est absurdum.

Præcipuum ergo argumentum contra sententiam Zenonis est, quia non posset dari motus circularis, quo vno puncto immoto, linea circumducatur in gyrum; nam in tali motu omnia puncta simul mouentur, remotiora à centro magis, propinquiora minus. Rursus non possent dari motus circulares imperfecti, in quibus plures partes lineæ eodem tempore mouentur, sed remotiores ab aliqua parte magis, propinquiores minus, licet nullum punctum maneat omninò immotum. Talibus autem motibus circularibus saltem imperfectis plena est tota natura; cum omnes penè motus spontanei animalium sint circulares circa aliquod centrũ immotum, vel minus motum, vt obseruat Aristoteles. Si verò dari non posset motus circularis, nec posset dari circulus, cum circulum dari non probetur aliunde, quam ex eo, quod vna linea recta possit in gyrum circumduci. Sublato vero circulo, ruit tota mathematica, cum tota fundetur in definitione circuli. Ideò dixit Aristoteles sententiam Zenonis aduer-

ersari scientijs exactissimis, quales sunt mathematicæ.

Ad 1. Sententia Zenonis ita est clarissima, vt sit clarissimè falsa, præsertim cum non possit in ea saluari, quo pacto eodem tempore plura mobilia moueri possint inæquali velocitate.

Ad 2. Continuum est multitudo vnitatum, non autem multitudo multitudinum sine termino. Deuenitur enim ad aliquas particulas, quarum partes non distinguuntur actu, sed potentia, ideoque tales particulæ sunt vnitates actuales, & multitudines solum potentiales, vt dicetur quæstione 40.

Ad 3. Respondet Aristoteles 8. physic. tex. 68 continuum posse pertransiri, quia licet constet ex infinitis partibus, tamen illæ partes infinitæ sunt potentia, non actu. Quod si darentur in continuo infinitæ partes actu, concedit Aristoteles, quod continuum esset impertransibile, & argumentum Zenonis insolubile.

Ad 4. Concedo, quod in continuo dentur indiuisibilia, quibus partes copulantur, ac terminantur; sed nego, quod componatur ex indiuisibilibus, vt infra explicabitur quæstione 40. & 41.

Ad 5. Sententia docens continuum componi ex infinitis indiuisibilibus premitur omnibus argumentis allatis contra senten-

ſententiam Zenonis, contra poſsibilitat. infiniti, & pluribus alijs. Nã primo pũct. neq; poſſent ita continuari, vt ſe tãgerent neq; ita, vt eſſent conſequenter. Secundo ſ duo mobilia mouentur continuè, ſinguli instantibus conficiunt vnũ punctum, nec plus, nec minus; ergo mouentur æqualiter; ergo non ſaluatur inæqualis velocitas motuum. Tertio continuum non poſſet pertranſiri. Quo enim pacto tranſit hora, ſi debent pertranſire infinita inſtantia vnum poſt aliud? alioquin poſſet dici, quod poſſet pertranſire tota æternitas, licet deberent pertranſire infinitæ horæ vna poſt aliam. Et confirmatur, quia vel finita puncta e.g. centum faciunt aliquam extenſionem, vel non; ſi faciunt; ergo cum in magnitudine palmari ſint infinita centenaria punctorum, dantur in illa infinitę extenſiones æquales vni certæ; ergo magnitudo palmaris habet infinitas partes extenſas æquales vni certę, atque adeò eſt ſimpliciter infinita, & impertranſibilis. Si dicatur, quod finita puncta non faciunt extenſionem, ſed ſolum infinita puncta faciunt extenſionem: contra eſt, quia dantur in continuo infinitæ infinitates punctorum; ſed ſingulæ infinitates faciunt certam extenſionem; ergo continuum facit infinitam extenſionem; ergo eſt impertranſibile. Tertio vel infinita puncta

ſunt

ſunt ita ordinata, vt poſt primum detur ſecundum, poſt ſecundum tertium, quartum &c. & ſic daretur infinitum ordinatum clauſum duplici termino, quod reiectum eſt queſt. 34. de infinito; vel poſt primum punctum non datur ſecundum, & hoc eſt ſimile, ac ſi quis diceret lineam componi ex palmis ita ordinatis, vt poſt primum non poſſit aſſignari ſecundum, neque tertium &c, diem componi ex horis, quarum vna ſequatur poſt aliam, ita vt poſt primam non poſſit aſſignari ſecunda, neque tertia. Dicitur enim, quod hora componitur ex inſtantibus, ita vt poſt primum inſtans non poſſit aſſignari ſecundum, neque tertium &c.

QVAESTIO XXXVIII.

Vtrum Continuum conſtet ex infinitis partibus actualibus.

VIdetur vera eſſe ſententia Nominalium, Gregorij Ariminenſis in ſecundo diſt. 2. queſt. 2. Gabrielis ibidem queſt. 3. Suarij diſp. 34. metaph. Conimbricenſium, Vrtadi, Arriagæ, Fonſecæ, & aliorum plurimorum, quod continuum conſtet ex infinitis partibus minoribus, & mi-

e minoribus actu existentibus, quia continuum non componitur ex indiuisibilibus, vt demonstratum est; ergo componitur ex partibus semper diuisibilibus; sed partes, in quas est diuisibile, existunt actu: est enim impossibile, vt existant solum in potentia, & hæc distinctio purè potentialis est inexplicabilis omninò, & indefendibilis; ergo continuum constat ex infinitis partibus actu existentibus.

Respondeo ex pluribus repugnare, quod in continuo dentur infinitæ partes actu, primo quia daretur infinitum actu. Secundo quia daretur multitudo multitudinum, absque eo quod perueniretur ad vnitatem, quę non esset multitudo aliarū multitudinum. Tertio quia continuum pertransiri non posset, cum non possint pertransiri infinitę partes vna post aliam; quę quidem ratio apud me habet vim demonstrationis, sicut demonstratio visa est Aristoteli, qui propter ipsam dixit in continuo non dari infinitas partes actu, sed solum potentia. Audiatur lib. 8. phys. tex. 68. *In primis ergo de motu sermonibus eo rationem hanc soluebamus, quia tempus infinita in seipso habet. Non est enim absurdum, si infinito tempore transeat quispiam infinita; infinitum enim inest tam in longitudine, quam in tempore simili modo. Sed*

hæc

hæc solutio ad interrogationem quidem sufficienter se habet. Interrogabatur enim, si fieri posset, vt finito in tempore quispiam transeat infinita; ad rem autem ipsam, veritatemque profectò non satisfacit. Nam si quispiam, omissa longitudine, dictaque interrogatione, si sit, inquam, vt finito in tempore pertranseat quispiam infinita, hæc de ipso interroget tempore (habet enim tempus infinitas diuisiones) non erit sufficiens hæc solutio. Et paulò post respondet directè, & ex propria sententia per hæc verba. *Quare ad interrogationem, si fieri potest, vt in tempore, aut longitudine transeat quispiam infinita, partim posse, partim fieri non posse dicamus oportet. Si enim infinita sint actu, fieri nequit; si vero potentia, fieri potest*; ergo Aristoteles putat non posse tempus, aut magnitudinem pertransiri, si dantur in illis infinitæ partes actu distinctę, sed solum posse pertransiri, si partes infinitæ distinguantur potentia, non actu.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ sicut nititur solum ex eo, quod distinctio potentialis partium explicari nequeat, ac defendi, sic vnica responsio afferenda est quęst. 40. per explicationem, ac defensionem illius sententię.

QVAE-

QVAESTIO XXXIX.

Vtrum ad continuum sufficiat diuisibilitas potentialis vbicationis, ac spatij.

QVandoquidem continuum nec est diuisibile in indiuisibilia; nec est diuisibile in semper diuisibilia actu existentia, sequitur, quod sit diuisibile in semper diuisibilia potentia, non actu existentia. Videtur ergo vera sententia adinuenta à quibusdam Recentioribus, quod tempus constet ex finitis instantibus omninò indiuisibilibus, vt ponebat *Zeno*; continuum verò permanens constet ex punctis indiuisibilibus finitis, vbicatis tamen per vbicationes in infinitum diuisibiles in partes existentes potentia, non actu; e.g. tabula constat ex infinitis punctis indiuisibilibus, puta ex decem millibus actu distinctis, quorum singula occupent spatium diuisibile, e.g. digitale, ac proinde diuisibile in spatia semidigitalia, ita tamen, vt hęc diuisibilitas sit potentialis, ac virtualis, non actualis. Vbicatio siquidem, qua punctum occupat spatium digitale, non componitur ex duabus vbicationibus actu distinctis, quarum prima

prima occupet primam medietatem digiti, secunda secundam, sed solum ęquiualet duabus vbicationibus possibilibus, quarum vna occuparet vnam medietatē, alia aliam, adeoque est diuisibilis, non formaliter, sed potentialiter, & æquiualenter. Videtur inquam esse vera hęc sententia 1. quia in ista sententia saluatur optimè, quo pacto duo puncta se tangant, & tamen non penetrentur, atque adeò faciant extensionem; nam se tangunt, quia nihil mediat inter illa: rursus non penetrantur, quia ad hoc, vt duo penetrentur, debent vbicari per tales vbicationes, vt neutra vbicatio contineat in potentia aliquam vbicationem, quę si poneretur in actu, non tangeret aliam; sed vtraque vbicatio dictorum punctorum vtpotè potentialiter diuisibilis equiualet vbicationi, quę si poneretur in actu, non tangeret vbicationem alterius: sint enim duæ vbicationes digitales, inter quas nihil mediet, vtraque ęquiualet duabus semidigitalibus talibus, vt inter duas vbicationes semidigitales extremas medient duæ vbicationes intermediæ, atque adeò semidigitales extremę non se tangant; ergo &c.

Secundo explicatur optimè, quo pacto duo mobilia, licet moueantur eodem tempore, & ijsdem instantibus, moueri possint

ssint inęquali velocitate. Potest enim
nctum vbicatum e.g. vbicatione digita
moueri dupliciter: primo, vt relinqua
tum spatium digitale, quod occupat i
c instanti, & in instanti sequenti pona
r in aliquo spatio digitali, quod sit adę
atè extra primum spatium digitale
cundo, vt non relinquat totum spatium
gitale, sed solam partem ipsius, & acqui
t spatium digitale, quod solum partiali
r sit extra spatium digitale prius. Si
ouetur primo modo, mouetur velocius,
ia singulis instantibus promouetur per
gitum. Si secundo, mouetur tardius,
ia singulis instantibus non promoue-
r per digitum, sed vel per semidigitũ,
l per quartam partem digiti, vel per
tauam, & sic in infinitum; ergò potest
timè explicari, quo pacto possint plura
obilia ita moueri eodem tempore, vt
ium moueatur tardius, alterum mouea-
r velocius. Datur ergo summa veloci-
s, qua potest moueri vnum punctum
bens vbicationem digitalem e.g. si sci-
et singulis instantibus moueatur, &
omoueatur integro digito. At non da-
r summa tarditas possibilis, quia potest
gulis instantibus promoueri spatio mi-
ri, & minori, quam digitus, & quam
dietas digiti, & sic de ceteris partibus
oportionalibus.

3. De-

3. Demonstrationes mathematicę nihil aliud probant, quam infinitam diuisibilitatem potentialem vbicationis, ac spatij; sed hæc sententia ponit talem diuisibilitatem; ergo hæc sententia satisfacit rationibus mathematicis.

4. Explicatur optimè, quo pacto fiat condensatio, & rarefactio. Rarefactio enim fit, cum puncta loco vbicationis minoris, acquirunt aliam maiorem. Condensatio è conuerso fit, cū loco vbicationis maioris acquirunt minorem; E. g. sit quantitas constans ex punctis, quorum singula vbicentur vbicatione digitali, si singula acquirunt vbicationem duorum digitorum, rarefit; si singula loco vbicationis digitalis acquirunt semidigitalem, condensatur, & contrahitur ad spatium minus; & quia cum puncta acquirunt maiorem vbicationem, videntur inflari, ideò hæc puncta vocata fuerunt ab impugnatoribus per derisum, puncta inflata.

Quinto in hac sententia patet, quo pacto nullum detur infinitum actuale. Partes enim actuales continui sunt solum finitæ. Patet rursus, quo pacto continuum sit multitudo vnitatum, & non multitudo multitudinum sine termino; quo pacto possit pertransiri tum tempus, quod constat ex instantibus finitis omninò indiuisi-

diuisibilibus, tum spatium, cum singulis instãtibus pertranseatur certum spatium, e.g. millionesima pars digiti; ergo in millione instantium pertransitur digitus; ergo cum soluantur difficultates militantes tum contra sententiam componentem continuum ex indiuisibilibus, tum contra sententiam componentem continuum ex partibus diuisibilibus in infinitum actu distinctis, hæc sententia est vera.

Respondeo hanc sententiam licet non omninò attingat veritatem, tamen non multum aberrare à veritate, ac viam indicare, qua procedendo, possit veritas inueniri. Cum enim videamus, quod seu ponamus continuum componi ex indiuisibilibus, seu dicamus continuum constare ex partibus semper diuisibilibus actu distinctis, occurrunt difficultates penitus insolubiles: hæ verò difficultates magna ex parte euanescunt, eo ipso, quod dicamus spatium esse diuisibile in infinitum, sed diuisibilitate potentiali, ac virtuali in partes minores, & minores existentes nõ actu, sed potentia, possumus colligere solutionem quæstionis consistere in hoc; quod continuum sit diuisibile in infinitũ in partes existentes non actu, sed potentia, adeoque sapienter Aristotelem ad cõpositionem potentialem recurrisse.

Sed licet hęc sententia viam veritati ineat,

in quantum cum Aristotele recurrit ad diuisibilitatem potentialem vbicationis, ac spatij, aberrat tamen à vero, in quantum Aristotelem relinquens docet partes continui vbicatas per vbicationes virtualiter diuisibiles non esse proportionaliter diuisibiles in partes potentiales, sicut spatium, & in quantum asserit tempus non esse diuisibile potentialiter in infininitum, sicut spatium, sed constare ex instantibus omninò indiuisibilibus.

Videtur enim principium per se notum, quod continuum per se, & sensibiliter vbicatum est proportionaliter diuisibile, sicut spatium, in quo vbicatur: e.g. quod per se, & sensibiliter est in spatio palmari est diuisibile, sicut spatium palmare, & sicut spatium palmare est diuisibile bifariam, sic quod est per se in spatio palmari est diuisibile bifariam; sicut spatium palmare est diuisibile in quatuor partes, sic quod est per se in spatio palmari est diuisibile in quatuor partes; ergo si spatium palmare est diuisibile in infinitum, etiam continuum per se existens in spatio palmari est diuisibile in infinitum; ergo quod est in spatio digitali, atque adeo virtualiter diuisibili, non est punctum penitus indiuisibile, sed est quantum potentialiter diuisibile sicut spatium.

Confirmatur, quia secundum istam senten-

ſententiam puncta quantitatis ſunt tota in toto ſpatio, & tota in qualibet parte ſpatij; e. g. punctum vbicatum per vbicationem digitalem eſt totum in toto ſpatio digitali, & totum in quacumque parte ſpatij digitalis, totum in medietate digiti totum in quarta parte digiti &c; hoc autem eſt abſurdum, & contra rationem quantitatis per ſe vbicatæ. Quicumque enim videt quantitatem per ſe vbicatam, eo ipſo certificatur, quod in medietate ſpatij eſt medietas quantitatis, in quarta parte ſpatij, quarta pars quantitatis; alioquin licet videam Cœlum vbicatum per vbicationem immenſam, & in maximo ſpatio, adhuc poſſem dubitare, vtrum Cœlum ſit vnicum punctum inflatum, quod totum ſit in toto ſpatio, totum in medietate ſpatij, & in qualibet parte ipſius; ergo partes continui vbicatæ per vbicationes virtualiter diuiſibiles, etiam ipſæ virtualiter ſunt diuiſibiles; e.g. illa pars, quæ eſt in ſpatio digitali, eſt virtualiter diuiſibilis, ſicut ſpatium digitale.

Hinc reſpondetur ad obiectionem, qua dicunt: non eſt contra rationem rei materialis, vt ſit tota in tota, & tota in qualibet parte ſpatij; animę enim brutorum perfectorum, e.g. equi, leonis &c. licet ſint materiales, ponũtur à Thomiſtis

esse totę in toto, & totę in qualibet parte spatij; ergo etiam puncta possunt esse tota in toto, & tota in qualibet parte spatij: distinguo enim antecedens; non est contra rationem rei materialis primo, & per se vbicatæ, nego antecedens; vbicatę secundario, & per accidens, transeat antecedens, & nego consequentiam. Animę brutorum vbicantur per accidens, & per vbicationem quantitatis, ac proinde non est mirum, si sint totę in toto, & totę in qualibe parte spatij; at continuum vbicatur per se, ac proinde est diuisibile sicut spatium.

Simili modo probatur, quod tempus non constat ex instantibus omninò indiuisibilibus, sed ex partibus potentialiter diuisibilibus in infinitum, sicut spatium. Videtur enim euidens, quod mobile dum mouetur per aliquod spatium virtualiter diuisibile, prius virtualiter peruenit ad partem propinquiorem, quam ad partem remotiorem talis spatij; sed si tempus non esset diuisibile, sicut spatium, hoc non saluaretur; ergo &c. Probo minorem; pono punctum occupans spatium digitale moueri velocissimè, ita vt relinquat totum spatium digitale, quod occupabat, & acquirat spatium digitale distinctum adęquatè, sequitur, quod non prius perueniret ad medium, quam ad

extre-

extremum spatij digitalis, alioquin daretur dimidium instantis, & sic instans non esset omninò indiuisibile. Debet igitur dici, quod sicut spatium digitale est virtualiter diuisibile, sic tempus, quo mobile mouetur per spatium digitale, est virtualiter diuisibile, atque adeò mobile in medietate potentiali temporis peruenit ad medietatem virtualem spatij; ergo tempus non componitur ex instantibus omninò indiuisibilibus, sed ex partibus potentialiter diuisibilibus in infinitum, sicut spatium.

Confirmatur, quia debet mobile posse actu moueri per spatium virtualiter diuisibile; sed vt moueatur per spatium, debet prius occupare vnam partem virtualem spatij, deinde aliam; ergo debent in tempore dari partes virtuales, sicut in spatio; alioquin sequeretur, quod mobile esset motum ad spatium, ad quod nunquam mouebatur; nam singulis instantibus temporis omninò indiuisibilibus mobile non mouetur; vt enim moueatur, debet prius occupare vnam partem spatij, deinde aliam, atque adeò tempus motus debet esse diuisibile. Sequitur etiam ex hoc, quod mobile sit motum à spatio, per quod nunquam mouebatur; quod dum continuè mouetur, continuè quiescat, vt infert Aristoteles lib. 6.

Ad argumenta in contrarium respondeo, quod hæc sententia multa benè explicat, in quantum ponit spatium diuisibile in infinitum in partes minores, & minores existentes potentia, non actu; at quędam explicare non potest, quia non ponit similem diuisibilitatem in continuo per se locato in spatio, & in tempore, in quo mobile mouetur per spatium, ideoque ex hac parte est reijcienda tamquam contraria Aristoteli, omnibus Peripateticis, & ipsi veritati.

QVAESTIO XXXX.

Vtrum continuum componatur ex partibus distinctis solum potentia.

VIdetur ita manifestè implicare sententia, quod partes continui distinguantur solum potentia, non actu, vt de illa iure dictum fuerit à quodam Recentiore, quod ideò habuit sequaces, quia nulla fęditas sine amatore, nec fatuitas sine patrono; primo, quia si in hora duæ semihoræ distinguerentur potentia, non actu, actu non distinguerentur, & tamen possent

possent distingui; sed implicat contradictionem, quod ea, quę actu non distinguuntur, possint distingui; ergo partes continui distingui solum potentia est manifestè implicatorium. Probatur minor: nam quę actu non distiuguuntur, actu sunt idem; sed quę sunt idem actu distingui nequeunt; repugnat enim, quod idem acquirat distinctionem à seipso, hoc est ab eo, cum quo est idem; ergo implicat contradictionem, quod ea, quę non distinguuntur actu, possint distingui.

2. Quæ sunt realiter diuisibilia, & separabilia distinguuntur actu ante actualem separationem; separabilitas enim est euidens indicium actualis distinctionis, cum ea, quę actu non sunt distincta, sed idem, separari nullo pacto possint; sed partes continui, e.g. duo palmi ligni, vel aquæ sunt realiter separabiles, vt est omnibus indubitatum ex manifesta experientia, ergo duæ partes continui, e.g. duo palmi ligni, vel aquę distinguuntur actu ante omnem separationem; alioquin posset aliquis dicere, quod corpus, & anima cum sunt vnitę, non distinguuntur actu, sed solum cum separantur, incipiunt actu distingui.

3. Ea, de quibus verificantur actu prædicata contradictoria, vel contraria, distinguuntur actu, cum sit primum princi-

 pium,

pium, quod contradictoria non possint actu verificari de eodem; sed de partibus continui verificātur actu prędicata contradictoria, vel contraria; ergo partes continui distinguuntur actu. Probatur minor; nam Oceanus est vnum continuū, & tamen ex partibus Oceani quædam sunt illuminatę à Sole, aliæ non sunt illuminatę, sed tenebrosę; quędam sunt calidę, alię non sunt calidę, sed frigidę, imò conglaciatę; ex partibus temporis quędam iam sunt pręteritę, & amplius non sunt, quędam præsentes, & actu sunt, alię futurę, & adhuc actu non sunt, neque fuerunt, sed erunt; ergo de partibus continui verificantur innumera contradictoria, atque adeò distinguuntur actu.

4. Producens, & productum, causa, & effectus distinguuntur actu, & non solum potentia; sed sæpè vna pars continui est producta, & effecta, alia causat, & producit; ergo sępè partes continui distinguuntur actu. Probatur minor: cum ignis e.g. incendit siluam, producit nouū ignem, & cum illo continuatur; ergo ex partibus continui aliæ sunt producentes, alię productę.

5. Duę guttę aquę cum sunt separatę, & discontinuatæ, distinguuntur actu, & non solum potentia, & quidem per seipsas, & per suam entitatem; sed cum continuan-

tinuantur, & coalescunt in vnicam guttam, post continuationem retinent eandem entitatem; ergo retinent eandem distinctionem, atque adeo remanent actu distinctę. Similiter cum vna gutta aquæ diuiditur in duas, illæ duæ guttę non producuntur, sed ante erant secundum totam suam entitatem; sed post separationem distinguuntur actu per suam entitatem; ergo etiam ante separationem actu distinguebantur.

6. Quando gutta diuiditur in duas guttas, periret illa gutta, quę ante erat, etiam secundum materiam, & de nouo aduenirent duę partes materię; sed materia, & eius partes non producuntur per naturalem generationem, sed solum per creationem ex nihilo; ergo in quacumque discontinuatione, vel continuatione partium continui creatur de nouo materia prima.

7. Præcipua ratio, cur in continuo nō dentur infinitę partes actu, est quia infinitæ partes actuales pertransiri non possent; sed neque infinitę partes potentiales possent pertransiri; ergo frustra recurritur ad partes potentiales. Probatur minor: eo ipso, quod tempus constans ex infinitis horis, vel annis actu distinctis, non posset pertransiri, nec tempus constans ex infinitis horis, aut an-

infinitas partes minores, & minores existentes potentia, non actu. Et sanè cum istam sententiam expressè doceat Aristoteles, ac cum eo plurimi alij clarissimi Scriptores, audaciores videri possunt illi Recentiores, qui opinionem tam illustrium authorum ausi sunt appellare fatuitatem.

Hæc opinio continet duas partes. Prima est, quod continuum constat ex finitis partibus actu distinctis; secunda quod istæ partes finitę actu distinctæ sunt diuisibiles in infinitum in partes existentes in potentia.

Prima pars, quod continuum constet ex finitis partibus actu distinctis, probatur, quia alioquin sequeretur, quod in homine caput non distingueretur actu à pedibus, nec manus dextera à sinistra. Et si dicatur, quod in homine partes istę distinguũtur actu propter heterogeneitatem substantialem, sequeretur saltem, quod caput, & pes statuæ marmoreæ non distinguantur actu, cum sint omninò homogenea secundum substantiam. Sequitur etiam, quod ea, de quibus verificantur contradictoria, cuiusmodi sunt, esse calidum, & non esse calidum, sed frigidum, non distinguantur actu, ex quo inferuntur omnia absurda illata in tertio argumento. Confirmatur: quis enim

 dubi-

Angeli, cum intelligendo omnia possint omnia fieri, habent æquiualentiam quamdam ad omnia inferiora: ex Angelis illi sunt perfectiores, qui possunt eodem tempore plura simul cognoscere, & per vnicam cognitionem plura obiecta penetrare: corpora cœlestia æquiualent corporibus inferioribus; homo æquiualet brutis: bruta plantis: plantæ pluribus mixtis inanimatis: mixta inanimata quatuor elementis: elementa quia non æquiualent pluribus entibus heterogeneis, sunt corpora imperfectissima secundum speciem: ex elementis tamen ipsis perfectiora sunt rariora; rariora autem æquiualent pluribus densioribus, in quantum cum eadem materia occupant spatium maius, & ignis, qui est rarissimus, est perfectissimus, atque efficacissimus, terra autem densissima est imperfectissima. Iam continuum homogeneū potest etiam æquiualere pluribus continuis homogeneis, & eiusdem rationis secundum speciem. Potest igitur dari aliquod tempus æquiualens pluribus temporibus minoribus, ex quibus componatur potentia, non actu, eo pacto, quo mixta æquiualent pluribus elementis, ex quibus componuntur potentia, non actu: potest dari aliqua magnitudo permanens æquiualens pluribus magnitudinibus minoribus,

bus, ex quibus constet potentia, non actu; ergo potest deueniri ad aliquas partes continui constantes ex partibus existentibus potentia, non actu, & diuisibiles in infinitum in partes existentes potentia, non actu. At sicut mixta, e.g. lapis, licet æquiualeat quatuor elementis, hoc est quatuor corporibus imperfectissimis, non potest tamen æquiualere quatuor animalibus, aut plantis, & hoc prouenit ex ipsa limitatione lapidis; sic continuum propter suam limitationem potest quidem æquiualere pluribus valde paruis, & imperfectissimis, non autem maioribus, & perfectioribus; e.g. potest quidem dari tempus æquiualens duabus millionesimis partibus quadrantis; at non potest dari tempus æquiualens duobus millibus annorum, vel duabus horis, vel duobus quadrantibus: potest dari magnitudo æquiualens duabus millionesimis partibus magnitudinis digitalis; at non potest dari magnitudo æquiualens duobus milliaribus. Prima ratio igitur, cur quædam partes distinguantur actu, aliæ potentia, est ipsa magnitudo, vel paruitas partium. Quædam enim partes sunt ita magnę, vt repugnet limitationi continui, quod detur aliquid ipsis æquiualens, ideoque distinguuntur actu; quædam distinguuntur solum potentia, quia pro-

propter suam paruitatem non repugn. limitationi continui, quod detur aliqui ipsis ęquiualens.

Secunda regula pendens à causis extrinsecis est. Illæ partes, quæ habent aliquam heterogeneitatem, vel coexistenti ad contradictoria consistentem in indiuisibili, distinguuntur actu; è conuerso illæ partes, quæ nullam habent heterogeneitatem, vel habent heterogeneitatem diuisibilem in infinitum, quantum est ex hoc capite distingui possunt solum potentia, nisi ratione magnitudinis repugnet illis, quod contineantur ab aliquo ęquiualente. Ita e. g. si vna pars sit alba, alia non sit alba, sed nigra, eo ipso distinguuntur actu. Similiter si vna pars tangatur, altera non tangatur, pars, quæ tangitur, distinguitur actu à parte, quæ non tangitur. Proportionaliter si in vna temporis parte Petrus sit viuus, in altera non sit viuus, sed mortuus, in vna moueatur, & ambulet, in alia non moueatur, sed quiescat, tales temporis partes distinguuntur actu. E conuerso si detur màgnitudo pyramidalis, licet quęlibet pars illius prout magis, & magis distat à base sit strictior, & strictior, atque adeò omnes partes pyramidis habeant aliquam heterogeneitatem, quia tamen hæc heterogeneitas est diuisibilis in infinitum, &

non

bus, ex quibus constet potentia, non actu; ergo potest deueniri ad aliquas partes continui constantes ex partibus existentibus potentia, non actu, & diuisibiles in infinitum in partes existentes potentia, non actu. At sicut mixta, e.g. lapis, licet æquiualeat quatuor elementis, hoc est quatuor corporibus imperfectissimis, non potest tamen æquiualere quatuor animalibus, aut plantis, & hoc prouenit ex ipsa limitatione lapidis; sic continuum propter suam limitationem potest quidem æquiualere pluribus valde paruis, & imperfectissimis, non autem maioribus, & perfectioribus; e.g. potest quidem dari tempus ęquiualens duabus millionesimis partibus quadrantis; at non potest dari tempus æquiualens duobus millibus annorum, vel duabus horis, vel duobus quadrantibus: potest dari magnitudo ęquiualens duabus millionesimis partibus magnitudinis digitalis; at non potest dari magnitudo ęquiualens duobus milliaribus. Prima ratio igitur, cur quædam partes distinguantur actu, aliæ potentia, est ipsa magnitudo, vel paruitas partium. Quædam enim partes sunt ita magnę, vt repugnet limitationi continui, quod detur aliquid ipsis æquiualens, ideoque distinguuntur actu; quædam distinguuntur solum potentia, quia pro-

propter suam paruitatem non repugn. limitationi continui, quod detur aliqui ipsis ęquiualens.

Secunda regula pendens à causis extrinsecis est. Illæ partes, quæ habent aliquam heterogeneitatem, vel coexistenti ad contradictoria consistentem in indiuisibili, distinguuntur actu; è conuerso illæ partes, quæ nullam habent heterogeneitatem, vel habent heterogeneitatem diuisibilem in infinitum, quantum est ex hoc capite distingui possunt solum potentia, nisi ratione magnitudinis repugnet illis, quod contineantur ab aliquo ęquiualente. Ita e.g. si vna pars sit alba, alia non sit alba, sed nigra, eo ipso distinguuntur actu. Similiter si vna pars tangatur, altera non tangatur, pars, quæ tangitur, distinguitur actu à parte, quæ non tangitur. Proportionaliter si in vna temporis parte Petrus sit viuus, in altera non sit viuus, sed mortuus, in vna moueatur, & ambulet, in alia non moueatur, sed quiescat, tales temporis partes distinguuntur actu. E conuerso si detur màgnitudo pyramidalis, licet quęlibet pars illius prout magis, & magis distat à base sit strictior, & strictior, atque adeò omnes partes pyramidis habeant aliquam heterogeneitatem, quia tamen hæc heterogeneitas est diuisibilis in infinitum, & non

non consistit in indiuisibili, ideò partes magnitudinis pyramidalis distinguuntur solum potentia, non actu, in quantum quęlibet pars ęquiualet duabus partibus, quę si darentur, vna esset strictior, & altera latior. Similiter licet in tempore, & motu semper vna pars sit prior, alia posterior, tamen quia hæc heterogeneitas in ratione prioris, & posterioris est diuisibilis in infinitum, ideò partes temporis distingui possunt potentia, non actu, ita vt vnum tempus componatur ex duobus, quorum vnum est prius, alterum posterius potentia, non actu, in quantum ęquiualet duobus temporibus minoribus, quę si ponerentur, vnum esset prius actu, alterum posterius, atque idem dic de motu.

Hinc primo colligitur, quot partes actuales sint in tempore, & in omnibus durationibus, alijsque entibus successiuis. Dico, quod tot sunt, quot sunt mutationes. Ita si in hora sint centum milliones mutationum, sunt centum milliones partium actu distinctarum.

Collige secundo, quod eo ipso, quod partes actuales distinguantur actu in aliqua duratione, distinguuntur in omnibus durationibus proportionaliter: e.g. si in mea duratione horaria prima semihora distinguitur actu à secunda semihora, in omni-

omnibus alijs durationibus horarijs pro-portionaliter distinguuntur duę semiho-rę. Ratio est, quia non potest eadem duratio coexistere duobus contradicto-rijs: est enim per se notum, quod eo ip-so, quod aliquid modo est, modo non est, pars temporis, in qua est, distingui-tur à parte temporis, in qua non est. sed si in vna duratione distinguuntur actu duę semihoræ, in alia distinguuntur so-lum potentia, duratio eadem actu coexi-steret duobus contradictorijs; nã in pri-ma parte durationis horarię esset prima pars actualis alterius durationis horarię, in secunda non esset, & tamen prima, & secunda pars essent idem actu; ergo eo ipso, quod distinguantur quædam partes in vna duratione, distinguuntur propor-tionaliter in omnibus durationibus.

Tertio colligitur Deum, qui disponit omnia in numero, pondere, & mensura, ponere numerum partium actualium in tempore, & in omnibus successiuis, iuxtà numerum mutationum, quem videt po-stulari à causis secundis in tali tempore: si videt causas secundas postulare maio-rem numerum mutationum, ponit maio-rem numerum partium; si videt postula-re minorem, ponit numerum minorem partium actualium in tempore. Quod au-tem numerus sit maximus, non est absur-

dum,

dum, dummodo vitetur numerus infinitus, adeoque excedens omnem numerum.

Collige quarto, quo pacto hæc sententia non coincidat cum sententia, quæ ponit res durare per durationes indiuisibiles. Dico durationem indiuisibilem esse, in qua non distinguuntur partes coexistētes cōtradictorijs; e.g. si in duratione horaria prima semihora non distingueretur à secunda, & tamen in prima semihora Petrus moueretur, in secunda non moueretur, sed quiesceret, tunc duratio horaria esset indiuisibilis: at nos ponimus, quod partes, in quibus verificantur contradictoria, distinguantur actu; ergo non ponimus durationes indiuisibiles. Ex eadem ratione non sequitur ex nostra sententia, quod duratio æquiualeat perfectè partibus, quas continet potentia. Non enim æquiualet in hoc, quod possit coexistere contradictorijs, cum partes illæ, si ponerentur actu, possent coexistere contradictorijs.

Colligitur quinto, quod sicut eo ipso, quod partes actuales distinguantur in aliqua duratione, distinguuntur proportionaliter in cæteris durationibus coexistentibus, nè vna duratio coexistat contradictorijs; sic eo ipso, quod partes actuales distinguantur in aliqua magnitudine, distin-

diſtinguuntur proportionaliter in omni alia magnitudine, quæ tangitur ab illa mediatè, vel immediatè: e. g. ſi magnitudo palmaris, in qua diſtinguantur actu duo ſemipalmi, tangat aliam magnitudinem palmarem, etiam in magnitudine tacta diſtinguuntur proportionaliter duo ſemipalmi. Ratio eſt, quia non poteſt ſemipalmus tangere vnam partem alterius magnitudinis, & aliam non tangere, quin pars tacta diſtinguatur actu à parte non tacta; ſed ſemipalmus actu diſtinctus tangit primum ſemipalmum alterius magnitudinis, ſecundum non tangit; ergo etiam in magnitudine tacta diſtinguuntur actu duo ſemipalmi: & ſi magnitudo tacta tangat tertiam magnitudinem, & tertia quartam, & ſic vſque ad terminos mundi, in omnibus iſtis magnitudinibus diſtinguentur actu duo ſemipalmi ex eadem ratione.

Colligitur ſexto, quid ſit deſignatio, & quo pacto cauſet in continuo diſtinctionem actualem partium. Deſignare eſt conſtituere aliquod ſignum, ſeu terminum in continuo. Deſignatio temporis, ſeu continui ſucceſſiui fit ponendo aliquod ſignum, ſeu terminum temporis. Termini autem, ſeu ſigna temporis ponuntur, incipiendo, aut perficiendo aliquam mutationem: e. g. cum quis incipit

it moueri, per principium motus ponit signum distinctiuum temporis, in quo non mouebatur, à tempore, in quo mouetur; cum desinit moueri, ponit signum distinctiuum temporis, in quo mouebatur, à tempore, in quo non amplius mouetur, & sic causat distinctionem actualem partium in tempore, de quibus verificatur, *hoc tempore mouetur*, *hoc tempore non mouetur*. Designatio magnitudinis permanentis fit, ponendo signa, vel terminos contradictoriorum in magnitudine permanente: e. g. dum hæc magnitudo constituitur calida, hæc alia constituitur non calida, ponitur terminus distinctionis magnitudinis calidæ à magnitudine non calida; dum vna pars magnitudinis tangitur, alia non tangitur, ponitur terminus distinctionis magnitudinis tactæ à magnitudine non tacta; dum mobile mouetur super tanta magnitudine, & non vlterius, per quietem designat terminum magnitudinis, supra quam fuit motum, à magnitudine, supra quam non fuit motum, ideoque causat distinctionem actualem partium magnitudinis.

Ad 1. Implicat contradictionem, quod quæ actu non distinguuntur, possint distingui, retinendo eandem actualitatem; at non repugnat, quod possint distingui, mutando actualitatem. Partes continui,

quæ

quæ non distinguuntur actu, retinendo eandem actualitatem, distingui nequeunt; sed possunt distingui, mutando actualitatem, ita vt loco partium, quæ non distinguuntur actu, succedant aliæ æquiualentes actu distinctæ. E.g. ponamus, quod in hora duæ semihoræ non distinguantur actu; si remaneant istæ eædem semihoræ cum eadem actualitate, implicat, quod actu distinguantur; at loco istarum semihorarum poni possunt duæ aliç semihoræ actu distinctç, quæ semihoræ continebantur in potentia duarum semihorarum potentia distinctarum.

Ad 2. Quæ sunt realiter separabilia, retinendo eandem actualitatem, sunt actu distincta; at quç sunt realiter separabilia, ita vt per separationem non retineant eandem actualitatem, non sunt actu, sed potentia distincta. Quçdam partes continui, retinendo eandem actualitatem, non sunt separabiles, sed solum possunt separari, ita vt mutent actualitatem; e. g. si in hac hora duæ semihoræ non distinguuntur actu, non sunt separabiles retinendo eandem actualitatem, sed solum sunt ita separabiles, vt non retineant eandem actualitatem, sed loco illarum ponantur aliæ duæ semihoræ actu distinctæ, quibus æquiualent illæ, quæ distinguuntur solum in potentia.

Ad

Ad 3. Iam fuit concessum, quod omnes partes continui, de quibus verificantur prędicata contradictoria, vel contraria, cuiusmodi sunt *esse calidum*, *non esse calidum*; *tangi*, *non tangi* &c. distinguuntur actu. Aliquæ tamen sunt partes continui, quę sicut actu non distinguuntur, sic non verificantur de ipsis prædicata contradictoria actu, sed solum potentia, in quantum æquiualent pluribus, quibus si darentur, conuenirent prædicata contradictoria. Sumamus e. g. particulam temporis non constantem ex particulis actualibus, sed potentialibus; nulla pars actualis talis temporis est prior actu, quam alia, nulla posterior actu, sed solum tempus illud continuum ęquiualet duabus partibus actualibus minoribus, quæ si ponerentur, ordinarentur ita, vt vna esset prior, altera posterior; idemque dic de omnibus alijs, quæ habent heterogeneitatem diuisibilem in infinitum, atque adeò solum potentialem. Debet autem aduerti, quod cum numeramus per cognitionem abstractiuam partes continui carentis partibus actualibus, numeramus partes, non quæ sunt, sed quæ possunt esse, & quibus tale continuum æquiualet; si verò numeraremus intuitiuè, eo ipso tales partes distinguerentur actu, cum non possimus intuitiuè numerare

rare partes, inter quas non intercedat aliqua designatio.

Sed dices: posset Angelus in hora numerare intuitiuè omnes partes proportionales minores, & minores, nimirum semihoram, quadrantem, semiquadrantem &c; sed tum darentur in hora infinitæ partes actu; ergo.

Respondeo negando antecedens. Vt enim dictum est quęst. 31. de tempore nullus intellectus finitus potest numerare velocius, & velocius sine termino; si autem Angelus numeraret omnes partes proportionales horę modo explicato, numeraret velocius, & velocius sine termino. Cum enim sumeret partes minores, & minores sine termino, dicendo *vnum, duo, tria &c*, semper sumeret tempore breuiori, atque adeò numeratione velociori, & velociori.

Ad 4. Partes continui, quæ comparantur vt producentes, & productæ, eo ipso distinguuntur actu, cum verificentur de ipsis prædicata opposita, ideoque inferentia distinctionem actualem.

Ad 5. Partes, quę cum essent separatę, continuantur, aliquando retinent eandem entitatem actualem, quam ante habebant, & tunc remanent actu distinctæ; etiam post continuationem: cum verò post continuationem non remanent actu distin-

distinctę, non retinent eandem actualem entitatem, sed loco illarum succedit noua entitas actualis illis æquiualens; idemque dic proportionaliter, cum continuum diuiditur, & discontinuatur.

Neque opponas, quia sequeretur, quod partes, quę ordinantur ad continuationem, per quam fiant vnum ita, vt non remaneant actu, ordinarentur ad destructionem sui; distinguo enim sequelam; ordinarentur ad destructionem, per quam non remaneant actu, concedo sequelam; ordinarentur ad destructionem, per quam non remaneant potentia, nego sequelam. Constat inductione dari multa corpora ordinata ad constituenda corpora perfectiora, ita vt non remaneant actu, sed potentia, & sint materia eorum non permanens, sed transiens. Ita elementa ordinantur ad mixta, & tamen non remanent in mixtis actu, sed potentia, vt docet S. Thomas: flores ordinantur ad fructus, & tamen non remanent in fructibus actu, sed potentia: semina ordinantur ad productionem rerum, quarum sunt semina, & tamen non remanent in talibus rebus actu, sed potentia: vnde Christus dixit, nisi granum frumenti cadens in terrã mortuum fuerit, ipsum solũ manet, si autem mortuum fuerit multum fructum affert. Sicut igitur granum frumenti,

menti, & alia semina ordinantur ad fructum per mortem, & destructionem sui, per quam remaneant in fructu non actu, sed potentia; sic partes continui ordinantur ad constituendum continuum perfectius per aliqualem destructionem sui, per quam remaneant in continuo constituto, non actu, sed potentia. Ratio à priori est, quia entia irrationalia, & quæ non sunt gratia sui, recipiunt functionem, vt loquuntur Iuristæ, hoc est recipiunt substitutionem vnius loco alterius fungentis ęquè benè eodem munere; e.g. quia non amamus equum gratia sui, si loco vnius equi substituatur alius equus omninò æquiualens, & ęquè benè fungens munere alterius equi, rationabiliter debemus remanere æquè contenti. Solæ creaturę rationales, quę amantur gratia sui, non recipiunt functionem, ideoque amicus non debet esse contentus, si amicus mutetur in alium hominem omninò æquiualentem priori. Quia igitur natura entia irrationalia non amat gratia sui, ideò perinde est, quod remaneant formaliter, vel tantum ęquiualenter in aliquo perfectiori.

Ad 6. Cum vna gutta diuiditur in duas partes, quę etiam ante diuisionem existebant actu, nulla est difficultas; sed est maxima difficultas, cum continuum diui-

diuiditur in duas partes, quę ante diuisionem non existebant actu, sed potentia. Vt hanc difficultatem soluam, quę maxima est in hac materia, rem altius repeto, & explico seriem doctrinę Aristotelicę de potentia, & actu. Antiqui non intelligentes, quo pacto possent res de nouo produci, dixerunt nihil fieri, sed vel corpuscula latentia prodire, ac diuersimodè disponi, vel formas in materia actu latentes apparere. Contra hos Aristoteles docuit res de nouo produci, ac formas contineri in materia, non actu, sed potentia, & per virtutem actiuam agentium educi in actum. Ijdem antiqui consequenter ad sua principia dixerunt, scientiam non acquiri de nouo, sed latere actu in anima per quandam obliuionem, & fieri manifestam per reminiscentiam. Aristoteles è conuerso docuit scientiam ab initio non esse in anima actu, sed potentia, & ad propositionem obiectorum educi in actum per virtutem actiuam intellectus agentis. Antiqui rursus putarunt corpora mixta esse compositionem elementorum actu latentium in mixtis; cùm verò mixta resoluuntur in elementa, elementa non produci de nouo, sed quę actu latebant, erumpere. Aristoteles censuit mixta constitui formaliter, non per mixtionem elemen-

elementorum, sed per eductionem formæ mixti ex elementis tamquam ex materia transeunte, ita vt elementa remanerent in mixtis, non actu, sed potentia; cum verò mixta resoluuntur, putauit elementa de nouo produci per eductionem formarum elementarium ex potentia materiæ.

Descendendo ad rem nostram, antiqui putarunt continuum non componi nisi ex partibus actu existentibus, nec posse diuidi nisi in partes actu præexistentes in continuo, ideoque incurrerunt in difficultates insolubiles explicatas quæstionibus superioribus. Aristoteles ad vitandas has difficultates dixit in continuo sistendum tandem in aliquibus particulis, in quibus partes non existant actu, sed potentia, eo pacto, quo in mixto elementa non existunt actu, sed potentia, in anima ab initio scientia non existit actu, sed potentia, in materia formę non continentur actu, sed potentia.

Dum opponitur; ergo cum continuum diuiditur in partes, quæ actu non existebant, illæ partes producuntur de nouo; distinguo, producuntur de nouo, reducendo potentiam in actum, concedo; non reducendo potentiam in actum, nego. Omnis potentia potest reduci in actum;

ansmutando id, quod est potentia tale, aliquid actu tale: e.g. quia aqua actu igida est calida potentia, potest per cafactionem fieri calida actu, & ex frigia transmutari in calidam. Iam sicut fridum actu, sed calidum potentia potest er calefactionem transmutari in calidum ctu; sic continuum carens aliquibus artibus actu, sed habens illas potentia, otest per diuisionem, vel designationem ansmutari in continuum habens tales artes actu; nec est difficilius, quod ex on habente aliquas partes actu, fiat habens illas actu, quam quod ex non habente calorem actu, fiat habens actu calorem. Nam sicut actu non calidum est alidum potentia, sic actu non habens artes est habens partes potentia.

Addo mirabilius esse, quod repente x non rana fiat rana, quam quod per diisionem continui ex non habente partes actu, fiant partes actu; sed repente x non rana fit rana; ergo &c. Ratio st, quia non est mirum, quod vnumquodue transmutetur in id, in quod est proximè transmutabile. Sicut verò non ana est transmutabilis in ranam, sic continuum non habens actu partes per desinationem est transmutabile in habens ctu partes; ergo &c.

Sed potest vrgeri: etiam materia prima

ma potest diuidi in partes, quæ ante non erant actu; ergo tum tales partes materiæ producuntur; ergo creantur.

Respondeo, quod illæ partes materiæ non creantur, sed educuntur ex potentia aliarum partium. Explico, promouendo doctrinam Aristotelis. Antiqui opponebant, quod si formę non laterent actu in materia, fierent ex nihilo. Aristoteles respondet, quod quia materia est potentia ad illas formas, & quia actu existebat, & remanet, ac facit vnum cum talibus formis, illę formę non fiunt ex nihilo, sed educuntur ex potentia subiecti. Similiter dum opponitur: si partes materiæ non actu existebant, fiunt ex nihilo: respondeo, quod quia existebant alię partes materię, quę partes sunt potentia ad alias partes, & tales partes remanent, & faciunt vnum continuum cum partibus, quę de nouo resultant, tales partes de nouo resultantes non fiunt ex nihilo, sed educuntur ex potentia aliarum partium, quę pręexistebant, & remanent, & faciunt vnum cum partibus nouis. Materia nimirum potest considerari in quantum est subiectum, & in quantum est continua: in quantum est subiectum est potentia, ex qua possunt educi partes ipsius materię: siquidem

omne continuum est potentia ad aliquas partes non existentes actu, sicut omne subiectum est potentia ad aliquas formas non existentes actu. Rursus sicut nulla forma potest educi de nouo, quin faciat vnum cum materia, quæ ante existebat, & ex qua educitur, sic nulla pars continui potest educi de nouo, quin faciat vnum continuum cum aliqua alia parte, quæ ante existebat, & remanet, & ex qua educitur.

Hinc est, vt nullum detur continuum separatum, & totale, in quo non dentur plures partes actuales, licet deueniatur ad partes continui, quæ non constant ex partibus actualibus, sed faciunt vnum cum partibus actualibus. Hinc rursus sequitur non posse ex continuo discontinuari vllam partem, quæ non constet ex pluribus partibus actualibus, quia nimirum eo ipso talis pars crearetur, cum nihil in illa esset, quod ante existebat. Partes igitur non constantes ex partibus actualibus semper sunt in aliquo continuo constante ex plurimis partibus actualibus. Hoc verò est diligenter notandum, vtpotè necessarium ad plurimas difficultates soluendas.

Ad 7. Continuum non æquiualet infinitis partibus actu habentibus actualem infinitatem secundum numerum. Nam infi-

infinitum in actu est Chimera, & est im pertransibile; continuum autem non æquiualet Chimeris, neque impertransibili. Aequiualet igitur solum partibus finitis in infinitum; e. g. hora æquiualet duabus semihoris, quatuor quadrantibus, octo semiquadrantibus, & sic in infinitũ partes autem finitæ in infinitum possunt pertransire, quia semper sunt finitæ. Addo, quod licet continuum æquiualeat pluribus, & pluribus, tamen illa plura sunt semper minora, & minora, ideoque tam facile pertransibilia, quam pauciora, sed maiora: e.g. tam facilè transeunt quatuor quadrantes, quam duę semihoræ. Eadem enim facilitate, qua transeunt duplo pauciora, sed duplo maiora, transeunt duplo plura, sed duplo minora.

Ad paritatem durationis, quę eo ipso, quod ęquiualeret horis pluribus, & pluribus sine termino, esset impertransibilis, disparitas est manifesta. Nam quæ æquiualent pluribus, & pluribus, sed semper finitis, & nihil augentibus magnitudinem pauciorum, possunt pertransire; sed hora ęquiualet duabus semihoris, quatuor quadrantibus &c, sed semper finitis, & nihil augentibus magnitudinem semihorarum duarum; ergo hora est pertransibilis. At duratio, quę ęqui-

ualet pluribus, & pluribus horis, æquiualet pluribus in infinitum augentibus, & duplicantibus certam magnitudinem unius horę; ergo talis duratio esset infinities maior quacumque duratione finita, & pertransibili; ergo esset infinita, & impertransibilis.

Ad 3. Iam dictum est in continuo quasdam partes distingui actu, alias potentia.

QVAESTIO XXXXI.

Vtrum in continuo præter partes dentur indiuisibilia copulatiua, & terminatiua.

V Idetur vera esse sententia Nominalium, quos citat, ac reijcit Suarius disp.40. metaph. sect.9. quod in continuo tum permanente, tum successiuo nulla dentur indiuisibilia, ita vt in magnitudine permanente nulla dentur puncta carentia omni magnitudine; in tempore verò nulla dentur instantia penitus indiuisibilia. 1. quia si quis esset vsus, aut necessitas talium indiuisibilium, maximè ad continuum terminandum, vel ad partes ipsius inuicem copulandas; sed ad hunc

hunc vsum non requiruntur indiuisibilia; ergo &c. Probatur minor: sit enim linea palmaris; etiamsi ab ea auferantur duo puncta terminatiua, adhuc remanet terminata, sicut ante; similiter etiamsi ab hora auferatur vltimum instans terminatiuum, adhuc hora remanet terminata; ergo frustra ponuntur indiuisibilia terminatiua. Ratio à priori est, quia quælibet magnitudo terminatur sufficienter per negationes vlterioris extensionis. Similiter partes continui sufficienter copulantur, & continuantur per hoc, quod immediatè post vnam partem alia sequatur; e.g. eo ipso, quod post horam præsentem sequitur immediatè altera hora, hora præsens copulatur, & continuatur cum altera hora; ergo non requiruntur alia indiuisibilia terminatiua, vel copulatiua.

2 Si esset necessitas ponendi indiuisibilia, maximè quia mathematica contemplatur puncta, superficies, & lineas; quod si hæc implicarent, contemplaretur chimeras, & entia rationis; sed ex hoc non concluditur dari indiuisibilia formaliter à parte rei; ergo &c. Probatur minor: sicut scientiæ contemplantur vniuersalia, & tamen vniuersalia non dantur formaliter à parte rei, sed solum fundamentaliter, formaliter verò dantur per so-

lam pręcisionem intellectus, sic mathematica contemplatur indiuisibilia, quæ non dantur à parte rei formaliter, sed solum fundamentaliter, dantur verò formaliter solum per intellectum. In quantum enim mathematica contemplatur aliquid in continuo, pręscindendo à partibus extensionis, contemplatur punctum quod caret partibus per solam pręcisionem intellectus; in quantum contemplatur longitudinem, præscindendo à latitudine, contemplatur lineam, quæ caret latitudine per præcisionem intellectus; in quantum contempla .r longitudinem, ac latitudinem, præscindendo à profunditate, contemplatur superficiem carentem profunditate per solam præcisionem intellectus. Fundamentum verò faciendi tales præcisiones est, quia quædam proprietates conueniunt continuo, præscindendo à partibus, ideoque dant fundamentum intellectui considerandi continuum, præscindendo à partibus, & constituendi punctum; quædam proprietates conueniunt ratione longitudinis, præscindendo à latitudine, & dant fundamentum concipiendi lineam: idemque dic proportionaliter de superficie.

3. Indiuisibilia in quantitate permanente ponuntur præcipuè ad saluandos contactus. Cum enim sphęra tangat planum

num in solo puncto, columna, seu cylinder tangat planum in sola linea, & cætera corpora se tangant in superficie, non autem in profunditate, debent dari puncta, superficies, & lineæ indiuisibiles secundum omnes, vel secundum aliquas dimensiones; sed hoc argumentum nimis probat; euincit enim continuum constare ex solis indiuisibilibus; nam punctum e.g. tangit partem lineæ, quam terminat, vel copulat, & illam tangit in solo puncto; ergo vnum punctum tangit aliud, & per consequens sequitur punctum post punctum, & linea componitur ex punctis se tangentibus. Similiter linea tangit superficiem, quam terminat, in sola linea; ergo post lineam sequitur linea: superficies tangit profunditatem in sola superficie; ergo post superficiem sequitur superficies.

4. Instantia indiuisibilia ponuntur præsertim, quia præsens debet esse indiuisibile, non autem compositum ex præterito, & futuro; sed omnes partes temporis aliquando sunt præsentes; nam non est præteritum, quod nunquam fuit præsens, nec futurum, quod nunquam erit præsens; ergo omnes partes temporis sunt indiuisibiles, atque adeò tempus constat ex solis instantibus indiuisibilibus.

5. Continuum homogeneum constare

lebet ex partibus homogeneis eiusdem rationis; sed diuisibilia, & indiuisibilia unt penitus diuersę rationis; ergo in continuo vel dantur sola indiuisibilia, vel sola diuisibilia. Confirmatur, quia distinguerentur actu; ergo darentur in continuo plures actualitates, quod est contra rationem vnius per se, in quo datur vnica actualitas.

6. Non potest explicari, vtrum indiuisibilia sint partes continui, vel non: vtrum penetrentur cum partibus diuisibilibus, vel non penetrentur. Ex vna parte videtur, quod penetrentur, quia tangunt partes, & quidem secundum se tota, quod est penetrari. Ex alia parte videtur impossibile, quod indiuisibile penetretur cum magnitudine diuisibili. Præterea non potest explicari, vtrum indiuisibilia sint intra, vel extra partes diuisibiles; vtrum indiuisibile additum diuisibili faciat maius. Ex vna parte videtur, quod cum tangat, & penetretur, non faciat extensionem, ac proinde non faciat maius. Ex alia parte videtur incredibile, quod hora diuisibilis cum suo vltimo instanti indiuisibili non magis duret, quam sine illo. Non potest etiam explicari, vtrum indiuisibilia sint in loco per se, an solum per accidens; vtrum per se moueatur, vel solum per accidens.

7. Si

7. Si darentur indiuisibilia, sępè aliqua indiuisibilia actualia ponerentur de nouo; hoc autem dici non poteſt, quia non eſt aſſignabilis cauſa ponens indiuiſibilia. Adde, quod ponerentur etiam indiuiſibilia materię primę, quæ poni nõ poſſunt, niſi per creationem.

8. Sequitur, quod poſſint in eodem ſubiecto dari duę formę contrarię in gradu intenſo. Si enim aliqua linea continua ſecundũ vnam medietatem ſit calida vt ſex, ſecundũ aliam frigida vt ſex, in tali caſu in puncto continuatiuo medietatis calidę cum frigida erit calor, & frigus vt ſex. Nam in eo puncto tam calor, quam frigus debet terminari; ergo in eo puncto debet dari punctum caloris, & frigoris eiuſdem intentionis cum calore, & frigore terminato; ergo debet in eo puncto dari calor vt ſex, & frigus vt ſex.

9. Non poteſt explicari, vtrum indiuiſibilia copulatiua ſint eſſentialiter copulatiua, vel ſolum accidentaliter; quid ſit inceptio intrinſeca, quid extrinſeca, & quęnam entia incipiant intrinſecè, vel extrinſecè; ergo cum ex indiuiſibilibus vndique difficultates emergant, indiuiſibilia ſunt omninò neganda.

Reſpondeo Ariſtotelem ita expreſsè in omnibus ſuis libris docere, aut ſup-

ponere, quod in magnitudine dentur puncta, lineę, ac superficies indiuisibiles, in tempore instantia partibus carentia, vt mirum sit authores contrarię sententię ausos esse de mente Aristotelis dubitare. Vt enim alia loca omittam, sexto physic. postquam à tex. primo vsque ad 24. demonstrauit ex professo continuum non constare ex indiuisibilibus, concludit: *Manifestum ergo est, quod nullum continuorum est impartibile*, ac subiungit immediatè post; *Necesse est autem ipsũ nunc, quod non per alterum, sed per se, & primo dicitur, indiuisibile esse, & in omni tempore tale inesse.* Deinde probat id ex professo vsque ad tex. 29. & concludit tex. 29. *Quod igitur sit aliquid in tempore indiuisibile, quod dicimus esse ipsum nunc, manifestum est ex ijs, quæ dicta sunt.* Proportionaliter admittit indiuisibilia in magnitudine, sicut in tempore, ideoque tex. 86. ostendit ex professo indiuisibilia per se moueri non posse per hæc verba. *Demonstratis autem his, dicimus, quod id, quod impartibile est, non contingit moueri, nisi forte secundum accidens.*

Consonat Aristoteli S. Augustinus, qui supponit tamquam per se notum pręsens, quod primo, & per se est pręsens, carere partibus. Vndecimo Confessionum cap. 15. habet. *Si præsens tenditur, diuiditur in* pr.e-

præteritum, & futurum: præsens autem nullum habet spatium. Cap.21. *an metimu tempus in præsenti, quo præterit? sed nullui spatium non metimur.* cap.26. *Non meti præsens, quia nullo spatio tenditur.* cap.28 *Quis negat præsens tempus carere spatio, qui in puncto præterit?* Aristotelem,& S.Augustinum sequuti sunt omnes Interpretes, ac Scholastici ante Durandum, & Nominales,ac nominatim Albertus Magnus, Alexander de Ales, S. Thomas Scotus, & alij, quos citat, ac sequitu Suarius disp.40. metaph.sect.quinta.

Prima ratio est, quia omne finitum ex vtraque parte habet primum principium, & vltimum finem; sed continuum est finitum ex vtraque parte; ergo continuum habet primum principium, & vltimum finem; sed primum principium, & vltimus finis sunt omninò indiuisibilia; nam si essent diuisibilia, eo ipso haberent aliud principium, & alium finem,atque adeò non essent primum principium, & vltimus finis; ergo in continuo dātur indiuisibilia;in linea primum, & vltimum punctum; in superficie prima, & vltima linea; in corporibus prima, & vltima superficies; in tempore primum, & vltimum instaus.

Secunda ratio est, quia omne finitum finitur extremitate, in qua possit tangere

e aliud finitum, vel cum illo continua-
i; sed extremitates, quibus duo finita
se tangunt, sunt penitus indiuisibiles; er-
go omne finitum habet extremitates in-
diuisibiles. Minor probatur: quando
enim vnus palmus tangit alium palmum,
se tangunt in extremitatibus, seu super-
ficiebus, secundum verò profunditatem
non se tangunt; sed id, in quo se tan-
gunt, debet contradistingui ab eo, in
quo se non tangunt: est enim impossibi-
le, quod verificetur *in hoc tangitur*, *in hoc
non tangitur*, quin ea, de quibus verifi-
cantur hæc contradictoria, sint contra-
distincta, eo pacto, quo si aliquid moue-
tur, aliquid non mouetur, motum est
contradistinctum ab immoto; ergo su-
perficies distinguitur à profunditate, at-
que adeo est indiuisibilis, quia est aliqua
longitudo, ac latitudo contradistincta
à profunditate. Hinc verò reijciuntur
responsiones, quod indiuisibilia sint ne-
gationes vlterioris extensionis, vel quod
dentur solum præcisiuè, & per intelle-
ctum. Nam duo corpora se tangunt, non
in negatione, sed in aliqua extremitate
positiua, & extremitas tacta non solum
per intellectum, sed à parte rei distin-
guitur à profunditate non tacta.

Idem argumentum proportionaliter
probat dari lineas, & puncta. Nam
cylin-

cylinder, seu columna tangit planum secundum longitudinem, non secundum latitudinem, vt à mathematicis demonstratur, & patet, quia columna secundum latitudinem est curua, planum secundum latitudinem est rectum; sed curuum correspondere non potest recto: quod enim recto correspondet, & congruit, est similiter rectum, vt manifestè patet; it quod secundum latitudinem aliquam tangit, secundum illam adaptatur, & congruit; ergo columna secundum nullam latitudinem tangit planum; sed id, secundum quod aliquid tangit, contradistingui debet ab eo, secundum quod non tangit; ergo longitudo columnæ contradistinguitur à latitudine, atque ideò est indiuisibilis secundum latitudinem. Rursus sphæra tangit planum perfectum in puncto, in longitudine verò, & latitudine non tangit, vt docet Aristoteles 1. de Anima cap. 1. & Euclydes demonstrat lib. 3. propositione 16. Et ratio est manifesta. Nam curuum non potest adaptari recto; sed sphæra est curua secundum longitudinem, & latitudinem, planum verò secundum vtramque dimensionem est rectum; ergo sphæra non potest tangere planum in vlla longitudine, ac latitudine; ergo tangit in aliquo contradistincto à tota longitudine,

ne, ac latitudine, atque adeò in puncto; ergo datur punctum omninò indiuisibile.

Respondent aliqui nō posse dari sphæram geometricè perfectam, neque columnam, ac planum perfectum; ergo neque contactus in linea, vel puncto, quæ supponunt dari posse sphæram, & columnam perfectam.

Sed præterquamquod hæc responsio non soluit argumentum de superficie, & præterquamquod negat possibilitatem sphæræ perfectæ etiam de potentia absoluta, reijcitur, quia quidquid sit, an aliquod corpus magnum possit esse perfectè planum, vel sphæricum, aut cylindricum, vel ouale, vel habens aliquam figuram regularem perfectam, tamen omnis superficies vel est plana, vel curua, vel partim plana, partim curua; ergo dantur in illa aliquæ particulæ planæ, & aliæ curuæ, & quidem perfectè, nam debet tandem perueniri ad partes homogeneas, & non omnes partes sunt heterogeneæ, ita vt componantur ex plano, & curuo; istæ ergo particulæ perfectè planæ, & perfectè curuę, dum se tangunt, non possunt se tangere in superficie, alioquin superficies curua congrueret planæ, quod implicat; ergo se tangunt vel in puncto, vel in linea.

Re-

Respondent alij secundo vnum corpus solidum nunquam tangere aliud corpus solidum immediatè, sed semper mediare corpus liquidum, e.g. aerem, ideoque nunquam dari contactum in puncto, vel linea,

Sed neque hæc responsio soluit argumentum de contactu in superficie. Corpus enim solidum, ac liquidum se tangunt in sola superficie. Rursus etiam hæc responsio negat de potentia absoluta sphæram solidam posse tangere planum solidum. Addo, quod difficillimum est, quo pacto cum ferrum acuminatum perforat aliquod solidum, non tangat, antequam perforet; quo pacto cum sphæra solida ponitur supra aquæ quiescentis superficiem, quæ superficies secundum sensum est plana, secundum veritatem est sphærica circa centrum mundi, antequam scindat aquam, non tangat, & si tangit, tangit in solo puncto: nam duæ superficies connexæ se tangunt in solo puncto.

Tertio dicunt, quod ad contactum in superficie sufficit, quod inter duo corpora nihil mediet. Sed ostensum est id non sufficere, sed requiri, vt detur aliquid, in quo se tangant, contradistinctum ab eo, in quo se non tangunt; hoc autem est indiuisibile.

Tertia

Tertia ratio pro indiuisibilibus in tempore, quæ ab Aristotele, S. Augustino, & omnibus antiquis ponitur tamquã demonstratiua, est quia prẹter tempus, quod solũ est prẹsens ratione partis, vel quasi partis, dari debet aliquid præsens primo, & ratione sui; sed nullũ diuisibile est prẹsens primo, & ratione sui; ergo prẹter tempus diuisibile dari debet aliquod indiuisibile. Minor probatur: hic annus est prẹsens ratione huius mensis, secundum alios vndecim menses partim est prẹteritus, partim futurus; hic mensis est prẹsens ratione huius diei, secundum alias dies partim est prẹteritus, partim futurus; hẹc dies est prẹsens ratione huius horẹ, secundum alias viginti-tres horas partim est prẹterita, partim futura; hẹc hora est prẹsens ratione huius quadrantis, secundum alios tres quadrantes partim prẹterita, partim futura; hic quadrans est prẹsens ratione vnius momenti, secundum alia momenta partim prẹteritus, partim futurus; idemque dic de quacumque parte diuisibili temporis. Cum enim partes non sint simul, tempus diuisibile secundum aliquas partes est prẹteritum, secundum alias est futurum; ergo nulla pars diuisibilis temporis est prẹsens ratione sui; sed debet dari aliquid, quod sit præsens, &

actu

actu contradistinctum à toto eo, quod non est, sed vel fuit, vel erit; ergo debet dari aliquid indiuisibile temporis, quod sit totum simul, & explicet aliqualiter præsens Diuinæ æternitatis, quod est totum simul, licet deficiat à Diuina æternitate, in quantum illa non potest transire in pręteritam, nec expectari vt futura, cum pręsens creatum diu expectetur vt futurum, & statim transeat in pręteritum.

Quarta ratio est, quia admissis indiuisibilibus, omnia optimè explicantur. Primo explicantur definitiones continui, & contigui, atque eorum differentia. Continua sunt, *quorum extrema sunt vnum*: contigua, *quorum extrema sunt simul*. Secundo explicatur, cur heterogenea, etiam cum intimè permiscentur, non continuantur, e.g. aqua non continuatur cum vino. Ratio est, quia extremitas aquę debet esse aquea, extremitas vini debet esse vinea; ergo non possunt esse vna extremitas, prout requiritur ad continuum. Tertio explicatur differentia variorum contactuum, qui sunt contactus in puncto, in linea, & superficie. Quarto patet differentia contactus adęquati ab inadęquato. Contactus adęquatus est, cum duo corpora ita se tangunt, vt in eo, in quo se tangunt,

gunt, non possint tangi ab alio corpore absque penetratione; e. g. contactus in superficie est adæquatus: nam cum duo se tangunt in superficie, non possunt in tali superficie tangi ab alio corpore, quin penetretur: è conuerso contactus in linea, & puncto sunt inadæquati; cum enim columna tangit planum in linea, aer interceptus inter omnes partes diuisibiles columnæ, & plani, terminatur ad lineam contactus, atque adeo tangit columnam, & planum in eadem linea; idemque dic, cum sphæra tangit planum in puncto. Ideo est cautè intelligendum, quod communiter dicitur, *cum duo se tangunt nihil mediat inter illa*. Licet enim id verum sit simpliciter, cum contactus est adæquatus, cum tamen est inadæquatus, hoc est in linea, vel puncto mediat aer, vel aliud liquidum inter omne spatium, excepta linea, vel puncto contactus, in qua linea, vel puncto datur simul linea, vel punctum terminans aerem interceptum inter partes diuisibiles.

Ad 1. In quo opponitur, quod palmus, ablatis indiuisibilibus, adhuc remaneret terminatus: respondeo, quod remaneret terminatus, & interminatus; remaneret terminatus, quia remaneret palmus, de cuius ratione est esse terminatum; remaneret interminatus, quia careret termino,

no, de cuius ratione est indiuisibili tas. Rursus remaneret terminatus fun damentaliter, non verò formaliter Similiter etiam non est verum, quod duo palmi, & duæ horæ continuentur formaliter per hoc, quod post vnum palmum sequatur alius, post vnam ho ram sequatur alia hora, sed requiritur vt copulentur termino communi, qui sit finis vnius, & principium alterius, vt dictum est.

Ad 2. Mathematici dum loquuntur de punctis, lineis, & superficiebus, non loquuntur de secundis, sed de primis intentionibus, atque adeo de ijs, quæ dantur, nemine cogitante; ergo supponunt nemine cogitante pun ctum carere partibus, & non solum per præcisionem intellectus: alioquin Mathematica esset scientia magna ex parte non realis, sed rationalis, sicut Logica, & definiret res per secundas intentiones. Et sanè suo iure suppo nunt Mathematici tamquam per se no tum dari puncta, superficies, & lineas Quod enim primo occurrit in conti nuo sensibus, est per se notum dari; sed primo visui, ac tactui occurrunt superfi cies, & extremitates corporum; vide mus enim, ac tangimus in superficie.

Ad 3. Indiuisibilia non tangunt par tes

es diuisibiles, sed purè terminant. Nam illa se tangunt, quorum extrema sunt simul; sed indiuisibilia non habent extremitatem, sed sunt ipsæ extremitates; ergo indiuisibilia non tangunt se, sed sunt id, quo corpora ipsis terminata se tangunt. Dum opponitur; ea se tangunt, inter quæ nihil mediat &c: distinguo maiorem, ea se tangunt, inter quæ nihil mediat, si sint potentia tactiua, concedo maiorem; si non sint potentia tactiua, nego maiorem; distinguo eadem pacto minorem, & nego consequentiam. Etiamsi nihil mediaret inter duos Angelos, adhuc non se tangerent contactu quantitatiuo, de quo loquimur, quia non sunt potentia tactiui. Duo autem requiruntur, vt aliqua sint potentia tactiua; primo vt habeant id *quod*; secundo vt habeant id *quo*. Id *quod* debet esse diuisibile, & habens extremitatem; id *quo* debet esse indiuisibile; sed indiuisibilia non habent extremitatem, cum sint ipsa extremitas; ergo non possunt tangere, sed solum possunt esse id, in quo corpora se tangunt, ideoque cum datur contactus, corpora terminata extremitatibus se tangunt in extremitatibus, extremitates ipsæ non se tangunt, sed sunt simul.

Dum

Dum vrgetur: debet dari pars profunditatis, cui vnitur immediatè superficies, contradistincta ab ea parte, cui non vnitur immediatè; sed hæc pars debet esse indiuisibilis; ergo post superficiem sequitur alia superficies indiuisibilis. Respondeo, quod datur aliqua pars profunditatis, quam superficies terminat, & cui proinde vnitur immediatè, & quod hæc pars contradistinguitur à parte, cui superficies non vnitur immediatè. Dum additur, quod hæc pars debet esse indiuisibilis, nego: nam terminus non terminat terminum, sed terminat terminabile; indiuisibile est terminus, & non est terminabilis; ergo superficies indiuisibilis non vnitur, nec terminat indiuisibile, sed vnitur profunditati diuisibili, ac proinde terminabili, illam terminando. Sed quænam est profunditas, cui superficies vnitur immediatè, illam terminando? Dico, quod est illa profunditas, in qua non distinguuntur vlterius partes actuales profunditatis. Si verò hæc profunditas diuidatur in partes potentiales, tunc vna cum partibus actualibus consurgent noua indiuisibilia copulantia, ac terminantia. Hinc etiam patet, quænam pars diuisibilis immediatè tangatur. Dico, quod illa, quæ ter-

rminatur immediatè extremitate, in
ıa fit contactus. Si quæratur, vtrum
articulæ carentes partibus actualibus
ocari debeant minima physica? Re-
pondeo negatiuè, quia possunt physicè
iuidi in partes minores: minimum au-
em physicum sonat aliquid ita paruum,
t non possit physicè dari aliquid minus
llo.

Ad 4. Instantia indiuisibilia ponun-
ur in tempore, quia debet dari ali-
quod præsens ratione sui, ac proinde
ndiuisibile; at præter præsens primo,
& ratione sui datur præsens ratione
alterius, & hoc est diuisibile: e. g. an-
nus, mensis, dies, & omnes aliæ par-
tes diuisibiles solum sunt præsentes ra-
tione suorum instantium, seu nunc. Ad
uerte autem momenta temporis caren-
tia partibus actualibus terminari duo-
bus indiuisibilibus, primo, & vltimo,
ideoque fieri præsentia tripliciter. Pri-
mo momentum est præsens tamquam
incipiens, eo quod sit præsens primum
ipsius indiuisibile. Secundo est presens
tamquam durans, eo quod primum in-
diuisibile iam præterierit, vltimum non-
dum aduenerit. Tertio est præsens tam-
quam desinens, eo quod sit præsens vlti-
mum ipsius indiuisibile.

Ad 5. Continuum homogeneum con-
stare

ſtare debet ex partibus eiuſdem rationis ſecundum formam, non verò ſecundum magnitudinem. E.g. Oceanus eſt continuum homogeneum, quia omnes eius partes, & omnia eius indiuiſibilia habent formam aquæ, licet conſtet ex guttis, & palmis, ex diuiſibilibus, & indiuiſibilibus, quæ ſecundum magnitudinem ſunt diuerſæ rationis. Poteſt autem vnum fieri ex diuiſibilibus tanquam ex partibus materialibus, & ex indiuiſibilibus tamquam ex terminis copulantibus, ac terminantibus diuiſibilia.

Dum quæritur, an indiuiſibilia diſtinguantur actu à partibus, reſpondeo, quod quædam diſtinguuntur actu, quædam potentia. Dum vrgetur: in vno per ſe dari nequeunt plures actualitates, diſtinguo maiorem: in vno per ſe eſſentialiter, tranſeat: in vno per ſe continuatiuè, nego. Ex Ariſtotele vnitas continui eſt imperfectiſſima omnium vnitatum per ſe, & magis accedens ad vnitatem per accidens, quia eſt vnitas magis materialis, quam formalis, cum ſit vnitas partium materiæ. Ad vnitatem autem per ſe in hoc genere ſufficit, quod partes copulentur ad aliquem terminum communem; eo enim ipſo ſunt vnum non per ſolam coaceruationem. Nam ea, quorum partes non

copulantur termino communi, sed per solam coaceruationem terminorum, sunt vnum merè per accidens. Sicut igitur vnitas essentialis consistit in hoc, quod non sint plures actus congregati, sed vnus actus; sic vnitas continui consistit in hoc, quod non sint plures termini simul, sed vnicus terminus cõmunis.

Ad 6. Indiuisibilia sunt partes continui latè, non autem strictè. Sunt autem partes latè, in quantum constituunt continuum in ratione continui, tamquam ipsa continuitas, & copulatio partium. Non sunt partes strictè, quia pars strictè est vel aliquota, hoc est quæ finities accepta adæquat totum, vel aliquanta, hoc est quæ est quanta, & habens magnitudinem, licet finities accepta non adæquat totum, eo pacto, quo annus est pars aliquanta æternitatis, licet finities acceptus non adæquet æternitatem; sed indiuisibilia neque sunt quanta, neque finities replicata adequant continuum; ergo propriè non sunt partes continui, sed sunt meri termini, & copulatio partium, eo pacto, quo strictè loquendo anima, & corpus sunt partes hominis, vnio autem animæ cum corpore non tam est pars, quam coniunctio partium.

Dum quæritur, vtrum indiuisibilia pene-

penetrentur cum partibus diuisibilibus : respondeo, quod propriè non penetrantur. Illa enim propriè penetrantur, quæ sunt in eodem loco secundum eundem modum essendi in loco ; sed superficies sphæræ, & sphæra ex. gr. non sunt in eodem loco secundum eundem modum essendi in loco : nam sphæra est in loco tamquam clausa intra superficiem, superficies autem est in loco tamquam claudens spheram intra se : ergo superficies propriè non penetratur cum sphera. Adde, quod si loquamur de loco extrinseco, hoc est de superficie corporis continentis spheram, superficies spheræ est simul cum superficie corporis continentis spheram, sphera non est simul, sed intra ; ergo sphera non penetratur cum superficie.

Dum quæritur vlterius, vtrum indiuisibilia sint intra, vel extra partes diuisibiles, e. g. vtrum superficies spheræ sit intra, vel extra spheram : respondeo, quod sunt intra actiuè, & nominaliter, non autem passiuè, & aduerbialiter, hoc est sunt ipsum intra quod est sphera, non autem sunt intra spheram. Ratio est ; quia esse intra, vel extra passiuè dicitur respectu alicuius termini, quod sit ipsum intra quod aliquid continetur ; sed superficies, & vniuersim indiuisibilia sunt

termini corporum; ergo non sunt intra corpora, sed sunt ipsum intra quod sunt corpora; eo pacto, quo centrum non est deorsum, sed est ipsum deorsum, locus non est in loco, sed est ipse locus. Similiter si quæratur, verum parietes, & ianua sint intra, vel extra domum, dicendum, quod sunt intra nominaliter, quia sunt ipsi termini domus, respectu quorum cætera dicuntur intra, eo quod contineantur parietibus, vel extra, eo quod parietibus non contineantur. Proportionaliter philosophandum de tempore. Dum enim quæritur, vtrum primum, & vltimum instans momenti penetrentur cum momento, respondendum negatiuè, quia sunt ipsi termini, intra quos momentum continetur; momentum autem est intra ipsos; ergo propriè non penetrantur; quia ad propriam penetrationem requiritur, vt aliqua sint in eodem tempore secundum eundem modum essendi in tempore. Alij concedunt indiuisibilia penetrari cum partibus indiuisibilibus, & esse intra partes incommensurabiliter, quia quod partibus caret, & caret magnitudine, commensurari non potest rei habenti magnitudinem. Sed responsio allata à me videtur clarior, & aptior ad soluendas plures difficultates.

Dum quæritur adhuc, vtrum indiuisibilia addita partibus diuisibilibus faciăt aliquid maius? respondeo cum Aristotele negatiuè. Ratio est primo, quia indiuisibilia non sunt magnitudines, sed termini magnitudinum; sed magnitudo non potest augeri per additionem non magnitudinis; ergo magnitudo partium non potest augeri, sed purè terminari per additionem indiuisibilium. Ita palmus lineæ per additionem indiuisibilis non fit maior, sed solum constituitur palmus terminatus. Similiter hora addito instanti non fit maior, sed constituitur terminata, & constituta, ac conclusa intra instantia. Sed dices; nonne qui duraret per horam, & instans duraret plus, quam qui durat per horam sine instanti? Respondeo, quod si per ly *durare plus* intelligatur durare per horam terminatam, duraret plus; si verò intelligatur durare per aliquid non solum terminans magnitudinem horæ, sed augens magnitudinem, non durat plus. Nam instans vtpote carens magnitudine, non auget magnitudinem.

Cum demum quæritur, vtrum indiuisibilia sint in loco per se, vel solum per accidens: respondeo cum Aristotele, quod sunt in loco solum per accidens, quia non continentur extremita-

bus, ſed ſunt extremitates corporum ɔntentorum, ideoque mouentur ſolum er accidens ad motum corporis, quod :rminant, quod corpus dum mouetur, cut ſecum defert ſua accidentia, ita efert ſuas extremitates.

Atque hic debet aduerti, quod licet icatur ſphæram tangere planum in ſolo uncto; columnam in ſola linea, tamen d eſt intelligendum de ſphæra, & coumna, cum non mouentur. Si enim ſphęa voluatur ſupra planum, tempore mous tanget planum ſucceſſiuè in linea; & ſi columna ſupra planum voluatur, angit planum ſucceſſiuè in ſuperficie. Præterea debet aduerti, quod cum indiuiſibilia ſint termini, non autem magnitudines, motus poteſt eſſe ad indiuiſibile tamquam ad terminum *ad quem*, & ab indiuiſibili, tamquam à termino *à quo*, non autem per indiuiſibilia, vel in indiuiſibilibus, quia motus eſt ad terminos, & à terminis, non autem per terminos, & in terminis, ſed ſolum in magnitudine terminata.

Ad 7. Concedo, quod reſultent de nouo etiam indiuiſibilia materiæ, ſed nego, quod creentur. Verè enim educuntur ex potentia ſubiecti, non quidem recipientis, ſed terminati. Puncta enim materiæ cum non ſint formæ, ſed termini;

ni, sunt in partibus diuisibilibus, non tamquam formæ in subiecto recipiente, sed tamquam terminus in subiecto terminabili, ideoque educuntur ex potentia subiecti terminabilis.

Ad 8. Nego, quod si medietas lineæ sit calida vt sex, medietas frigida vt sex, in puncto continuatiuo sit simul calor vt sex, & frigus vt sex. Licet enim calor, & frigus conentur ponere in puncto copulatiuo lineæ calorem vt sex, & frigus vt sex, tamen non possunt, propter mutuam resistentiam. Quare in tali casu vel vtrumque; vel alterum propter impedimentum extrinsecum non potest terminari puncto æqualis intensionis.

Ad 9. Probabile mihi est, quod indiuisibilia copulatiua sint essentialiter copulatiua. Ratio est, quia sunt terminus communis vtriusque partis; ergo debent esse essentialiter affixa vtrique parti, tum illi, cuius sunt principium, tum illi, cuius sunt finis, nec est maior ratio, cur vni potius sint affixa essentialiter, quam alteri. Ex quo infertur, quod determinatio ad partem sequentem motus semper ponitur in instanti antecedenti, cum ponitur punctum continuatiuum.

Dum quæritur, quid sit inceptio, ac desitio intrinseca, vel extrinseca: dico,

co, quod inceptio intrinseca est, per quam res primo est in instanti indiuisibili, ita vt immediatè ante non esset; e. g. anima rationalis incipit intrinsecè per creationem, quia primo est in instanti indiuisibili, cum ante non esset. Inceptio extrinseca est, per quam res vltimo non est in instanti indiuisibili, ita vt immediatè post sit futura: ex. gr. motus incipit extrinsecè, quia post hoc instans, quo res vltimo non mouetur, immediatè post mouebitur. Desitio intrinseca est, per quam res vltimo est in instanti indiuisibili, ita vt immediatè post sit non futura. Desitio extrinseca est, per quam res primo non est in instanti indiuisibili, ita vt esset immediatè ante.

Hinc primo colligitur implicare, quod idem simul incipiat, aut desinat vtraque inceptione, aut desitione, intrinseca nimirum, & extrinseca. Ratio est, quia si incipit intrinsecè, hoc est per primum esse in instanti indiuisibili, immediatè ante non habet vltimum non esse in instanti indiuisibili, cum ante instans non antecedat immediatè aliud instans, sed tempus diuisibile, & è conuerso si incipit extrinsecè, eo quod habeat vltimum non esse in instanti indiuisibili, non habet primum esse in instanti

indi-

indiuisibili, quia post instans non sequitur immediatè aliud instans.

Secundo colligitur motum, & quietem incipere, ac desinere solum extrinsecè, non autem intrinsecè. Ratio est, quia in instanti indiuisibili non potest esse motus, nec quies, ergo motus non est primo, vel vltimo in instanti indiuisibili, atque adeò nec incipit, nec desinit intrinsecè; sed vltimo non est in instanti indiuisibili, post quod erit motus, aut quies, adeoque incipit extrinsecè; & primo non est in instanti indiuisibili, ante quod fuit motus, atque adeò desinit extrinsecè.

Tertio colligitur omnia illa, quæ ponuntur diuisibiliter simul cum motu, incipere extrinsecè; e.g. si calor ponitur diuisibiliter simul cum motu calefactionis, incipit extrinsecè, sicut ipse motus calefactionis.

Quarto colligitur, quod ea, quæ ponuntur tota simul post motum, tamquam termini *ad quem*, & tolluntur per motum tamquam termini *à quo*, incipiunt, ac desinunt intrinsecè. Ita vbicatio permanens incipit per primum esse in instanti indiuisibili post totum motũ, quo mobile motum fuit tempore diuisibili. Post enim totum motum, per quem mobile fuit in spatio maiori se, in instan-

ti

:i indiuisibili, primo est tota simul vbicatio permanens, qua est in spatio æquali.

Quinto colligitur omnes substantias incipere intrinsecè, ac desinere extrinsecè, connaturaliter loquendo. Ratio est, quia omnes substantiæ ponuntur, & tolluntur post motum alterationis.

FINIS.



REGESTVM

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg.



ROMAE,
Typis Michaelis Herculis. 1670.

Superiorum permissu.


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO. EMANUELE